



~~Vita Eruditor: Singular: 313.~~

~~1820~~


EXERCITATIO HISTORICO-
THEOLOGICA,
DE
LAPSU
Q. SEPT. FLORENT.
TERTULLIANI,
AD
MONTANISTAS,

Seculi secundi
FANATICOS,
*Colloquij Academici gratia destinata
aliquot Disputationibus,*

& proposita
In alma Argentoratensium Universitate

à
JOH. JOACHIMO ZENTGRAVIO,
SS. Theol. D. & P.P. Seniore, Conventus Ecclesiastici
Præfide, & Capitul. S. Thom. Decano.

cum
AUCTARIO
DISSERTATIONUM ALIQUOT EJUSDEM SELECTIORUM,
in eadem Academia habitarum.



ARGENTORATI,
Sumptibus JOHANNIS FRIDERICI SPOOR, Bibliop.

ANNO M DCC VI.

EXERCITATIO HISTORICA
THEOLOGICA

LAPSI

DE SEPT. FLORENT.

TERTIUM

MONASTAS

PARADOX.

Capitulum de...

IOH. JOACHIM. O. S. E. C. I. A. N. O.

1711

ALICATA

in...

...

...

...



Lectori Benevolo

Sal.



Uod non minor Historiæ

Ecclesiasticæ, quam civilis sit utilitas, exinde satis cognoscitur, quod æque ad illam accommodare liceat, in rerum ad Ecclesiæ statum pertinentium, & quæ in illo contingunt, mutationum momentis ad publicum usum notandis, atque ad hanc, si ad res civiles tractandas illos, qui natura & arte ad id apti sunt, unumquodque etiam, ad fortuitos, dubiosque præprimis rerum eventus pertinens, recte adhibere norunt, eadem formare haud male creditur. Sicut enim civilis hominum confociatio variis obnoxia est mutationibus, atque rerum in ea conversionibus; malis etiam tam interne grassantibus, factionibus, dissidiis, quam vi externa molestis vexatur, consurgentibus ex media multitudine rerum novarum cupidis, atque inquietis, hominibus male contentis, qui seditiosa loquendo, & statuendo, pessima quæque minari videntur: Ita & Ecclesia iisdem haud raro ex Diaboli, Hæreticorum, & impiorum malitia, DEO juste permittente, exercetur terroribus, tam externis, imminentibus persecutionum procellis, quam internis, variis sc. vitæ, doctrinæ, & morum scandalis atque corruptelis. Bene proin fit, si, ut in Politicis, ita etiam in Ecclesiasticis, quando similia eodem contingunt modo, præterita consulimus, & ad usum præsentem ea dextre & prudenter adhibentes, fata Ecclesiæ cognoscimus; quam *mirifica* sint DEI *consilia*, *magnifica* item ejus *sapientia*, discimus, Jes. 28, 29. & quam gloriose ad exoptatos rerum exitus omnia perducatur, observamus; ne temerarios hæreticorum conatus, impiorum audaciam, & Diaboli furorem plus justo expavescamus, ubi de similibus nihil cognoverimus; sed melius edocti, *per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus,*

);(2

Rom.

Rom. 15,3. *nihil curantes*, Phil. 4,6. Hac mente visum etiam fuit de *Lapsu Tertulliani ad Montanistas*, in Antiquitate tam famoso, nonnulla disquirere, quod hodierna Ecclesiae facies, statui rerum, qui viri hujus, magni quondam, & cujus laus sane magna in cœtu fidelium fuit, temporibus erat, in compluribus respondeat, præprimis quod *collapse Pietatis restaurandæ perversum studium & artes* concernit, ceu facta collatione illorum, quæ à *Baronio* in Annalibus tom. 2. de *Montanistis* enarrantur, cum illis, quæ ab hodiernis *Eusebianis* peracta sunt, atque peraguntur, patet. Non solum vero Montani fraus, *Pietistarum* istius tempestatis Principis, magna in Ecclesia tentatio fuit, cum ut *Baronius* loquitur, *non hic vel ille inanis homo & facilis ad credendum ab ejuscemodi composita larva deceptus sit; sed & qui magna præditi videbantur sanctitate*; verum etiam *Tertulliani*, magni in Ecclesia fideris, & Doctoris, cum staret, lapsus ad Montanistas Pietistas, *Vincentio Lirinensi* teste, pro tali fuit habitus; compluribus inde turbatis, virum hunc pietate, doctrina, & meritis in Ecclesiam longe clarissimum, associasse se hominibus, pietatem, & pietatis exercitia Ecclesiae Orthodoxae improbata, sectantibus.

Idem hodie accidit. Inquieto quippe statu res Ecclesiae vere Evangelicæ esse passim, DEO veræ pietatis, quæ fidei fructus audit, contemptum vindicante, inceperunt, cum multi, si characterè Montanistarum *Baronij* verbis notandi, *ovinis pellibus lupos induentes, & vitam optimis compositam moribus, abstinentia præsertim excultam præ se ferendo*, Donatistico spiritu acti, ejuscemodi sub specie pietatis artes exercent, quæ schisma certissimum, & noxium Separatissimum minantur: etsi, doctrinam fidei quod attinet, alii aliis inter eos crassiores sint. Urgentes etiam doctrinam de regeneratione, sanctificatione & renovatione, formulis & verbis ad omnem pietatem formatis, incautos & imperitos, & pie dicta à nude piis dictis non satis discernentes, fallunt; ita ut viros etiam in dignitate constitutos, & autoritate pollentes, doctrina etiam eximios, fraudibus suis, & mendaciis, in suas pertrahant haud raro partes, petulanter interim sub pallio simplicitatis & pietatis grassantes. Historia vero lapsus *Tertulliani* docet, non nova penitus esse mala ista, & certamina circa pietatem mota, quæ hodie Ecclesiam exercent, cum

pri-

priscis temporibus similia carcinomata eandem vexarint: Ita ut bona spes nos tenere debeat, fore, ut sicut olim Montanismus, Donatismus, & hujusmodi monstra Ecclesiae succubuerunt, sic pari ratione & hodie, & in sequentibus diebus, feliciter triumphando dissipatis falsae pietatis nebulis eadem sit eluctatura. Incidit haec nostra meditatio in initia turbarum, quas larva Pietatis, ciente *Krafftio* quodam *Exfutore*, apud nos Ann. 1700. movere incepit, cis Rhenum, cum jam ante trans Rhenum, in Imperio, eadem multos fefellisset, atque potestati seculari plurimum negotii fecisset. Animus erat docere, jam primis post natum mundi Salvatorem seculis, spiritum mendacem, in Angelum lucis se transformantem, non satis caute ambulantis, imagine sanctitatis imposuisse, quod ab hominibus in omnibus hujusmodi speciem praeseferentibus, non satis provide sibi cavere vel nesciissent, vel neglexissent: Et tam facilem hic esse lapsum, ob viae lubricitatem, & neglectum lucis vialis, ut & stantibus, & se firmo quidem pede constituisse existimantibus, talis acciderit, ceu magni viri, *Tertulliani*, exemplo patet: Fore tamen, ut Pietas Ecclesiae succumbat, nec hic portae inferorum adversus eandem sint prevaliturae, si solite spiritum, qui hic rem gerit, probando, an ex DEO sit, fraudulentae ejusdem astutiae praestigiiis nobis imponi non passi fuerimus, & mature eidem obviam intrepide iverimus. Unde & singulari capite, quis usus sit hujus de *Tertulliani* lapsu historiae, docere volumus: Gratuletur licet sibi parturiens secta, de incremento quotidiano. DEO interim debetur gloria, cujus auxilio in ipso partu Fanatismus apud nos fuit oppressus, de quo ex instituto scriptum Germanicum, quod *Conventus Ecclesiastici* nomine hac de causa prodiit, urgente sic Ecclesiae nostrae necessitate, & *Conventus* innocentia.

Deinde hac etiam occasione, cum commodior alia vix apparere potuit, significandum est, quod cum in Tract. nostri *Historic. Theolog. de Cateches. Relig. Christ. ejusq. Capp. Necess. & Informat. &c. Diss. de Cateches. Paul. Apost.* pagina 31. cum fac. sequeretur, qua nonnulla legebantur ADDENDA, necessario pertinentia ad supplenda nonnulla in ejusdem *Dissert.* p. 19. §. 20. lin. 12. omissa; & ad p. 20. lin. 32. p. etiam 21. lin. 7. adponenda, perdita hoc loco restituere placuerit, quae sic habent.

):(3

ADDENDA,

ADDENDA.

Ad §.20. p.19. lin.12. pro art. 27. p.186. L'ame contemplative, lege: art.27. p.186. etsi is falsum pronunciet p.191. hoc effatum: *L'ame contemplative.*

Ad pag.20. lin.32. post Rom.5,1. c.8,38. adde: Rejicitur equidem lib.cit. p.191. idque recte, etiam hæc *Quietistarum* propositio: *Les ames de cet estat n'ont plus besoin de penser à Jesu Christ, qui n'est que la voye pour arriver à Dieu son pere, parce qu'elles sont deja arrivées au terme.* Sed sic excipere vicissim nihilominus libero à studiis partium licebit, secundum illa, quæ concessa creduntur: Hoc ipso, quia Christus, & ejus humanitas, à contemplatione ista amatoria pura, & sublimi, in tantum excluduntur, in quantum non eodem modo ejus qua talis objecta sunt, sequitur juxta hæc principia diversitas in amore, ad minimum quoad obligationem. Fit vero illud, quando anima sic amatorie contemplando, omne sensibile, & distinctum, v.c. Christi humanitatem, attributa divina, & Personas, supergreditur, ut voluntarie in illa non feratur, nisi quatenus à DEO offeruntur, uti in *Explicat. des Max.* art.27. p.186. sqq. docetur, & sic non *primario*, verum *secundario*. Non componi hæc possunt cum Scripturis sacris. Joh.14,23. *si quis diligit me, sermonem meum servabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & μὴν πρὸς αὐτὸν ποιήσομεν, mansionem apud eum faciemus.* Si quis ME diligit, ait Christus, utique amore summo, ex toto corde, idque voluntarie, quod sententia quam examinamus, non admittit. ME, ait Christus, non distinguens inter essentiam & Personas, ut fit in *Explicat. des Maxim.* Eximius contra *Quietistas*, & alios, qui abstractiones ejusmodi tam ἀγγελίας, quam ἀνὴγγελίας faciunt, præcisionesque, est locus Augustini tract.76. in Joh. *veniunt subveniendo, venimus obediendo; veniunt illuminando; venimus intueno, veniunt implendo; venimus capiendo, ut sit nobis eorum visio, non extranea, sed interna, & in nobis eorum non transitoria mansio, sed eterna.* Eximie quoque locum hunc interpretatur Fulgent. ad Thrasim. R. l. 2. p.m. 188. *Pater & filius simul diligunt, simul veniunt, & apud suum dilectorem simul unam faciunt mansionem, simul se manifestant, quia uno adventus sui lumine NB. cor dilectoris inluminant. Et quoniam revelando se manifestant, non se sine Sancto Spiritu revelant, quia non*

se

se sine Spiritu Sancto manifestant. Rursus: Et ob hoc sicut una est manifestatio, sic una est revelatio Trinitatis, & ubi unum est divina revelationis munus, ibi unus est individua Trinitatis adventus. Meliora hæc sunt Molinosi, Malavalli, & aliorum effatis, quicquid sit de formulis mysticis, quas non contra Scripturas esse decet. Possis etiam dicere, sic amore contemplativo ebrias animas parum abesse ab idololatria, quia *voluntarie* non amant, nisi DEUM ἀνοήτως. Metaphysice contemplando intellectui theoretico quidem præscindere licet, sed in praxi intellectui practico, ob summam DEI simplicitatem, personarum cum divina essentia identitatem, earundemque æqualitatem, illarum quidem ordinem observare, talem separationem vero, & inæqualitatem inferre non conceditur. Persona enim in divinis non est nudus τὸ ἄνθρωπον, sed ipsa essentia certo caractere hypostatico characterizata. Conf. etiam B. Dorsch. Vindic. Interv. pro myst. Trin. c.4. De tali amore, & modo DEUM amandi, Scriptura nil novit. vid. Joh. 5. v. 23. c. 14. 8. Contemplationem amatoriam, si rite se habet, fides debet regere, quæ intra Scripturæ terminos se continet, de abstractionibus ejusmodi, quæ Metaphysicæ sunt speculationis, non sollicita. Nil etiam docent Patres. Dionysium non esse genuinum, dudum nostri probarunt. Præterea amore hoc nonnunquam etiam, dicto libro docente, in eum transferuntur statum animæ contemplatives, ut priventur non solum visu Christi sensibili ac reflexo, sed & simplici ad tempus. Sic enim in *Explicat. des Maxim.* c. 18. p. 194. verba habent, quæ constituunt etiam Propositionem XVII. ex XXIII. quas ex libro hoc excerptas Innoc. Papa XII. novissime d. 13. Martij, hujus anni 1699. reprobavit: *Les ames contemplatives sont privées de la veüe distincte, sensible & reflexive de Jesus Christ en deux temps differens: Additur: Mais elles ne sont jamais privées pour toujours en cette vie de la veüe simple & distincte de Jesus Christ.* Etsi vero quando id contingit dans la ferveur naissante de leur contemplation, ex imperfectione id fieri concedat, & proin omnino opus habeant, ut de Jesu Christo cogitent; attamen quando sunt eadem in summa & pura contemplatione, qua *voluntarie* non feruntur in Christum, de quo modo vidimus, sequitur omnino in tali statu esse constitutas, ut non opus habeant
ulterius

alterius penser de Jesus Christ. Quia de eo tunc non amplius cogitatur *voluntarie*, nisi quatenus à DEO imprimatur.

Ad p. 21. l. 7. post canon. 8. *adde*: Etsi vero ea quæ per bonam & legitimam consequentiam inferuntur, logico jure, & juste, doctrinæ quam quis fovet imputare licet, ita ut valeant, etsi non agnoscantur, sed negentur; contingit tamen etiam interdum, ut melior mens sit loquentis, quam verba, ex quibus aliquid sic infertur. Unde methodo *confusiva*, uti loquuntur, utuntur, ut mutant etiam verba, qui non satis congrue loquuntur, ni absurda dogmata personæ imputari velint, quia non recte in Ecclesia sentire tantum, sed & loqui debemus, urgente Apostolo hoc nomine Timotheum, 2. Ep. 1, 13. *ὑποστύπωσιν ἔχει ὑγιαίνόντων λόγων, formam habeto sanorum verborum.* Librum hinc sæpius allegatum, Parisiis anno MDCXCVII. impressum, cui titulus, *Explication des Maximes des saints sur la vie interieures &c.* dicto Martij d. prohibiturus Innocentius Papa XII. *se eundem ubicunq; & quocunq; alio idiomate, sive quavis editione, aut versione hucusq; impressum, aut in posterum imprimendum, quippe ex cujus lectione, & usu fideles sensim in errores ab Ecclesia Catholica jam damnatos induci possent, ac insuper tanquam continentem propositiones, sive in obvio eorum verborum sensu, sive attenda sententiarum connexionem temerarias, scandalosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, in praxi perniciosas, ac etiam erroneas respective, damnare, & reprobare ait, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione.* Nos vero minime obtrectandi, sed disputandi tantum gratia, & colloquij Academici ergo, hæc posuimus, ferente sic occasione, ea tantum mente, ut, cum publice prostent, leganturque ista scripta, quibus hæ tractantur controversiæ, publicæ etiam de illis non taceant relationes, ubique denique de illis sermones cædantur, satisfaceremus desiderio auditorum, frequenter exquirentium, quid in nostro foro Theologico hic censendum, & qui à vero *anime Sabbatho*, & Spiritui S. *probata sui abnegatione*, famosus iste dicitur *Quietismus*.

Denique, si & *Indice* adjecto aliquod operæ pretium fuit præstitum, debetur id studio M. JOHANNIS JOACHIMI ZENTGRAVLI, P. V.

DE



DE
LAPSU TERTULLIANI
ad
MONTANISTAS.

ARTICULUS I.

De

*Lapsu magnorum in Ecclesia Virorum
Lapsorumq; Charactere Morali.*

§. 1.



Alutare D. Pauli monitum est,

quod 1. Cor. 10, 12. legitur, cum ὡςτε, inquit,
ὁ ἀλοκῶν ἐσθάναι, βλέπετω μὴ πέσῃ, quare qui sibi
videtur stare, videto ne cadat. Nunquam
enim res humanæ tam firmo constitutæ
sunt loco, nulli ut vicissitudini possint esse
obnoxia. Solus DEUS is est, apud quem οὐκ ἐνι ᾧ μεταλλάξῃ,
ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα, non est transmutatio, aut conversionis um-
bra, Jacob. 1, 17. immutabilem tam in melius, ceu infinite
bonum; quam in pejus, ceu per essentiam perfectum. In-
genium etiam humanum tam lubricum est, ut sibi non sem-
per constet, nec eadem semper probet, à seipso etiam dissideat,
seipsumque haud raro decipiat. Unde Ambrosius de fug. sec.
c. 1. laudatus à B. August. de bono persever. l. 2. c. 8. t. 7. Opp.
f. 1268. non in potestate nostra, ait, est cor nostrum & nostra cogitatio-
nes; non incongrue hinc negante Synesio de Regn. f. 10. hominem
esse μονοειδὲς τι, uniforme quid. Mirum hinc non est, homines

A

fuis

suis rebus nonnunquam male consulere, multiplicique imbecillitate laborantes, vesania cum errore obrepente, proveciore etiam ætate labi, quos juvenus præcipitare non potuerat. Accidit hoc non minoribus tantum, sed etiam majoribus, illis qui sibi stare videntur. De omnibus enim verum est illud Polybii l. 14. c. 13. quod *ἡ πλὴν ἰδίαν φύσιν ἀνθρώποι ποτὲ μὲν ἔπι τὸ θεῖον ὀρμῶσι, ποτὲ δὲ ἔπι τελευτήν.*

§. 2. *Qui sibi videtur, ὁ δοκῶν, inquit Apostolus, stare. Non ait qui stat, sed qui, cum stat, & fide etiam vere stat, stare sibi videtur: quo à securitate, & vana firmæ & immobilis stationis persuasionem, nimia sui admiratione remulentos ad sanio-rem mentem reducat, ne gratiam, qua stant, inamissibilem esse existiment. Non enim eum, quem monet, urgetq; Apostolus, præcise est intuitus, ut non stantem revera, qui tantum sibi stare videretur, falsoq; & non recte id arbitraretur. Sed stantem qui sibi videtur stare, hanc ipsam ob causam, quia vere stat, sibiq; vere videtur stare, urget ut videat ne cadat, seq; non opinato casu cecidisse, luctu videat acerbo, ut cum Vener. Facult. nostræ Seniore, Dn. D. Isaac. Faustio loquar, ex Diss. de laps. stant. cavend. §. 20. quæ à prolixiori loci hujus ἐξηγήσει nos absolvit.*

§. 3. Multa tamen etiam cum videntur nobis, quæ non sunt, & contra; & hæc cum non sufficienti judicio discutuntur, falli & labi nos necesse est. Unde Christus mirantibus Pharisæis, quærentibusque Joh. 9, 40. sq. *Μὴ καὶ ἡμεῖς τυφλοὶ ἐσμὲν, num & nos cæci sumus, respondit: Si cæci essetis, si cæcitate vestram agnosceretis, non haberetis peccatum. Nunc vero dicitis: quia videmus; itaq; peccatum vestrum manet.* *Ἄλλο πότε τις* noto, alias caute tamen legendo commentario à *Jeremia Dycke* descriptæ, sub titulo deß *Selbbeitrug* insigne præbuit etiam exemplum Pharisæus in Evangelio *Luc. 18. v. 9. sqq.* cujus characterem moralem, & noxiam stoliditatem, Paulus expressit *Gal. 6. 3.* *Ἐἰ ᾤ, inquit, δοκεῖ τις εἶναι τι, μηδὲν ὄν, ἑαυτὸν φρενα-πειτᾶ, si quis videtur sibi esse aliquid, quum nihil sit, seipsum decipit.* *Conf. B. Dannh. Theol. Consc. P. I. p. 91.* qui hujus stultitiæ etiam esse dicit, *Johannis Baptiste elogia, exempla sibi aptare, & Phariseos, vel Sadduceos imitari, in amulationem & Philautiam declamare,*

clamare, nec suam in se videre. Conjungitur cum hac, ubi radices altas egit, opinionum pertinacia; quæ cum cedere nescit, seipsam tandem dat præcipitem. Proin non abs re B. Augustinus l. 2. de bon. persever. c. 8. in cogitatione, inquit, sua, vel cadit quisq̄, vel stat.

S. 4. Monet hinc D. Apostolus, à lapsu sibi sollicite caveant, quos, cum stant, etiam ejusmodi opinio cepit, ut sibi quoque stare, & procul à lapsu abesse videantur; βλέπω, inquiens, μὴ πέσῃ, videat ne cadat. Theodoretus in Comment. h. l. non male quidem nostrum locum explicat de illo, ὁ πλεὺ γνώσιν ἔχειν ἐπὶ ληφῶς, qui se scientiam habere existimat; sed non sufficienter. Nil enim impedit, quo minus verba hæc accipiamus pro Epiphonemate, quod enarrationi de diversis lapsuum generibus factæ subjicit Apostolus, quo non illos tantum, qui ob scientiam superbiunt, sed etiam quos ob alias res vere possessas nimia sui fiducia laborare contingit, ad suæ, imo humanæ imbecillitatis agnitionem revocare intendit. In omni quippe vitæ genere dantur tales, qui cum sunt aliquid, etiam sibi plus justo tribuendo, alios præ se contemnunt, non in Ecclesia tantum, sed & in Republica: Non quod attinet vitam privatam tantum, & in ea fidem & pietatem cujusque, sed & publicam in statu Ecclesiastico & Politico functionem, & dona hoc nomine necessaria, atque eximia. Usque eo excæcantur haud raro hujusmodi mortales, qui in tali constituti loco sunt, ut cum cogitare debeant, τὰς τῶν ἀνθρώπων ἄπειρονοίας ἀκροσφαλεῖς ἢ δειλάς, cogitationes hominum incertas & fallaces esse, ut loquitur Nicetas l. 4. in Man. Com. vesania abrepti, nihil humani à se alienum esse putare non velint, ab Ethnico Terentio ex Heautontim. corrigendi, si Paulum audire detrectant. Non male Apostoli mentem explicat Theophylact. in Enarrat. h. l. quasi dicat: *Etsi stabilem te permanere arbirreris, cavendum tamen ne prolabaris. Quin etiam hac tua stabilitas nihil habet in se firmitatis. Siquidem etsi tibi consistere videris, non tamen certo es gradu stabilitus. Vel si stabilis fueris, facilis est ex desperatione casus.* Relinquitur ergo stantes in Ecclesia viros etiam cadere posse.

§. 5. Prolixam vero enarrationem exemplorum, quibus ob oculos ponamus lapsus virorum in Ecclesia illustrium, instituire non fert animus; uti nec aliorum, qui postquam virtute & meritis inclaruerunt, cum sibi stare viderentur, atque steterint, infelici lapsu à fide & pietate lapsi, gratia DEI, & vita æterna exciderunt, qualium exemplorum omnis plena est historia. De lapsu tantum magni suo tempore in Ecclesia Viri, & Doctoris, *Quinti Septimij Florentis Tertulliani, Carthaginensis Presbyteri, ad Montanistas*, aliquanto proluxius agere animus est hac exercitatione. Istum enim, & hos ad quos defecit, ut alios Hæreticos, ex instituto it excusatum & vindicatum *Gottofredus Arnoldus*, in sua de Hæreticis Histor. Eccles. non solum ut ægre faciat Doctoribus, qui illis se opposuerunt, sed &, qui scopus est totius operis Viri hujus Historici, ut Fanaticorum hodiernorum, atque Montanistarum recentiorum causam agat contra eos, qui illorum deliriis hætenus contradixerunt; cui proinde etiam, ubi opus fuerit, respondebitur quoad ea quæ præsentis erunt quæstionis, ferente sic occasione.

§. 6, Cæterum operæ pretium fuerit, ut primo ex *Theologia Morali* disquisitio instituatur de lapsu magnorum in Ecclesia Virorum in genere, notatis his, qui sic defecerunt, convenienti *charactere morali*, quem nobis suppeditabit Historia Ecclesiastica. Dolendum vero primis jam, & nascentis Ecclesiæ temporibus, tristes ejusmodi casus contigisse. Referimus huc lapsum *Hermogenis & Phygelli*, de quibus *Paulus 2. Tim. 1, 15.* qui vinculis Apostoli offensi, eum deseruerant; sive male animati Judæorum instinctu erga illum fuerint; sive, quæ *Theodoretus* in Comment. h. l. conjectura est, *Ἐξ τῷ Νέρωνι* & δέ, propter metum *Neronis*, in *Paulum* sævientis, id fecerint. *Tertullianus* de *Hermogene* hoc, quem *Apostolicum* appellavit, quo ab *Hermogene* materiario illum distingueret, verba faciens in l. adv. *Hermog.* sub init. f. m. 335. nec illum in regula perseverasse notat. Plus dicit quam probat *Dorotheus*, *Episcop. Tyri* in Synops. affirmans, *Paulum* in posteriore ad *Timoth.* significare, quod *Phygellus & Hermogenes*, alieno induceto dogmate doctrinæ suæ restiterint. Hoc enim *Paulus* non dicit. *Ἀπὸ ἐξέφρασιν μὲ πάντες*, inquit,

inquit, οἱ ἐν τῇ Ἀσίᾳ, ὡς ἔστε Φύγελλος & Ἑρμογενῆς, *aversi sunt à me omnes, qui in Asia, ex quibus est Phygellus & Hermogenes.* Ex traditione ergo habet *Dorotheus*, quæ refert, non ex scripturis Pauli: Deficientes licet à Doctore suo Paulo, erga quem *manifestissimam*, ut *Theodoretus* rursus l.c. loquitur, *ostenderant malevolentiam*, à doctrina simul ejus defecisse non dubitemus. Alia quæ de his circumferuntur apocrypha sunt, de quibus etiam *Baronius Annal. t. I. ad ann. Chr. 59. n. 20. f. m. 598.*

§. 7. Idem *Paulus* mentionem faciens lapsus *Hymenæi & Phileti*, 2. Tim. 2, 17. sq. λόγος αὐτῶν, inquit, ὡς γὰρ γράσιναι νομὴν ἔξει, *sermo eorum sicut gangrena pastum habebit.* Errorem autem fidei, doctrinæque lapsum mox notans, οἵτινες, addit, πῶς τὴν ἀλήθειαν ἠσέχισαν, λέγοντες τὴν ἀνάστασιν ἤδη γεγονέναι, καὶ ἀνατέσσασι τὴν πινῶν πίσιν, *quod sint qui circa veritatem à scopo aberrarunt, dicentes resurrectionem jam factam esse, & pervertunt quorundam fidem.* De dogmate erroneo ipso, & quo sensu resurrectionem jam factam esse statuerint hi novatores, non in præsentis disquiram prolixius, cum *Theodoretum, Hieronymum, Augustinum* dissentire constet. *D. Joh. Wilhelm. Petersenus*, recens regni Chiliaistici assertor, im besten Grund des in der siebenden Posaunen annoch zukünftigen Reichs Christi/ contra *B. Dn. Caspar. Herman. Sandhagen* Epist. 2. p. 12. sqq. errorem *Hymenæi & Phileti* explicavit de negata ab iisdem *resurrectione fidelium ad regnandum cum Christo.* Verum quod pari facilitate hæc explicatio rejici possit, qua affertur, & non nisi hypothese *Dn. Peterseni* nitatur, ostendit *Dn. D. Ittigius* Append. ad Dissert. de Hæres. p. 27. sqq. Gravem interim, & noxium fidei errorem fuisse necesse est, affirmante Paulo, quod *quorundam fidem illo subverterint*, ita ut *Hymenæum* hoc nomine etiam *Satana* tradiderit, quo castigaretur, nec amplius blasphemaret. Illud ad characterem moralem novaturientium in Theologia formandum noto, quod *Apostolus* scripserit, sermonem illorum *habiturum νομὴν, pastionem*, instar gangrænæ depascentem, & proin γὰρ γράσιναι νομῆς gangrænæ depascentibus similem futurum. Id qua ratione in hæreticos quadret, sic exposuit *Estius* in Comm. ad h. l. *Constat Apostolum hoc velle: sermonem hæreticorum*

rum

rum profana & adulterina docentium, instar canceris aut gangraena serpere; id est, vim sui veneni inter fideles semper longius diffundere, donec universum alicujus Ecclesiae corpus, ut civitatem aut populum, contagio pervaserit, nisi vigilantia pastorum grassanti malo prudenter, & celeriter occurrat. Vaniloquii jam accusaverat Hymenæum Paulus 1. Tim. 1, 6. 20. notans, quod à charitate ex puro corde profecta, & conscientia bona, & fide non hypocritica aberrans, ἐξελήθησε εἰς ματαιολογίαν, aversus sit ad vaniloquium, documento factus homines, quorum cor non est sincerum, facile etiam à fide periclitari, atque cadere. Conf. etiam Baron. Annal. t. I. ad An. Chr. 57. f. 187. Additur his Demas. De hoc Paulus 2. Tim. 4. ψ. 10. Δῆμας, inquit, με ἐγκατέλιπεν, ἀγαπήσας τὸν νῦν αἰῶνα, καὶ ἐπερδύθη εἰς Θεσσαλονικίαν, Demas me dereliquit, dum amavit praesens seculum, & abiit in Thessalonicam: Num ut simulachrorum Sacerdos ibi fieret, quod factum esse retulit Dorotheus l. c. auctori suo probandum relinquimus. Charactere morali hominem notat Apostolus, cum τὸν νῦν αἰῶνα, praesens seculum eum amasse memorat, notans, quo inter alia ingenio praediti sint, fuerintque, quos lapsos in Ecclesia legimus, audivimusque.

§. 8. Apostolis defunctis eo frequentiores hujusmodi lapsus, non ex fece mortalium tantum, sed clarorum in Ecclesia virorum fuerunt, quo major illorum fuerat autoritas, ad continendos in officio novaturientes, atque ad impietates committendas prurientes: Quanquam nec hæc Simonem Magum, postquam credens esset factus Philippo Evangelizante, Act. 8, 5. 12. retinere potuerit, quo minus ad vomitum rediret. Vere autem credidisse hunc, eo minus affirmare dubito, cum testentur Acta Apostolorum, c. 8. ψ. 13. quod crediderit καὶ αὐτός, & ipse, ut cæteri, æque vere, nec minus atque alii Samaritani, de quibus ψ. 12. Sed mox rursus defecit, nefandorum dogmatum & scelerum autor factus. Satis frigide equidem Arnoldus in Hist. Hæret. & Eccles. Tom. I. P. I. l. I. c. 4. §. 4. f. 42. de ejus impietate sentit, cujus patrocinium & defensionem more solito parum abest quin in se, contra ipsos veritatis cœlestis testes, gloriosissimos martyres, suscipiat. Ihme selbs, inquit, Simonis
Mago

Mago scil. gibt man folgende greuliche lehren schuld. Accusatur ergo tantum abominabilium dogmatum; justene & vere; an vero injuste & falso? in medio relinquit. Addit: *Wievvoll meistens auff trevv und glaub deren, die lang nach ihnen gelebet haben, und selten recht einstimmen.* Dubium ergo totam relationem Veterum de hæretici hujus, & ejus asseclarum impietate reddere laborat, fidem horū in medio relinquens, certe parum magnifice de illa sentiens, suoque loco eandem restituens. Atqui testantur ita Martyres gloriosissimi, sanctissimi, minimeque παντολάβοι. Tales sunt *Ignatius*, Petri discipulus, & *Simonis* hujus coætaneus, cui in Epistol. ad Trallens. p. m. 168. audit πρωτόκε & ἀρχεκάκx ὄφεως, *primogenitus antiqui serpentis*, qui que ejusdem de Christo errores in dicta Epist. graviter it confutatum: *Irenæus*, quem *Tertullianus* advers. Valent. c. 5. omnium doctrinarum curiosissimum indagatorem nominare non dubitavit; *Polycarpi* auditor, cujusque ætate, sub *Commodo* Imp. monstrosa ista hæresis complures adhuc habuit asseclas, ut non incognita, multo minus mendacia, vel falsa, gloriosissimum Martyrem, de sui temporis hæreticis scripsisse, certum sit; nec, cum *Ecclesia Lugdunens.* apud *Euseb.* l. 5. c. 4. in Epist. ad *Eleuther.* illum ζηλωτὴν τῆς Διαιρέσεως ἢ Χεῖρῆς fuisse scripserit, ex nimio zelo erga Hæreticos, vero parum congrua exarasse hoc nomine censerit debeat: Et *Justinus Martyr*, qui sub *Antonino Pio* Imp. claruit: Vir consensu Antiquitatis, quatenus illa haberi potest, pius; *Eusebii* judicio l. 4. c. 16. μαθητῶν; & *Photii* elogio, cui antiquitas Ecclesiastica Orientalis melius cognita fuit quam *Arnoldo*, in *Biblioth. f. m.* 162. πολυμαθεία τε ἢ ἰσορροπία περιέρεόμενον πλάτω, *multiplici eruditione & historiæ copia circumfluens*; *Philosophus*, non aniles vulgi fabulas absque judicio admittens, sed cuncta ea qua par est ratione examinans; *Samaritanus* insuper, & sic *Simonis* hujus popularis. Tres profecto hī testes quoad testimonium, quod de hoc Hæresiarcha perhibuerunt, ita comparati sunt, ut Κελική, & conjectura *Arnoldi*, nullo penitus fundamento historico nisa, sed ex nimio studio erga hæreticum hunc, qui in tota Antiquitate pessime audivit, potius profecta,

B quam

quam debito erga gloriosissimos Martyres affectu, veritatem, & fidem illorum historicam, æque atque pietatem eorundem, de jure minime ambiguum reddere possit, quoad facti, quod memorie prodiderunt, substantiam. Tantum abest ut Auctori huic subscribamus, cum B. *Irenæum* suggillans ita loquitur: *So gar, daß man bald bey dieser ersten Secte siehe, vwie ein jeder nach seinen eigenen Einfällen solchen leuthen die schrecklichsten Sachen schuld gegeben, daran jene vvol nicht gedacht haben.* Satis certe confidenter sine omni veritate historica, quam pro se alleget, ex audacia, quam ars historica nunquam probaverit. *Pietaster* nimirum erat hic *Simon*, qui memorante *Irenæo* l. 1. c. 20. fidem simulabat, cujus etiam *Sacerdotes libidinosè vivebant*, eodem explicante, cæterique hujus sectæ, de quibus *Theodoret.* hæret. fab. l. 1. licet, quod *Eusebius* refert H. E. l. 2. c. 13. *οἱ δὲ καὶ αὐτὸν μελιόντες αἵρεσιν, ἢ σώφρονα ἢ ἀφ᾽ ἀκαταρότητα βίης ὡς καὶ πᾶσι βεβοημένω χριστιανῶν φιλοσοφίαν ὑποκενόμενοι,* quicumq; ejus sectam profitentur, se *Christianorum religionem plenam modestiæ & sanitatis amplecti simulaverint.* Maluit hinc idem *Arnoldus* in horum *Pietastorum* gratiam, sine omni sufficienti ratione, & monumento historico, Martyrum, qui ad sanguinem usque contra Hæreticos etiam certarunt, fidem dubiam vocare, eidemque detrahere, etiam *Tertulliano* suo, cujus leg. l. de Præscript. f. 112. sq. & de anim. f. m. 670. quam *Simonianis Pietastris* deesse. Characteres autem quibus hic *Simon* notandus, sunt *Hypocrisis, avaritia, ambitio*; hæc imprimis, *Act. 8, 9, 10.* ipsi etiam *Arnoldo* l. c. §. 7. sq. agnita, lascivia & libido. Conf. hoc nomine *Dn. D. Ittigius Dill.* de hæresiarch. S. I. c. 2. §. 2. sqq. p. 24.

§. 9. Adderem *Nicolaum*, Diaconum, de quo *Act. 6, 5.* & proin magnum in Ecclesia virum, *Stephani* Protomartyris collegam, si exploratum foret, autorem eum esse *Nicolaitarum* istorum, qui in *Apocal. 2, 15.* tam male audiunt: De quo tamen merito dubitaveris ob authoritatem *Ignatij*, coætanei fere ejusdem, in *Epist. ad Trallens.* p. m. 168. edit. *Vossian.* Et si ob *Irenæi*, auditoris *Polycarpi*, amicissimi hujus *Ignatii*, & *Tertulliani* assertum diversum, non dubitem asserere, fecisse vel dixisse

xisse

xisse aliquid Nicolaum; etsi quid fuerit, nemo pro certo exposuerit; quod ab aliis pessime exceptum, ab hominibus male sanis, Simonianis potissimum, explicante Colbergio Orig. Hæres. c. 2. p. 59. sq. usurpatum fuit ad suas impudicitias, & impietates vel excusandas, vel probandas, ipso Nicolao plane invito, & nonnisi contra ejusdem mentem, ut sæpe factum, atque fieri solet. Quis enim absque sufficienti ratione facile sibi tale quid persuaderi passus fuerit de Viro, qui non solum cognitus ceu probus ex asse fuit Apostolico Collegio, quod charismate Spiritus probandi, singulari ratione præditum fuerat; urgente sic Ecclesiæ istorum temporum necessitate; Act. 8, 20. sqq. sed & qui æque μαρτυρέμενος, καὶ πλήρης πνεύματος ἁγίου καὶ σοφίας, testimonio ornatus, plenusq; Spiritu Sancto, & sapientia fuit, atque cæteri ejusdem Collegæ, inter quos, ceu observatum, etiam erat Stephanus. Sic enim non inconvenienter forte quis hunc veterum piorum dissensum conciliaverit. Conf. de hoc autorum divortio etiam B. D. Bebelius, Antiq. Eccles. Sec. I. art. 6. p. 106. Dn. D. Ittig. de Hæres. Sec. I. c. 9. §. 2. sqq. Colberg. l. c. p. 58. sqq.

§. 10. Potius magnorum virorum in Ecclesia lapsorum, post Apostolorum tempora illustre atque triste exemplum præbuit Tatianus. Justinus Martyris discipulus is fuit ab initio, Vir in Ecclesia magnus. Laudatur ab Hieronymo de Script. Eccles. t. I. opp. f. m. 126. b. quod primum Oratoriam docens, non parvam sibi ex arte Rhetorica gloriam comparaverit; Justinus Martyris sectator, florens in Ecclesia, quamdiu ab ejus latere non discessit. Lapsus autem notat, & characterem hominis exprimit æqualis B. Irenæus l. c. contr. hæres. c. 31. Nimirum, uti Græcum gloriosissimi Martyris textum conservavit Euseb. H. E. l. 4. c. 29. μετ' ἧς Ἰουστίνου μαρτυρίαν ἀποστὰς τῆς Ἐκκλησίας, διήμαλτα διδασκαλίαις ἐπαρθεὶς καὶ τυφωθεὶς, ὡς Διόφρων τῶν λοιπῶν, ἴδιον χαρμηκτῆρα διδασκαλίαις συνεσήσατο, post Justinus martyrium absistens ab Ecclesia, & presumptione magisterij elatus & inflatus, quasi præ cæteris esset, proprium characterem constituit. Eundem characterem in eodem observavit Hieronymus l. c. inflatus, inquiens, eloquentiæ tumore, novam condidit hæresin, quæ ἐγκρηπίων dicitur. Ex

fragmento libri ejusdem *περὶ τῆς σωτηρίας καὶ ἀρισμῶς de perfectione secundum Salvatorem*, quod exhibet Clemens Alexandrinus l.3. Strom. f.460. patet, *Pietastrum* quoque eundem & sanctulum egisse, ita ut singularem continentiam & sanctimoniam præ aliis affectans, γάμον φθορὴν ἢ πορνείαν, nuptias corruptelam & fornicationem appellaret, rursus memorante Irenæo l.c. & ex illo Eusebio l.c. Conjunctionem maris & fœminæ rem magis necessariam esse, quam piam, contendit verbis à Clemente l.c. productis, cum ait: Συμφωνίαν μὲν ἔν ἀρισμῶσι περὶ σωτηρίας: Κοινωνία δὲ φθορῆς λύει τὴν ἐνώμιον, consensum quidem (de quo 1. Cor. 7, 5.) conjungit Apostolus orationi: Communio autem sive conjunctio solvit interitus interpellationem. Addit Tatianus: Πάνυ γέν δυσωπηλικῶς ἀρετῆς τὴν συγχωρήσεως εἶργα. Πάλιν ἔπι πτωτὶ συγχωρήσας γυῖατος, ἀρετῆς τὴν σατανᾶν, ἢ πτω ἀκρεσίαν, τὴν πρὸς μένον δυσι κυρίοις μὲν δελόειν ἀπεφῆνατ. ἀρετῆς μὲν συμφωνίας Θεῶ. ἀρετῆς δὲ τὴν ἀσυμφωνίας, ἀκρεσία καὶ πορνεία, καὶ Διαβόλω, admodum certe circumspicte arceat Apostol. scil. per concessionem. Nam cum rursus permisit simul convenire propter Satanam & intemperantiam, pronunciavit eum qui est pariturus, servituum duobus Dominis, per consensum quidem DEO; per dissensionem autem intemperantia, & fornicationi, & Diabolo. Indignius sane de piorum conjugum honesta *σωτηρίας* *Pietastrum* hic nefandus statuere non potuisset. Eat nunc Arnoldus in Hist. Eccles. Hæret. P.1. l.2. c.4. §.39. & ut in gratiam aliorum hæreticorum fecit, ita & in hujus scribat: Die vornehmste Anschuldigung vvider ihn ist diese, daß er die Ehe vor eine hurerey, und verderbtes vvesen gehalten (φθορὴν) vvobey dann mercklich gedacht vvird, vvie er einen unterscheid gemacht habe zwvischen dem alten, und neuen Menschen. Daher ersofflich von jenem geredet, und also die Ehe der unvviedergebohrnen vor sundlich geachtet habe. Plus justo enim pellucet Viri hujus, in cognitione historica minime omnium hospitis, præposterum pro hoc impio *Pietastro* studium in contumeliam Doctorum Ecclesiæ, qui DEI causam, contra hunc hostem Conjugii, quod sanctissimum DEUM habet autorem, Gen. 1, 27. sq. c. 2, 18. sqq. & cujus gaudiis etiam nuptialibus ipse DEI Filius interfuit, Joh. 2, 1. sq. egerunt, *Musani* scil. τὴν ἀληθείας σωτηρίας, veritatis Patroni,

Patroni, Clementis Alexandrini, & Apollinarij Hierapolitani, in Phrygia Episcopi, & Origenis, memorante Theodoro t. IV. opp. Hæret. Fab. l. 1. c. 21. Quos, si credere licet, probabile est, non sic viri hujus mentem cognovisse, & tam exquisitè penetrasse, atque id Arnoldo obtigit. Deinde quod is scripsit *erfolglich, consecrarium*; nos dicimus tale non esse, seu de *consequentia materiali, seu formali*, loqui velit. Non enim id quod intendit sequitur ex vi materiæ. Ad renatos quippe cum Tatiani sermo directus sit, uti illis dissuadeat nuptias, nil id ad se pertinere isti excipere potuissent, si de *irregeneratorum nuptiis*, & quid de illis habendum, Hæresiarcha locutus fuisset. Licet etiam in renatis stantibus concupiscentia non dominetur, Gal. 5, 16. 24. ut in irregenitis; in iisdem tamen adhuc concupiscentia habitat, quæ concupiscere non desinit. Rom. 7, 14. sqq. Gal. 5, 7. Τιμιος interim ὁ γάμος ἐν κυρίῳ, καὶ ἡ κοίτη ἀμίαντος, Ebr. 13, 4. Probet ergo ex historia, quod pernegamus, Dn. Arnold. de matrimonio irregeneratorum tantum locutum esse, illudq; pro peccaminoso habuisse Tatianum. Imo & apud hos per se res honesta est cum propria conjuge concubitus, & actus virtutis moralis. Idem etiam, quod scriptor intendit, non sequitur vi formæ, cum contradictorium consequentis non repugnet antecedenti; nec consequens Arnoldi sequatur necessario vi antecedentis. Certe Abbas ille Gallicus Anonymus, Arvernus, cui ex Amicorum literis cognovi nomen esse Faixdit, qui scripsit *Eclaircissement sur la doctrine, & sur l'histoire Ecclesiastique des deux premiers siècles*, licet §. I. sur les anciens Heretiques, eodem impetu abreptus, quo in Germania Gotofredus Arnoldus, scripserit, *que tous les Historiens ont mal expliqué leurs opinions; quodque intenderit de montrer, qu'on leur attribuoit biens des extravagances, auxquelles ils n'ont jamais pensé & que le Cardinal Baronius, à l'exemple de plusieurs anciens Peres de l'Eglise, & de tous les Historiens modernes, ne leur a pas rendu assez de justice; mais que son zele l'a emporté, comme eux un peu trop loing ces premiers ennemis de l'Eglise &c.* Autor hic, inquam, Gallicus, licet §. 3. p. 34. Tatiani defensionem in se suscepit, & in aliis male accusatum rectè sentire ostendere molitur; cum Rhegis, & Malle-

branchij disciplina etiam Syri hujus doctrinam de *aeternitate materiae* plurimum consentire docens; ad id tamen quod *Baronius* Annal. t. 2. ad ann. Chr. 175. f. 188. Tatianum tam scelerate, ut diximus, de nuptiis statuere, tradit, nil excepit.

§. 11. Ante, & circa *Montani* & *Tertulliani* tempora, uti quæ notavimus in Ecclesia contigerunt, ita nec defunt hujusmodi lapsuum exempla, quæ postea acciderunt. Hoc nomine præaliis memorari meretur lapsus *Origenis*, qui in seculo tertio contigit. Vir in Ecclesia magnus hic fuit, ut proiri consideratio ejusdem lapsus omnibus in memoriam revocare debeat illud Paul. 1. Cor. 10. quo disquisitionem hanc incepimus. Agit de hoc maximi Viri lapsu etiam *Ludovicus Doucinius*, Jesuita, in nupera Historia de Origenismo & Origen. Gallice edita: Etsi interim me non lateat, diversa, apud Veteres etiam, fuisse de Origene judicia, de quibus B. D. *Bebel.* in Antiq. Eccles. Sec. III. p. 482. Non minus etiam, quod tamen non est cur miremur, *Sandius* prolixus est in recensendis Veterum laudibus *Origenis* hujus, & probando dogmate ejusdem Anti-Trinitario, in tract. de Veter. Script. Ecclesiast. pag. 157. sqq. addens p. m. 174. si quæ in scriptis ejus inveniuntur, quibus ὁμοῶς confirmetur, ab interpretibus addita esse. Verum plures alii summi hujus quondam Viri notarunt errores. Non olim tantum *Epiphanius* & *Hieronymus*, sed & insequentibus, prioribusque temporibus, ne de *Baronio* quid dicam, ex tom. 2. Annal. ad Ann. Chr. 232. f. 376. §. 10. nostrates *Magdeburgenses* Centur. 3. c. 10. f. m. 261. sqq. quos sequuntur *D. Hoë* in Comment. in Apoc. c. 8. f. 283. qui ibid. f. 273. per stellam è caelo cadentem, de qua Apoc. 8, 10. *Origenis* lapsum significatum fuisse contendit; *D. Dannhavver.* in Christeid. p. 353. Licet nec olim etiam defuerint, qui *Origenis* causam agerent, uti fecisse constat *Pamphilum Martyrem*, qui in Apol. pro Origen. quæ legitur t. 1. opp. Origen. f. 479. interprete *Ruffino*, de eodem memorat, quod *purae religionis observaverit disciplinam, & præceteris verbo DEI, & doctrinae operam dederit.* In ejusdem gratiam etiam *Ruffinus* scripsit de depravatione librorum *Origenis.* His multum recentior *Gilbertus Genebrardus*, editor operum *Adamantii* in
Col-

Collectan. de Origen. vita, operib. &c. in illius favorem ita loquitur: *Ceterum quanquam talis, tantusq; esset Origenes, gravem tamen laborum suorum jacturam passus est fraude, ac vitio hæreticorum: quia omnia ejus opera innumeris hæresibus contaminant, ut sub prætextu ac favore nominis Origenici imprimis, cogitationes suas facilius persuaderent, & carius venderent. Quam Hæreticorum adulterationem multi vel non animadvertentes, vel auctoris crimen id esse magis, quam hæreticorum depravationem credentes, Origenem cum operibus suis inter Hæreticos rejecerunt. Laudo Genebrardi studium quidem pro summo & incomparabili viro, & Heroicis donis divinitus instructo; sed non persuadet id quod persuasum cupit. Sit, quod Hæretici adulteratum iverint Origenis scripta: Qui, cum eadem etiam Orthodoxis legerentur, & non minus horum quam Hæreticorum manibus frequentarentur, ejusmodi universalis operum eorundem corruptio fieri potuit, ut de illa nil certi innotuerit; vel genuina exemplaria cunctorum manibus & Bibliothecis ita excuterentur, ut nullibi pura remanserint, atq; superfuerint, sic ut hodie non nisi corrupta ubique extent? Videatur etiam diversimode sensisse circa unum & idem dogma; æque facile sane lapsus hinc Viri, atque corruptionis scriptorum ejusdem, argumentum petere liceat. Sit etiam, quod Origenes questus sit de corruptis ab Hæreticis suis scriptis: In eo tamen Baronio l. c. notante f. 376. n. 10. minus excusatione dignus esse videtur, quod cum sciret sua ab omnibus impugnari, retractatorum nullum ediderit commentarium; cum ipsi tamen satis otij & temporis superfuerit, ut ad omnes Catholica fidei numeros, qua à se scripta essent, attemperaret. Idem ex nostris B. Kortholtus urget in H. E. sec. III. p. 70. §. 6. Non enim semper sufficit verbis dissensum significare, si alicujus scriptis vel factis Fanatismus, vel Hæresis, non absque ratione imputatur; scripto etiam ut id interdum fiat, necessitas Ecclesiæ nonnunquam requirit.*

§. 12. Cæterum cum tantus vir fuerit Origenes *πλουμα-
 Ησαίῳ*, merito quæritur, quæ causa ejus lapsus fuerit. Vincentius Livinensis, in l. contr. hæres. c. 23. tribuit id insolentia, nimiaque sui fiducia. Origenes, inquit, *tantus ac talis, dum gratia*
 DEI

DEI insolentius abutitur, dum ingenio suo nimium indulget, sibiq^{ue} satis credit; cum parvi pendit antiquam Christianæ religionis simplicitatem; dum se plus cunctis sapere præsumit, dum Ecclesiasticas traditiones, & veterum magisteria contemnens, quadam scripturarum capitula novo more interpretatur, meruit ut de se quoq^{ue}, Ecclesia diceret: si surrexerit in medio tui Propheta &c. Nimirum Philavian, mentem occæcantem, præcipitem dedisse Originem, significare vult scriptor hic Ecclesiasticus. Non abit Epiphanius, cum de lapsu Origenis, ratione doctrinæ, sic censet Hæres. 64. t. I. opp. f. m. 526. Συμβέβηκε αὐτῷ τὸ τὴ πολυπλοκίας εἰς μέγα πῶμα, doctrinæ vis ac copia ruina illi ac calamitatis occasionem dedit; majori ratione & meliori jure hoc objiciens Adamantio, quam Act. 26, 24. Festus ad Paulum, μαίνῃ, inquit, Παῦλε, τὰ πολλὰ σε γεγραμμένα εἰς μανίαν περιτέπει, insanis, multa tua litera in insaniam te avertunt. Explanat assertum Epiphanius, addens: Ἐξ αὐτῶν γὰρ σκοπῶν βελόμηθη μηδὲν τῶν θείων γεγραμμένων ἕασθαι ἀνερμηνεύσασθαι, εἰς ἐπαγωγὴν ἑαυτὸν περιβάλλειν ἀμαρτίας, καὶ θανάσιμα ἐξηγησάσθαι ῥήματα, nam cum ut sibi proposuerat, nullam sacrarum literarum partem, quam non explicaret, omittere vellet, ingens se peccatum commisit, ac mortiferas quasdam voces exposuit. Nimirum quod 1. Cor. 8, 1. Apostolus monuit, γνώσις Φυσιῶν, ἢ δὲ ἀγάπη οἰκοδομῶν, scientia inflat, dilectio autem si quando scil. illa accedit, adificat, idem hic accidit. Nisi enim plus justo vir admirandus, tam Christianis quam Gentilibus, ipsius Porphyrii judicio apud Vincentium l. c. sibi placuisset, & scientiæ persuasionem inflatus nimia sui laborasset fiducia, non ita lapsus esset, à puritate doctrinæ, quam Catecheta per complures annos Catechumenis traderat, deficiens, Platonismumque cum Christianismo commiscens. Magna interim in Ecclesia DEI tentatio fuit hic Origenis lapsus, & tanto major, quanto doctior ille fuerat, qui erraverat. Vere, inquit hinc Vincentius Lirinensis contra hæres. c. 23. non solum tentatio, sed etiam magna tentatio, deditam sibi atque in se pendentem Ecclesiam admiratione ingenij, scientiæ, eloquentiæ, conversationis, & gratiæ nihil de se suspicantem, nihil se verentem, subito à veteri religione in novam prophanitatem sensim paulatimq^{ue} traducere. Pluribus id exaggerat Bar-

ronius

ronius Annal. t.2. f.512. n.43. *neminem pene esse contendens, qui Origenis tentationi valeat comparari.* Docemur autem magnos, imo summos viros, lapsui & erroribus obnoxios esse, nec quantumlibet clarum & eruditum virum sequendum esse, nisi sacrorum literarum vestigiis insistat, præsertim ubi nimis suo confisi ingenio, & doctrina, à fidei simplicitate deficiunt, & ob donorum præstantiam atque excellentiam insolescunt; quæ & ex nostratibus *B. Hoëi Comm. in Apoc. c.8. f.283.* ex Pontificiis autem Cardinalis *Baronij l.c. n. 42.* utilis admonitio est. Præter *lapsum hunc doctrinæ,* etiam alium vitæ & pietatis *lapsum* nonnulli Origeni attribuerunt, de quo *Epiphani. t.1. advers. hæres. hæres. 64. f. 525. Nicephor. H.E. l. 5. c. 33.* Fingunt enim Deciana persecutione, cum tormentis non vinci posset, è vinculis ad aram adductum, ubi obscænus, impudicusque Æthiops collocatus erat, ad stuprum corpori illius inferendum, nisi mallet sacrificare. *Hoc ubi se facturum assensus est, thus in manum illius impositum in subjectum ara forum excussisse etiam Gentiles asseritur.* Sed rectius forte pro Gentiliis habetur calumnia, quod sic refertur, quantis insuper difficultatibus hæc traditio prematur, explicante *Baronio Annal. ad ann. Chr. 2053. n.120: Vindicare licet conetur Epiphaniij fidem Petavii Animadvers. in Epiphani. f. 258. Conf. Spanhem. Introd. ad H.E. p.88. & Huet. in Origenian.*

§. 13. Subjicimus flebili huic lapsus exemplo, ex seculi quarti Historia, ruinam *Arij,* quam in Apocalypsi c. 9. *ψ. 1.* per stellam de cælo lapsam nonnulli intellexerunt. Presbyter is fuit Ecclesiæ Alexandrinæ, quæ dicta fuit Baucalis, & *Theodoro memorante Hist. Eccl. I, 1. τῶν θεῶν γροφῶν πεπεσσομένη ἐξήγασεν,* sacrarum literarum interpretationi præpositus. Vir fuit acuti ingenio præditus, callidus, & magna spirans, horribili lapsu *χειρομαχῶ,* & autor execrabilis hæreseos factus. Cum enim, ut loquitur *Athanasius;* cujus beatos manes satis irreverenter & inique tractat *Arnoldus H. E. Hæret. P. I. l. 4. c. 4. §. 11.* maligne complura, quæ de illo referuntur, nec ad mentem scriptorum, accipiens; cum, inquam, *Athanasio* explicante advers. *Arian. Orat. I, f. 300, cetera hæreses aut circa corpus*

C Domi-

Domini, ejusq; humanitatem, hæ quidem ad istum modum, alia rursus ad illum modum mendaces aberrarent &c. αὐτὴ ἡ μὲν, μανικώτερον εἰς αὐτὴν Θεότητά τετόλμηκε, λέγουσα μηδὲν εἶναι τὸ λόγον, μηδὲ τὸ Θεὸν πατέρα εἶναι, hæc sola omnium in ipsam Deitatem impingit, cum Verbum ne semel quidem esse permittat, aut DEUM Patrem existere. Satis proinde, cum de hæreseos, & hæretici hujus impietate constet, quis mirari non possit eundem, cujus modo mentio facta, Gotofredum Arnoldum, quod hujus Arii potius, quam Alexandrini Episcopi Alexandrini, & Athanasii causam agere, & in istius potius, quam horum favorem scribere maluerit in H.E. & Hæret. P. I. l. 4. c. 7. §. 6. Arguit enim Alexandrum tacite ingratitude erga Arium, ex Philostorg. l. 1. c. 3. quod cum post mortem Achillæ, in electione novi Episcopi Alexandrini, suffragia in Arium inclinarent, Arius Alexandrum sibi prætulit, eiq; vota sua cesserit, & donaverit; ceu immemorem hujusmodi benignitatis. Etsi vero etiam Sandius Enucl. Hist. Eccles. l. 2. p. m. 6. hoc de Ario referre non dubitaverit, cujus vestigia hic Arnoldus legit, fidem tamen hæc Philostorgij relatio non meretur. Cum enim Arius vivo adhuc Petro, Episcopo Alexandrino, & Martyre, à quo Diaconus factus fuerat, jam non recte de SS. Trinitate statuerit, Meletii assecla insuper esset, cum eodem fuit excommunicatus. Niceph. Callist. H. E. l. 8. c. 5. Sozom. H. E. l. 15. add. Epiph. an. t. l. hæc. 69. f. 729. Pietastri autem & Separatistæ fuerant hi Meletiani, qui enarrante Augustino l. de Hæres. c. 48. noluerant orare cum conversis, i. e. eis qui in persecutione ceciderant, vel schisma fecerant. Fuit equidem Arius ab Achilla, Petri successore, erroris impetrata gratia receptus iterum in Ecclesiam, eodem memorante Nicephoro l. c. Quis vero credat Philostorgio, post Achillæ obitum; qui Theodoro scriptore, H. E. l. 1. ὀλίγον χρόνον προυΐση, ἢ τὰ τὴν ἐκκλησίας κατέχευε πηδάλια, ad exiguum tempus præfuit, & Ecclesiæ clavum tenuit; faverit licet ipsi Achillas, Arium, hominem de fidei sinceritate merito suspectum, cum novi Episcopi electio institueretur, brevi sic omnium rursus gratia floruisse, ut de Episcopatu in eundem conferendo plerique cogitaverint; cum eventus insuper docuerit, malitiosi ingenii hominem virus suum

suum retinuisse, & data occasione, quam quæsierat, venenato fœtore evomuisse.

§. 14. Operæ pretium vero me facturum existimo, dum hæc noto, si specimen etiam exhibuero allegationum ab ab *Arnoldo* perverse, & pessime factarum, quibus totum fere opus scatet, cum summa autorum qui citantur injuriis, & contra mentem illorum. Scripserat is, ut vidimus, à *Philostorgio* seductus, debuisse Alexandrum Ario Episcopatum Alexandrinum, ceu qui isti vota sua cesserat; additque, propterea hunc ab initio isti pergratum, & apud eundem in honore habitum fuisse: Und deswegen wurde (*Arius*) von ihm (*Alexandro*) erstlichen sehr werth und in ehren gehalten; provocans ad *Epiphan. Epist. fidei c. 13.* (puto legi debere *Exposition. fidei*) & *Sozomen. H.E. l. i. c. 15.* Verum quod *Epiphan.* attinet, in *Exposit. c. 13.* in mea editione *Petaviana*, id quod fingitur, invenire nondum potui. *Sozomeni* autem locum quod attinet, hoc tantum dicitur, quod, postquam *Arius* ab *Achilla* ad *Presbyterij* gradum elatus esset, *Alexander* eum permagni aestimare ceperit. Altum vero de hoc est silentium, quod id fecerit ille, quod *Arius* eidem sua suffragia donaverit. Ita solenne est *Arnoldo*, quæ apud scriptores rerum Ecclesiasticarum legit, in alienum sensum detorque.

§. 15. Omnem præterea lapidem movet *Arnoldus*, ut corradat ea, quæ ad invidiam *Alexandro* conflandam, causæque *Arii* præ causa alterius gratiam conciliandam, aliquid facere videri queant, pessime quæ iste dixerat, & fecerat, cuncta interpretatus. Quod inter *Presbyteros* & *Diaconos*, viros satis doctos, & acris ingenii, quales *Arius* & *Athanasius* fuerunt, *Alexander* Episcopus, vir & ipse eruditus, urgente *Hæreticorum*, *Sabellianorum*, *Samosatensianorum*, & aliorum πνευργία, & quidem τοῖς θεοῖς λόγοις ἐπόμενος, divinis scripturis insistens, ut loquitur *Theodoretus* H.E. l. i. fervore, quo & *Paulus* incensus fuit 1. Cor. 16. ψ. 22. ardens, vehementius contra eosdem, & copiosius; hoc enim vult φιλοτιμότερον, non necessario ambitiosius, ut maligne interpretatur *Arnoldus* l. c. §. 6. ὁμιλίμων ἑ Πατρὸς ἡ υἱόν, καὶ αὐτὴν ἑστίαν ἔχειν τῷ γεγεννημένῳ Θεῷ, filium

filium Patri honore parem, & eandem cum genitore DEO substantiam habere, quæ rursus Theodoretus l.c. verba sunt, affirmaret, & sic de Trinitate, inq̄, eadem unitate differeret, Socrate H.E. l.3. explicante; hoc nomine Pietastri sui Arii, Meletiana hypocrisis infecti, causam agens hic Patromastix, objicit Alexandro phantasmata Philosophica, Philosophische Grillen; ineptias, unnütze Fragen und Sachen welche man auff die Bahn bringt. Arguit eundem, omni fide historica licet destitutus, daß anstatt, daß er als der Vorsteher seine Collegen hette von aller schvveren pflicht, zu besserung der grossen Gemeine in Alexandria, bey ihren Versamlungen erinnern sollen, er angefangen von dem Göttlichen vvesen seine speculationes vorzutragen und zu philosophiren. Hocine vero est suas speculationes proponere, philosophicisq̄ cogitationibus indulgere, si quis ex verbo DEI contra grassantes Hæreses mysteria divina, de vera J.C. Deitate, ex scripturis it explicatum. Fecisse hoc Alexandrum docet Theodoretus. Probet Arnoldus ex scriptore æque probato contrarium. Probet etiam, defuisse vel in isto conventu, vel in alia congregatione Ecclesiastica, Alexandrum muneri suo in admonendis Collegis, ut sollicitam curam gerant illorum, quæ ad παιδείαν, h.e. vitæ morumque correctionem pertinent, 2. Tim.3, 16. Caritas quidem cæca non est, interim tamen etiam non est suspicax, 1. Cor. 13, 7. Iniquis, omnique charitate destitutis conjecturis ulterius indulget censor, cum ex mera ambitione, lauter Ehrgeitz / superbia & fastu, & quod videri volebat, de Unitate & Trinitate disputasse Alexandrum contendit, cum τὸ φιλομήτερον non necessario sic maligne velit, ceu jam monuimus, explicari. Contradicit Arnoldo rursus Theodoretus, qui l. 1. H.E. c.1. ἀξιέπικρον πολίλειαν, laudabilem conversationem isti tribuit, sicut Arius eandem intuens, non habuerit, quibus illum calumniis appetere. Vita ergo prout fuit sanctus, ita religione & doctrina Orthodoxus. Testatur enim rursus Theodoret. l. c. quod ἡνὸς ἑὶ θεολογικῶν δόγματων πρῶτος & σωτήρ, egregius & acerrimus evangelicorum dogmatum propugnator, & vindex fuerit. Ruffino H.E. l.1. idem dicitur fuisse natura lenis & quietus; Socrati autem H. E. l.3. animo securo & tranquillo vitam degisse.

Hæc

Hæc testimonia, & elogia, non solum in ruborem dant *Arnoldi* obrectationem, qui malignis suis conjecturis & criminationibus, homine Christiano, & sincere, non fanaticè pio indignis, nimis hesternus est, quam ut tanto Ecclesiæ lumini, & Deitatis *JESU CHRISTI* assertori eximio, vocet licet ejus vindicias contra *Arium* ein unfruchtbar Wort. Gezant/ officiat: Sed & *Alexandrum* invitum ad certamen hoc pertractum evincunt. Inique hinc etiam eundem l.c. §.7. *calidis* in primo certamine *affectibus actum* garrit obrectator, quibus obstrepentibus *Arii* exceptionibus *satisfacere parum, vel plane non satisfacere potuerit*. Fingit enim id non tantum studio erga *Arium*, sine fide historica; sed & tum demum *iracundia cœpisse exardescere* *Alexandrum* scribit *Socrates* l.c. cum plures, Episcopos etiam, in suas partes hæresiarcha pertraxisset, explicante *Theodoro* l.c. quam impigre hac in re se is gesserit. Et qua fronte, audet hujus generis infrunitis accusationibus petere virum in fontem, & Episcopum vigilantissimum? cum *Sozomimus* H.E. l.1. c.14. scripserit, fuisse nonnullos, *Alexandrum* reprehendentes, quod *Arii* dogma non statim refutasset. *Nonnulli, inquit, accusabant Alexandrum, quod has novas adversus Christianam religionem opiniones, contra quam debuerat pertinere. At ille fecit hoc, ratus multo satius esse, ut rationes de rebus ambiguis ab utraq; parte proponerentur, quo videretur adversarios non necessitate cœgisse, sed persuadendo ad desistendum à contentione induxisse.* Arguit eundem partialitatis usurpatæ contra *Arium*, quod Ecclesia eidem interdixerit, & *autoritate Episcopali* istum oppressum iverit; licet conventu multorum Episcoporum convocato, more in Ecclesia ista tempestate recepto, id fecerit *Alexander*, memorante *Socrate* H. E. l. 3. *Malitiæ & furori hominis quod obicem idem posuerit, ne liberius grassari pergeret, sub persecutionis invito nomine, & crimine, Arnoldus traduxit. Pro Ario vero, homine callido, & ad fraudem acuto, aperte rem iste gerit, cum exorti certaminis culpam exiguo fundamento in eundem transferri posse confidenter affirmat, quod Sabelliano errori tantum, quem Alexandrum fovere suspicabatur, & se credere præ se ferebat, contradicere hunc in animo habuisse fingit; tacite*

C 3 mala

malæ fidei historicæ reos faciens non tantum *Theodoretum*, qui H.E. l. i. *invidia aculeis* agitatum scribit *Arium*, ob prælatum sibi in Episcopatum *Alexandrum*; sed ipsum etiam *Eusebium Cæsareensem*, qui historiam, & causas hujus certaminis longe melius *Arnoldo* cognovit, *Arianorum* etiam, quod idem non negat l. c. §. 16. aliquandiu Patronus ab initio fuit, similiter τὸ φθόνον βασιλευσιν livorem *invidia* hic accusantem, de Vit. Const. M. l. 3. c. 4.

§. 15. Dicat vero quis: Quæ causa hujus pro *Ario* studii, & rigidioris justo censuræ actorum *Alexandri*, ejusque zeli in re tanti momenti, & laborum pro asserenda Filii DEI divinitate adversus *Diaboli* furorẽm rite susceptorum? Non repugnabo, si quis dixerit, vel conjecerit, fecisse hoc *Arnoldum* ex frigido, & plus justo remisso zelo pro doctrina fidei, majorique studio pro vitæ exterioris sanctitate, h. e. ut hodie loquuntur, pro *Pietismo* fanatico, vel superstitioso. Quo titulo absit, ut genuinum *Pietatis* studium, quod fidei in *JESUM CHRISTUM* fructus est, prosequar. Totum enim hujus viri opus historicum, & novissimæ ejusdem partes, *tertia* & *quarta*, satis ostendunt, longe majoris illi aestimari vitam externe sanctam & piam, quam doctrinæ fidei integritatem. Unde majoris etiam illius assertores aestimat, fanatici licet sint, quam hujus. Hinc ejus etiam pro *Ario*, & *Arianis*, studia improba & præpostera, quos *Pietastros* fuisse, *Historiæ Ecclesiasticæ* monumenta nos dubitare non sinunt. Nil de eo dicam, quod se associatum irent hi *Meletianis*, & *Meletio*, *Sozomen*. H. E. l. 14. qui *Pietastri* fuerant; *Epiphanio* hæc. 69. §. 3. in horum primipilo notante πειθαρχία ἐπιλοδοκαιοσύνης, affectatam cujusdam justitiæ speciem; & suo *Pietismo* præpostero, ceu testatur, & queritur hoc nomine *Concil. Nicænum* literis ad *Eccles. Alexandr. Ægypti, Libyæque* &c. incolas datis, apud *Socrat*. H. E. l. i. c. 6. *Ecclesia statum perturbaverant*: Etiam *Epiphani*. l. c. monente, quod *Μελέτιος* (*Meletius*) ἐπιπροσώπων τῷ Βίῳ. Satis constat, specie pietatis, pacis & concordiæ, quam præ se ferebat, *Arium* etiam *Episcopos* specie bonæ vitæ graves, in suam pertraxisse sententiam, *Sozomeno* rursus explicatum, H. E. l. c. Add. *Epiphani*.

*Epiphan. l. c. & quæ de speciosa Pietate Arii ex Philostorgio refert B. D. Bebel. Antiq. Eccl. Sec. IV. t. I. p. 1218. Ubi etiam explicat, quali zelo pietatis ipsius Asectæ orthodoxos variorum scelerum insimulaverint, quasi non de doctrina, sed personarum sceleribus tantum, vel potissimum ageretur, quo in Conciliis primo quæreretur de personis, tum de doctrina, quod hanc ultro corrui turam crederent, doctoribus invisis, vel è medio sublatis. Rectius verò censuit Liberius, orthodoxus Romæ Episcopus, uti laudatur Athanasio t. I. opp. Ep. ad solit. vit. ag. f. m. 832. qui iuter alia quæ Imperatori Constantiò renuntiare iusserat, hæc quoq; dixit: ἡ πρῆπι περκείνεαδχ περρίγμα-
 ΙΘ ἐξέτασιν τῶν περρί πίσεως ἐξετάσεως. χη ἡ πρῶτον πᾶσαι περρί τῆς πίσεως Διαφωνίαν ἐκκλήσιου, χη πτε τῶν περρί τῶν περρί γμάτων ἐρδναν ποιήσιν, fas non esse (in Synodo) prius questionem de factis alicujus, quam de fide religionis haberi. Primum enim omnis fidei discordia rescindenda est, & tum questionem de vitiis fieri oportet. Ariano- rum artes parum pias potius, quam Liberii modum agendi, etiam Arnoldus in Opere suo Historico videtur probare.*

§. 16 Cæterum Arium tam horribiliter lapsum esse, tantosque in Ecclesia motus excitasse, hominem DEI timorem destitutum, non est cur miremur. Non prolixè urgebo locum Epiphanij contra Arnold. cum hunc isti parum fidei his in rebus tribuere sciam. Refert enim ille, quod Arius fuerit κατηφής τὸ εἶδος ἐρημαλισμῶν ὡς δόλιος ὄφεις ἐποκλέψαι διωά-
 μιν πᾶσαι ἀκακὸν καρδίαν, Διχῆ δὲ αὐτῆς πανόργη περρί γμάτῃ, tristioris specie, totaq; corporis configuratione subdoli serpentis instar, ad fraudem & fallaciam composita, ita ut callido illo externoq; habitu facile simplicioribus animis obreperet. Additur, quod γλυκὺς τῆ περρί σιχελία, πένων αἰεὶ ψυχὰς χαι θωπῶων, in colloquiis ac saluta-
 tionibus imprimis blandus fuerit, atq; omnium adulationum illecebris devinctos tenuerit. Ad exteriorem vitam socialem quidem talia pertinent, & si conveniens μεσότης in illis, quæ hujus generis sunt, observatur, & quod vitiosum, omittitur, suum habere quidem locum virtutes homileticæ possunt; sed de Ario eventus docuit, quod sincera pietate, & sic etiam morali honestate neglecta, ad malos fines artes homileticas adhi-
 buerit,

buerit. Simulator fuit, & dissimulator insignis. Excurre-
 re enim solebat cum suis ad orthodoxos, *χήματι μὲν εἰρήνης καὶ*
ἐνώσεως ἀξιώσιν ὑποκρινόμενος, τὸ δὲ ἀληθὲς στωαρπάζου πινὰς αὐτῶν
εἰς ἴδιαν νόσον διὰ χρησολογίας πωδάζων, per speciem quidem ex-
petenda pacis & concordia, revera autem ut aliquos illorum per sermo-
nis lenocinia in erroris sui contagionem pertraheret, ut loquitur
Alexand. Alexandrin. Ep. ad Alex. Constant. apud Theodor. H. E.
l. i. c. 3. al. 4. ad. Sozomen. l. i. c. 14. Notarunt verò in eo-
 dem non solum calliditatem, & versutiam, adulandique, se
 insinuandi, *Epiphan. l. c. f. 730.* & fallendi artes, sermonis de-
 nique blandimenta, de quibus etiam *Baronius t. 3. Annal.*
f. 209. sq. f. 191. f. 454. sed simul etiam superbiam, atque fa-
 stum, qua Alexandrum in Episcopatu sibi praelatum ægre tu-
 lit, *Theodoret. H. E. l. i.* Æmulatio hinc orta est, atque ar-
 rogantia, qua Arius & asseclæ neminem ex antiquis secum compa-
 rari passi sunt, *Theodor. l. 3.* Invidia etiam, *cujus aculeos, quibus*
stimulabatur, non ferens, ἀφορμὰς ἐειδὼ ἐπιζήτη καὶ μάχης, con-
tentionis & discordia materiam aucupabatur, ibid. l. i. c. 1. Studio
 contentionis, ex quo acerbe, aspere, se Alexandro opposuit,
 quo Sabellianismi suspectum redderet, quod etiam notavit
Socrates H. E. l. 3. accessit Pertinacia, de qua *Sozomen. H. E.*
l. i. 14. quæ fecit ut semel mente concepta mutare noller,
 maximæ licet in Ecclesia inde exorirentur turbæ. Ne dicam
 quod factiosum habuerit ingenium. Cognoscitur hoc ex inde,
 quod *Theodoreto H. E. l. i.* memorante, dogmata sua in Ecclesia
disseminare non cessavit, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἔξω συλλόγοις, καὶ στωεδείοις,
sed foris etiam in circulis hominum congressibus. Mulieres etiam in
 suas partes pertrahere laborabat. Hinc *ταῖς οἰκίαις περιουσίως,*
domos circuiens, quotquot poterat in laqueos inducebat; Theodor.
l. c. sed & septingentas virginitatem professas ab Ecclesia abstractas
 in unum contraxit, *Epiphan. hæc. 209. f. 729.* Sic intus
 malè dispositum externo impellente lapsum
 esse, non est, ceu dictum, cur
 miremur,

)(



DE
LAPSU TERTULLIANI
ad
MONTANISTAS.

DISP. II.

§. I.



Characteres magni in Ecclesia Hæresiarchæ, Arii, nuper consideravimus. Magistro non dissimiles fuerunt discipuli, Eusebius Nicomediensis imprimis, quem Constantinus M. in Ep. contra Arium & assecl. ad Nicomed. exarata, quam cum aliis exhibet Socrat. H. E. l. i. c. 6. propter versutiam, & improbitatem vehementer reprehendit. Nimirum quod non solum Arianismi sordibus se infecisset, verum etiam tum partibus Licinij tyranni antea favisset, tum suis conatibus per insidias restitisset. Simulator fuit & dissimulator maximus, ceu, ne de aliis hominis actionibus quid dicam, id satis patet ex libello pœnitentiæ, ad Episcopos missio, quo se fidei Expositioni Nicænæ assentire, dolose præse tulit, homo vafer, Arianae impietati per omnia addictus. Ab Imperatore tamen, cui imposuerat malis artibus, in magno honore post habitus, ob fictam, quam sinceram credebatur Constantinus, conversionem ad rectam fidem, hæresi cum odio capitali adversus Athanasium conjuncta, cum ad fidem, quæ Nicænæ confirmata fuerat, & ad ipsum Athanasium evertendum, nihil omiserit inexpertum, prolixius explicante Socrat. H. E. l. c. 17. Homo factiosus, mendacis & calumniis rem agens. Sed missis his, de quibus etiam

Spanhem. Introd. ad Hist. Eccles. l. 4. p. 118. D. *Bebelius* Antiquit. Eccles. sec. IV. art. 10. sect. 2. §. 40. tom. II. p. 1009. *lapsum Liberij, & Hosii, summorum quondam Virorum, potius intuebimur.*

§. 2. *Lapsum itaque LIBERII, Episcopi Romani, viri vere magni, & supra nobis etiam laudati §. 15. quod attinet, res sua non destituitur controversia. Quæ Larroquanus in dissert. de Photin. & Liberio diss. 2. p. 119. sqq. de pio erga Athanasium, cæterosque fidei Nicenæ assertores, studio Liberij, ejusdemque zelo, fide, religione, constantia, invicta etiam diu animi fortitudine, cæterisque viri hujus admirandis virtutibus, prædicavit, minime negamus; de quibus etiam scriptores rerum Ecclesiasticarum prolixius consulendi. In exilium sane ire maluit, quam innocentem damnare Athanasium. Colloquium quod hoc nomine cum Constantio Imperatore habuit, & heroicam ejusdem *περρησίαν* in innocentis defensione, refert *Theodoretus* H. E. l. 2. c. 16. Nec penitus de actis his tacuit *Gentilis* homo, *Ammianus Marcellinus* l. 15. c. 18. Ethnico licet iudicio rem enarrans; quam meliori stylo exposuit ipse *Athanasius* t. 1. Epist. ad solitar. vit. agent. f. 832. sqq. Ast qui adversus dona & minas, iram denique Imperatoris, invictus diu steterat, confessor gloriosus, miserabili postea lapsu suo imbecillitatis humanæ flebile dedit exemplum, à qua ne hodie Pontifex Romanus se eximat. Ὁ Λιβέριος ἐξοριθεὶς, ὑπερον μὲν διετὴ χρόνον ὠκλάσε καὶ φοβήθεις τὸ ἀπιδέμενον θάνατον, ὑπέγεγεν, *Liberius post exactum in exilio biennium, inflexus est, minisque, mortis ad subscriptionem inductus est, ait Athanasius* l. c. f. 837. Factum id est Sirmii. Actum vero quid hic fuerit, & num in Synodo contra Photinū habita duæ, vel tres *fidei formula* prodierint, quæliq; *Liberius, Pontifex Romanus, subscribens Semiarianis* se hoc factō adjunxerit, usq; eo acriter disceptatur, ut ipse etiam *Petavius Animadvers. ad Epiphan. hæc.* 73. f. 306. fateri necessum habuerit, *acta ista Sirmiensa, & tempora, sic apud Veteres pariter & recentiores esse confusa, ut nulla historie pars impedita magis & difficilis appareat: Imo abhinc mille & ducentis propemodum annis liquidam & sinceram illorum rationem ignoratam fuisse. Nos difficultates istas à præsentī instituto abesse quidem jubemus, addimus**

dimus

dimus tamen, tres istas confessiones, quas nonnulli inter Acta Concilii Sirmienfis referunt, non esse unius ejusdemque Concilii, nec temporis, ceu recte statuunt ex Reformatis *Blondellus* de primat. pap. cont. Repl. Perron. p. 480. *Larroquanus* l.c. p. 139. *Jacobus Gothofred.* dissert. ad Philostorg. l. 4. c. 3. p. 200. calculus licet hujus Chronologicus *Fastis consularibus* non respondeat; ex Pontificiis doctissimus *Petavius* in Animadvers. ad Epiphani. f. 311. quos ex nostratibus sequitur *B. D. Dorschaus*, Collat. Concil. ad Sirm. sect. 3. c. 1. p. 98. *B. Bebel.* Antiq. Eccles. sec. IV. t. II. p. 1122. alii; etiam *Sandio* Hist. Eccles. l. 2. p. m. 115. plura uno Sirmii habita Concilia admittente. Add. *Timanni Gessel.* H.S. & E. p. 437. sqq. Ex his fidei Confessionibus cum prior, *Photini* impietati opposita; quam *Socrates* 2. H.E. c. 25. *Marcum Arethesium*, *Athanasius* autem l. de Synod. Arimin. & Seleuc. t. 1. Opp. f. 916. *Basilium Ancyranum*, qui disputando cum *Photino* in Sirmienfi concilio, os *Christomacho* obturavit, Sirmii scripsisse ait; quæq; ab ipso etiam *Hilario* & *Athanasio* admissa & explicata fuit; cum prior, inquam, sit composita ann. Christi 351. ceu ex *Fastis Consularibus*, & *Historia* illorum temporum docetur à *Larroquano* & *Dorschaus* l.c. manifestum est, ei non potuisse *Liberium* tum Sirmii subscribere, quem post Synodum *Mediolanensem* ann. 355. ob constantiam exulatum abire jussit *Constantius Imp.* Cum vero *Constantius* hic sæpius in urbe hac versatus fuerit, ceu ex *Ammiano Marcellin.* constat, anno etiam 357. ibi egit, nunquam non *Arianorum* cinctus corona, ceu *Athanas.* Epistol. ad solit & c. f. 829. autor est; quos dubium proin non est, quin nunquam non sua instituerint de fide propaganda conventicula, seu *Synodos de fide*; à quibus etiam ista *Latina* confessio, quam ab *Osio* & *Potamio* conscriptam esse *B. Hilarius* dixit l. de Synodis, facta esse non abs re creditur. Conf. *B. Dorsch.* Collat. ad Concil. Sirm. p. 113. Sane cum tempore Concilii Sirmienfis, quo *Photinus* fuit condemnatus, *Constantius* se piuum esse mentiri voluerit, ut loquitur *Hilarius* contr. Constant. Aug. f. 282. non dici potest, simul tunc *Latinam istam Confessionem* editam ejus jussu fuisse, quæ manifeste *Ariana* erat. Alio ergo tempore *disceptatione*

de fide instituta Sirmij, in praesentia Valentis, Ursacij, Germinij, categorumq, omnium, hanc confessionem fuisse contextam, rectius statuitur. Ordinem praeterea rerum gestarum ab Athanasio in Epist. ad solit. vit. agent, explicatum si sequimur, illa quae cum Liberio R. P. acta sunt, contigerunt post devictum Magnentium, qui secundum accuratioram Chronologiam, post Concilium Sirmiense, quo confutatus fuit Photinus, Constantio succubuit. Tum enim imminentibus malis liberatus, ad bellum cum Ecclesia gerendum animum suum, ut Socrar. loquitur l. 2. H. E. c. 26. convertit, per vim coacto Osio ad subscribendum Arianis, de quo post, cum prius Liberium in exilium ejecisset. Blasphema illa & Ariana formula Latina, qua & ὁμοούσιον & ὁμοιούσιον rejicitur, ab Hosio subscripta Beroeam missa fuit, ubi jussu Caesaris Liberius exulabat, qui etiam à Demophilo persuasus eidem subscripsit, radio exilij & desiderio suae sedis praefracto, de quo ex Epistolis ejusdem ad Orientales satis patet. Ex professo haec tractarunt Jac. Gotosfred. in Philostorg. 4. 3. disc. p. 202. sqq. Larroquanus l. c. dissert. II. de Liberio, probantque contra Baronium & Perronium Cardinales ex Hilario, Athanasio, & Hieronymo. Addo tamen dictis testimonium Bellarmini de R. P. l. 4. c. 9. Legi, inquit, ipse Liberij Epistolas manuscriptas ex Bibliotheca Vaticana, quae partim ad Imperatorem, partim ad Episcopos Orientales scriptae erant, in quibus satis aperte significabat, se tandem Imperatoris (Constantii Arianis) voluntati (de qua prolixè Athanasius Epist. ad solitar & c. f. 832. sqq.) acquiescere voluisse. Licet vero Baronius priori Sirmiensi Confessioni subscripsisse Liberium notet, quod *ἀνιστορητικῶς* non carere jam monuimus, in annal. tamen t. 3. ad an. 357. n. 42. concedit, probari non posse, aut juste facta defendi, quod victus Liberius labefactarit sacerdotalem constantiam, injuste contra S. Athanasium subscribendo; quodq, communicaverit cum illis quorum communionem haecenus exhorruisset: sed & quod etiam professioni subscripserit, quae licet Catholica videri posset, tamen voce illa Nicenae, consubstantialitatis, careret. Arianis hoc modo se associanti Liberio anathema dixit Hilarius: Hec, inquiens, est perfidia Ariana & c. Anathema à me tibi dictum, Liberi, & sociis tuis & c. iterum tibi anathema, & tertio, pravator Liberi,

berij,

beri, citante *Mornæo* Resp. ad *Ebroic.* p.79. in *B. Bebelij* Antiq. Eccles. Sec. IV. t. II. p.683. Facile autem patet ex his, quid de *Bellarmino*, & aliis Curialibus Theologis jactata infallibilitate Romani Pontificis habendum sit: id quod explicare præsentis instituti non est. Constantii certe temporibus illa nondum credita fuit. Conf. etiam *Larroquan.* in *diff. de Liber.* §.14. p.225. sqq.

§. 3. Non minus flebile lapsus memorabilis exemplum ista tempestate præbuit *Hosius*, sive ut alii scribunt *Osius*, *Cordubensis* Episcopus, cujus casum cum lapsu *Liberii* modo explicato conjunxit *Photius* ex *Philostorgij* *Histor. Eccles.* l.4. c.3. Nimirum cum *Constantius* *Sirmium* profectus ibi consedisset, τὸ Ῥώμης Ἐπίσκοπος Διόσκορον, ὑπὸ Ῥωμαίων Ἐπιζήμιον σφόδρα, τὸ Φυγῆς κατὰ γῆ, καὶ δοποδίδωσι τοῖς αἰτησαμένοις. Τίτω καὶ τὰ δὲ ἕτερος φησι, καὶ Διόσκορον καὶ τὸ ὁμοκσίον καὶ μὲν καὶ κατὰ γῆ τὸ Ἀθανασίον ὑπογράφει. Ὁμοίως ἢ καὶ τὸ Ἐπίσκοπον Ὀσίον, σωόδα ἴνῃ, ἐν ταῦτα συστάσης, καὶ εἰς ὁμοφονίαν αὐτὸς ὑποπασσαμένης, *Liberium* Episcopum urbi *Roma*, quem *Romani* summo studio flagitabant, ab exilio revocatum, civibus suis reddidit. Tunc etiam eundem *Liberium*, & una cum illo *Osium* Episcopum contra consubstantialis vocabulum, & contra *Athanasium* subscripsisse ait *Philostorgius*, cum *Synodus* quaedam illic collecta esset, & supra memoratos in sententiam suam pertraxisset. *Hosius* hic quantus vir fuerit, optime omnium testimonio *B. Athanasii*, contra quem *Arianæ* confessioni *Sirmiensi* secundæ is subscripsit, doceri potest. Dicitur vero eidem *Epist. ad solit. vit. ag.* f.837. ὁ μέγας Ὀσίος, magnus *Hosius*; πατὴρ τῶν Ἐπισκόπων, pater Episcoporum; ὁμολογητὴς, confessor. Eodem elogio eundem prosequitur *Orat. I. advers. Arian.* f.291. *Sozomeno* *H.E.* l.1. c.15. dicitur vir, quem *Constantin. M.* circa se habuit, vita & fidei integritate præstans, & superioribus temporibus ob varias religionis *Christiane* confessiones admodum nobilitatus; quem *Imperator* præcipue delegerat ad dirimendas controversias, postea in *Concilio Nicæno* discussas. Οὗτος καὶ σωόδων κατηγέτω, καὶ γράφων ἀκρέτως πανταχῶς, hic Princeps est *Synodorum*, & si quid scribit, ubiq; auditur. Tanta fuit ejus existimatio, ipsis *Arianis* testibus apud *Athanas.* *Epist. ad solit. vit. ag.* f.837. Quibus

Quibus

Quibus etiam formulam fidei in Synodo Nicana concepisse, & Arianos ubiq; pro hæreticis traduxisse dicitur, ita ut coram Constantio etiam confessi sint, ne quicquam se profecisse contra orthodoxos, *ἕως ὅσιν* & *ἠεὶ* *ἠέ* *ἠὲ*, quamdiu reliquus est Hosius, apud Athanas. Epist. cit. f. 837. Prolixius hic explicavit, quantum is consiliis & conatibus Ariomanitarum obfuerit, persecutionem hinc ejus apud Constantium urgentium. Non minori encomio celebratur à Theodoro H. E. l. 2. c. 12. al. 15. Invieta hætenus viri hujus animi magnitudo etiam apparet ex responso, & literis ejusdem ad Constantium Imper. cum ab illo citaretur, cordate exaratis, apud Athanasium Ep. ad solit. vit. ag. f. 840. *Ἐγὼ ἔτε Ἀρειανοῖς συγκατάθεμαι ἀλλὰ καὶ τῶν αἰρεσῶν αὐτῶν ἀναθεματίζω ἔτε καὶ Ἀθανασίῳ γράφω, ὃν ἡμεῖς τε καὶ ἡ Ρωμαίων Ἐκκλησία, καὶ πᾶσα ἡ Σύνοδος ἐκκαθάρισε, ego neq; Arianis assideo, neque suffragor, sed eorum hæresin anathemate damno; neq; Athanasii accusationibus subscribo, quam nos & Romana Ecclesia, & universa Synodus innocentem pronunciavit. Magni æstimatus etiam Sulpitio Severo fuit l. 2. hist. ob constantiam; dictus hinc constantissimus nostrarum partium. A Sæbadio, Agenni Galliarum Episcopo, laudatur in libro contra Arianos edito, cujus apud Hieronymum in Catalog. script. Eccles. fit mentio, *Osi nomen*, ceu antiquissimi sacerdotis, & promptæ semper fidei.*

S. 4. Quanquam verò hæc ita sint, parum tamen honorifice de magno hoc viro, & ab omnibus, si hæreticos Arianos excipias, quibus sudes in oculis erat, magni æstimato, censuit Arianorum Advocatus Arnoldus Hæresiol. P. I. l. 4. c. 4. S. 6. f. 149. Sic enim obtrectator laudum viri hujus diversimode famam ejus non veretur lacerare. Objicit quippe, quod, *vrie es die historien, in alienum sensum sc. contra mentem scriptorum ad scopum Arnoldi malignum detortæ, ausvveisen, Osius nicht gern zu hause geblieben, und seine Gemeinde, da er ohne zweiffel alle händ voll vvrde zu thun gehabt haben, nicht versorget, sondern unter dem vorrvand eines eiffers vor die vvahre religion an hofe, und sonst hier und dar herum gezogen, er dabey in schvvere versuchungen gerathen. Probet vero Arnoldus, ni historici minus veracis notam contrahere velit, hæc quæ sic fingit de Osi,*

Osi,

Hosio, ex probato aliquo scriptore: malignis quippe conjecturis, suisque figmentis sic indulgere non licet. Contradicunt etiam virulento huic commento *Socrat. H. E. l. 1. c. 4.* & *Euseb. de vit. Const. M. l. 2. c. 63.* memorantes, quod Constantini jussu ad pacem componendam Alexandriam iverit, non quod esset *πλυπράγμων*, vel domi in suo Episcopatu degere noller, de cœtu Ecclesiastico cui præerat parum sollicitus, quod non sine atroci injuria Hosio objicitur; sed quod fuerit *vir ex numero priorum, θεοσεβών*, quos habuit circa se Imperator, *πίστεως ὀρεσίῃ δεδοκιμασμένῳ, λαμπρυνόμενῳ ταῖς ὑπὲρ ὁσεβείας ὁμολογίαις καὶ οὐ ἔμπεσοθεν χρίσεως*, ob modestiam fidei spectatus, & ob religionis confessionem superiori tempore præ cæteris nobilitatus, ut reddit *Valesius*; quæ sane cum prætextu zeli, quem Orthodoxis minus bene cupiens *Arnoldus* Hosio objicit, contra proximum malum dicens testimonium, parum conveniunt. Nec otii ergo in aula Constantini versatus fuit, sed quod ob nominis celebritatem, spectatam item fidem & pietatem, Imperator eundem *singulari amore complexus, & honore summo profecutus, ita jusserat*, notante *Socrate l. c.* cujus moribus & ætati, aulæ mores parum responderant. Nec in sequentibus temporibus multum in aulis Principum moratus esse legitur, qui etiam non, nisi à Constante & Constantio vocatus, ad Conciliū Sardicense accessit, ceu refert ipse in Ep. ad Constantium, apud *Athanas. Epist. ad vit. solitar. & c. f. 839.* à cujus curia sic abhorruit, ut in patria sua ac Ecclesia degens, non nisi citatus, & nonnunquam non sine additis minis, ad Constantium venerit. *Athanas. l. c. f. 838. add. Socrat. H. E. l. 2. c. 23. 26.* Satis etiam profane, nec ad mentem *Athanasii, Socratis, & Sozomeni* loquitur *Arnoldus l. 4. c. 7. §. 29.* alleget licet hos, cum explicans Hosii in conciliis zelum pro veritate, notat, *daß er bey allem gefechte der Clerifey überal mit zu felde vvar, und fornen an stund.* Quæ de Hosii tentationibus in aula perpessis idem f. 149. fingit, falsa sunt, omni testimonio historico destituta. Criminatur idem *Hosium*, factō pio homine, cui sincera pietas cordi est, plane indigno, cum ulterius sic pergit: *Ja es möchten NB. vielleicht (ergo de suæ narrationis veritate ipse dubitat Arnoldus?) einige anmercken, vviē ihm die ehre und*

B ? vortheile,

vorteile, so er von dergleichen actionen genosse, sonderlich der vor-
 sitz vor andern grossen Bischöffen, da er nur von einem geringen ort
 Bischoff hies, zugefallen pflegten. *Charitas, Arnolde, non est
 suspicax. 1. Cor. 13, 5. 7. Nec est Christiani hominis, ex suspicio-
 nibus iniquis, sine ratione, & absque veritatis præsidio, am-
 bitionis crimen in fonti objicere. Continuat vero obrecta-
 tor injurias erga Hosium, quando hinc, quod sic tot Conciliis
 magna cum nominis celebritate interfuerit, aulam etiam Im-
 peratoriam frequentaverit, causam lapsus derivare non vere-
 tur. So geschabe es demnach, ita pergit fabula, daß er auff dem
 Concilio zu Sirmio dem Symbolo der Arianer unterschrieb, und mit
 den vornemsten unter ihnen sich in gemeinschafft einlies. Addit
 mox: Desvvegen er aber zum vvenigsten sein hette zu hause, und
 auffer der gefahr bleiben sollen. Nil dicam, Arnolde, de confusa
 & minus ordinata, quam non amat historia, relatione illo-
 rum, quæ de lapsu Hosii à Te enarrantur. Longe sane aliter
 quæ lapsum, magni hujus ante casum flebilem viri, concer-
 nunt, explicantur ab Athanasio, partim in Apolog. f. 817. par-
 tim in Ep. ad sol. vit. ag. f. 837. Minimo is tribuendus est huic,
 quod in tam provecta ætate in aula sæpe vixerit, sæpe etiam
 Conciliis cum magna sui existimatione intertuerit. Dudum
 enim aulam frequentare desierat. Sirmii equidem subscri-
 psit impiæ Arianorum confessioni; sed satis simul constat ex
Socrat. H. E. 2. 24. 26. quod invitus, & non nisi Constantii mi-
 nis territus ad Concilium, & aulam Imperatoris accesserit:
 Ut proinde inepte dicatur, *debuisse Osum atate confectum domi
 manere, nec tanto se exponere periculo;* qui contra falsam hanc
 accusationem, seipsum satis defendit in Epist. ad Constant.
 Imp. & ab Athanas. vindicatur in cit. Ep. f. 873. sqq.*

§. 5. Quanquam vero hæc ita sint, talis etiam tantus-
 que vir fuerit Hosius, Cordubensis in Hispania Episcopus, Vir
 pius, prudens, constantissimus orthodoxia defensor, uti appellatur
Georg. Horn. H. E. p. 91. ad extremam usque ætatem, & cente-
 nario jam major, lapsus tamen est. Vir doctissimus *Jacobus
 Gothofredus* dissert. in *Philostorg. l. 4. c. 3. p. 204.* de Osi Lapsu
 addubitare notavit *Severum Sulpitium l. 2. Histor. Phabadium etiam*
 cuncta-

cunctabundum agere, nec Photium in Excerptis Philostorgianis videri fidem habuisse narrationi de lapsu Osi; de subscriptione adversus se etiam Athanasium nil scripsisse Epistol. ad solit. vit. ag. in Apol. autem f. 807. notasse, Hosium verberibus persecutorum *ὡς καὶ πὸν*, ad tempus, ex senij imbecillitate cessisse. Verum Sulpitij verba admirantis potius, & stupefcentis, quam plane dubitantis esse, ipse satis innuit: Mirum, inquit, p. 153. atq; incredibile videtur, Hosium in Arianam impietatem concessisse, ut opinio fuit; nisi fatisciente aeo deliraverit; quæ verba sunt benignius interpretantis viri hujus quondam constantissimi lapsum: Quod etiam de judicio & verbis B. Athanasii habendum. Rectius de B. Augustinoid affirmatur, quod t. 7. opp. contra Epist. Parmen. l. 1. c. 4. f. 14. dubitaverit, talem fuisse Osum, qualem dicunt: Id quod satis est, ad præcipitatam Sandij assertionem confundendam, quando Hist. Eccles. enucl. l. 2. p. m. 104. ita pronunciat: Osum ad Arianos transisse omnes tradunt historici. Augustinus enim cujus non minor fuit autoritas, istum Hosii lapsum nondum concedit. Ut vero cum illis statuamus, qui memorabilem viri hujus lapsum, fulgidissimi in Ecclesia sideris, agnoscunt, nos non movit autoritas Isidori Hispalensis, qui l. de scriptor. Eccles. c. 1. f. 161. Opp. à Constantio Principe minus perterritum illico Arianae impietati consensisse Osum tradit. Fieri quippe potuisse, scribit Augustinus l. c. ut falsis criminationibus Hispani circumventi, & callida insidiarum fraude decepti, contra innocentem ferrent sententiam. Sic enim illa quæ de Oso iste Isidorus commemoravit, comparata sunt, præprimis quæ de morte istius memoriæ prodidit, ut jure de illis dubitetur. Plus fidei hic tribuendum Athanasio, qui Epist. ad solit. vit. ag. f. 841. ait, afflictum ab Arianis, attritumq; malis, *μὲν* agre communicasse cum Ursacio & Valente, Episcopis Arianis, quibus Constantius familiariter utebatur; ita tamen ut contra Athanasium non subscriberet. In Apol. f. 807. de Hosii sui lapsu verba faciens, scribit, quod *ὁ φέρων τὰς ἀληθεῖς ὡς καὶ πὸν εἶξεν αὐτοῖς*, verberibus ad tempus cesserit. Durius lapsus hic notatus fuit ab Hilario Pietaviensi, quando in l. de Synod. fidei Cathol. contr. Arian. & prævaric. Arianis acquiesc. apud Sirmium per Osum, immemorem ge-

florum suorum dictorumq₃ nova, & tamen jam diu supputata impietatis doctrinam prorupisse ait. Existimasse eundem scribit, de utroq₃, & de homousio & homocousio tacendum esse. Sic enim in secunda formula fidei Sirmiensi, quæ ann. 357. in privato aliquo Arianorum conventu fuit facta, legitur apud Binium: *Quia multum commovet vox, Latine quidem dicta substantia, Grace autem ὁμοῖα, hoc est, ut diligentius cognoscatur, illud quod ὁμοῦσιον aut ὁμοιῶσιον dicitur, nullam earum vocum mentionem debere fieri, neq₃ de his sermocinandum in Ecclesia censemus, quod de iis nihil scriptum sit in sacris literis &c.* Statuitur in eadem, Patrem etiam Paterno nomine esse filio majorem: Ut taceam de ambiguis formulis loquendi cæteris, quibus Arianismus fuit in ista confessione incrustatus. Lapsum Hosii etiam memoravit Socrates H. E. 2. 26. Sozomen. H. E. 1. 4. c. 11. Certum proin manet, communicasse (Athanasius utitur verbo κοινωνῆσαι, Ep. ad solit. vit. ag. f. 841. πρὸς τοὺς Ἀρειανῶν ἐχθρῶν κοινωνίαν ib. f. 838.) ut vidimus, Hosium cum Arianis contra quam decuerat. Nam, uti in Apolog. circa fin. f. 807. Athanasius loquitur, ἔδοξεν αὐτοῖς μὴ ἀντιλέγειν, visus est illis non contradicere. Et cum in sæpius memorata Ep. ad solit. vit. agent. Athanasius de Episcopis, qui Constantii furorem experti fuerant, verba faciens, hoc numero etiam Liberium & Hosium numeraverit, aliosq₃ illorum Imperatorem in exilium ejecisse, alios vero per vim in suam sententiam pertraxisse (ἀναγκάσαι legitur in textu) scripserit, f. 842. non est cur de subscriptione etiam dubitemus: licet benignius factum centenarii hujus viri interpretatus gloriosus Confessor, negaverit lapsum in sui condemnationem consensisse, aut voluisse προδέναι prodere veritatem, aut causam suam, in Apol. f. c. Certe in Epistola ad solit &c. cum de violenta coactione, qua Hosium aggressi fuerant Arianis, egisset Athanasius, mox subjecit: ὅτι εἰδότες οἱ ἄφρονες, ὅτι ἔπεισθησαν Ἐπισκόπων, ἀλλὰ ἢ πρὸς αὐτῶν ἡρωμῆλει βίαν ἐπεδείκνυντο, ignorant vecordes Arianis, se in iis subscriptionibus; quas paulo ante Φαντασίαν ἑπογενεφῆς appellaverat divinus Autor; non voluntates Episcoporum, sed vim quam passi isti essent, ostentare. Interim consensisse, & subscripsisse Formulæ Sirmiensibus Hosium, notat Socrates l. c. idemque tradit Sozomenus H. E. 1. 1. c. 5. & 11. Ulterius progressus est, qui ista

tem-

tempestate vixit, *Hilarius*, Confessor non minus gloriosus, qui impiæ isti Formulæ fidei Arianae Cordubensem Episcopum non tantum consensisse tradit, sed ejusdem etiam autorem eundem facit, in l. de Synod. blasphemiam apud Sirmium per *Osum* & *Potamium* conscriptam contendens. Sane *Vigilius Tapsitanus*, quem exeunte Sec. V. floruisse opinatur *Bellarmin.* de script. Eccles. p.m. 160. l. 5. contra Eutych. impiæ professionis, quæ apud Sirmium erat conscripta, autores *Osum*, *Valentem*, *Ursacium*, *Germinium*, & alios facit. Ex recentioribus *Larroquanus* etiam in diss. de Liber. p. 158. *Hosium* impiæ à se, & *Potamio* exaratae fidei formulæ subscripsisse disserit. Verum difficulter huc adducor cum *B. Dorscheo* nostro, Collat. ad Conc. Sirm. l. 3. c. 1. p. 113. ut Confessionem secundam Sirmiensem ab *Hosio* conscriptam fuisse concedam, ex comuni quanquam fama, malo quo non aliud velocius ullum, optimum *Hilarium* id habuisse non negaverim: Consenserit licet vi adactus in istâ impietatis formulam, & sub nomine suo ad alios, *Liberium* etiam, *Berroæ* in exilio agentem, & alios transmitti concefferit. Scripsisse vero eandem cum *Potamio*, solide non probabitur, neque ex *Athanasio*, neque ex *Socrate* & *Sozomeno*, neque ex *Philostorgio*, *Sulpitio Severo*. Nec etiam id testantur *Marcellinus*, & *Faustinus* in libel. precum ad Impp. *Sirmondi* opera edito, quo singularia de hoc *Potamio* habentur. Hoc tantum illi referunt, quod cum *Osius* de Corduba *Potamium* hunc, *Olissiponæ* civitatis Episcopum in Lusitania, apud Ecclesias Hispanianorum & detexisset & repulisset, ut impium hæreticum, hujus querela accersitus ad *Constantium* Regem, minisq. perterritus, ne senex & dives exilium, proscriptionemve pateretur, dederit manus impietati, & post tot annos pravariatus fuerit in fidem, apud *Larroquan.* l. c. p. 205. Vixerunt hi temporibus *Theodosii*: & parum magnifice de illis sentit *Baron.* Annal. t. 3. f. m. 707.

§. 6. Causa lapsus magni hujus hætenus in Ecclesia viri, fuit partim senij imbecillitas, de qua *Athanas.* Apol. f. 807. refert, quod Ἀγὸς τῶν ἀσθενειῶν ἔ γῆρας ἔ φέρων τὰς ἀληθείας, senij imbecillitate verberibus impar cesserit. Add. *Epist.* ad vit. solit. ag. f. 841. Delirio fatiscens, h. e. deficientis, ut explicat in notis

Drufius, avi, etiam parum abest quin tribuat *Sulpicius Sever. Hist.* f. p. 153. quod *Osius* in perfidiam eandem cum aliis concesserit. Non minus senio *Osi*, & inde orto metui exilium tolerandi, casum hunc imputant *Isidorus Hispalensis* l. c. *Marcellinus* etiam & *Faustin.* l. c. Omnium vero sententiis præferimus *Athanasii* auctoritatem, plus æqui habentis, quod summi viri vitæ antæ actæ respondeat. Prostravit hanc imbecillitatem; quam in tanto Viro major animi magnitudo atque præsentia comitari debuisset, etiam *Ethnico Virgilio Æneid.* 9. v. 610. accinente: *Nec tarda senectus debilitat vires animi, mutatq; vigorem;* *Constantii* crudelitas, tanto Principe indigna, cujus rabiem provocaverant *Episcopi Ariani*, καὶ ἡ τῷ περὶ Ἐυσέβιον συκοφαντία, & *Eusebianorum* sycophantia, ut loquitur *Athanas.* in *Apol.* t. I. opp. f. 807. Qua ratione eundem, *Ariana* impietate infectum, contra *Hosium* hi excitarint, quibusque verbis irritarint, explicavit laudatus *Athanasius* *Ep. ad solit. vit.* ag. f. 837. Nihil vero blandimentis proficiens *Imperator*, cum minis ἀνάγκη & βίασμόν adderet, ad cōmunionem cum *Arianis* habendam, *Hosium* hætenus constantem impulit. Postquam enim ἀντὶ ἐξορισμῶ, pro exilio, integrum annum *Sirmii* detinuisset, ποσῶντιν βίαν πεποίηκε τῷ γέροντι, καὶ ποσῶτον αὐτὸν σπώραεν, ὡς θλιβέντα αὐτὸν, μόλις κοινωνήσθη μὲν τοῖς περὶ Οὐαλέντα καὶ Οὐρσάκιον, μὴ ὑπογεγράφαι δὲ καὶ Ἀθανασίῳ, tantum vim intulit seni, ut afflictus attritus malis, tandem egregē cum *Ursacio* & *Valente* communicaret, sed tamen ut contra *Athanasium* non subscriberet. *Plagas*, ait *Socrates* *H. E.* l. 2. c. 26. illi fuisse inflictas, membraque machinis distorta. Mentionem verberum, quibus cesserit lapsu deplorando gloriosus hætenus Confessor, facit, ut vidimus modo, etiam *Athanasius* in *Apol.* Fortiorem adversus talia senectus *Christianum* reddere debuisset, cum *Gentilis Seneca* de sua id gloriatur senectute, *Ep.* 104. Hoc est illud, quod *Cicerone* memorante de *Senect.* p. 92. *Pisistrato* tyranno à *Solone* responsum est: cum illi querenti, qua tanta spe fretus sibi tam audacter obsisteret, respondisse dicitur: senectute. Tantum Confessorem, qualis *Hosius* fuit, potiori jure ita cogitare decuisset. Verum is, licet initio *Arianis* consentire renueret, post tamen vi compulsus, & verberibus, NB. ut

fama

fama est, licet senex graviter casus, consensit, eiq; subscripsit, memorante Sozomeno H. E. l. 4. 5. Objicit lapsio B. Hilarius de Synod. quod nimium sepulchri sui amans de homousio & homoousio tacendum esse existimaverit. Nimium opum amorem addit Isidorus Hispalensis. Sic enim in l. de script. Eccles. c. 1. loquitur: Osius Cordubensis à Constantio Principe minis territus, metuens ne senex, & dives damna rerum, vel exilium pateretur, illico Arianæ impietati consensit. Eadem fere habent Marcellin. & Faustin. l. c. verbis §. 5. superiori adductis. Non vero sic refert Athanasius, qui verberum violentiæ, non metui exilii, vel nimio opum amori, lapsum Osi tribuit. Insuper cum falsa merito esse credantur, quæ de morte lapsi ab Isidoro traduntur, ipsi etiam Baronio Annal. t. 3. ad an. 57. n. 26. f. m. 707. improbata, & confutata, eodem loco ea, quæ de divitiarum amore hic Hispalensis eidem objicit, habemus: præprimis cum Athanasio scriptore Epist. ad Solit. f. 841. rem hanc, factum hoc suum, ὅτι ἡμέλεισεν, non pro levi habuerit. Μέλλων γὰρ ἀποθνήσκειν, ὡς πρὸς Μαξιμίαν & ἐμαρτύρητο πρὸς Βίαν, καὶ πρὸς Ἀρειανὴν αἰρεσὶν ἀναθεματίζε, moriturus enim quasi in testamento suo eorum vim protestatus est, & Arianam hæresin condemnavit: Vetuit etiam eam à quoquam probari aut recipi. Lapsus itaq; mollitiæ & imbecillitate, divina gratia revocante, excitante, & adjuvante, rursus resurrexit sincera peracta pœnitentiâ Hosius. Præcipiti proin iudicio, ut in his rebus affolet, Sandius Hist. Eccles. eunucl. l. 2. p. m. 104. scripsit, falsitatem symboli Nicani, cujus ipse autor extitisse fertur, aliorumq; decretorum, tum hujus, tum Symboli Sardicensis, quorum Præsidem eum fuisse traditur, sua defectione comprobasse Osi. Falsum enim hoc esse ex dictis patet, ostenditque Athanasius l. c. Nos lachrymis prosequendum, venerabilis hujus diu senis, lapsum ita considerantibus in memoriam revocamus verba Christi, Matth. 26, 41. γρηγορεῖτε καὶ προσέχετε, ἵνα μὴ εἰσέλθητε εἰς πειρασμόν. τὸ μὲν πνεῦμα θέλει, ἡ δὲ σὰρξ ἀσθενεῖ, vigilate & orate, ne ingrediamini in tentationem. Equidem spiritus promptus est; caro vero infirma.

§. 7. Testatur hoc nomine non abs re quidem luctum suum Cesar Baronius t. 3. Annal. ad ann. Chr. 357. n. 17. f. m.

704.

704. *quis, inquit, rogo de sui exitu potuit esse securus, si omnium synodorum laudibus celebratum Osum, scriptorum cunctorum illorum temporum præconiis exaltatum, totq; ex diversis atq; multiplicibus certaminibus coronis auctum, hominem in conciliis agentem Patronum atque Magistrum, videat tam inopinate prosterni, ac instar salis infatuati pedibus præculcari; tantumq; ducem effici exercitus desertorem, imo ad hostes deficientem, & in castris hostium proficentem, transfugam adeo ignominiose constitui. Ast cum fecerit invitus hoc qui diu steterat egregie, pœnitentiamque dati scandali egerit, nescio an sequentia verba n. 18. satis commode subjecerit Annalium Conditor: Superavit, mea sententia, lapsus Osi præteritorum omnium casum, sive Origenis, sive Tertulliani, vel quorumvis aliorum dixeris: Nullus enim æque ac ipse, neq; tanta temporis diuturnitate, tot tantisque publicis actionibus, iisdemque summis, ad statum totius Reipublicæ Christianæ spectantibus, tum in Occidente, tum in Oriente perfunctis, nullus, inquam, æque ut Osius, spectatus est. Sed neuter horum sic invitus fecit, quod commisit; neuter necessitate & vi impulsus peccavit, nec pœnitentia ductus id quod fecit improbavit, & damnavit, ceu Hosium fecisse constat. De quo Horn. H. E. p. 69. nisi de Origenis sacrificio Echnico id dicere velis. Add. Dorsch. Col. ad Sirm. Concil. p. 113. sqq.*

§. 8. Historiam Nestorianismi novissime descripsit Gallice Doucinus, quam proin integram etiam exponere, nostrum non fert institutum. Autor ejus fuit NESTORIUS, ἀνὴρ Ὀρθόδοξος, vir insignis dictus Theodoro, Episcopo Cyrensi, ad Sporad. t. IV. opp. f. m. 696. Episcopus Constantinopolitanus ex Presbytero Antiocheno. Eo vocatus fuit, memorante ex Cassian. l. 7. de Incarn. Baronio Annal. t. 5. ad an 428. f. 523. quod Chrysostomo similem, quem ab Ecclesia Antiochena acceperat Constantinopolitana, rursus accipere hæc Ecclesia speraverat, præprimis quod dono concionandi plane singulari, voce cum primis sonora, linguaq; disertæ præditus, & ob eam causam, tanquam ad docendum populum admodum accommodatus judicatus fuerat, memorante Socrate H. E. l. 1. c. 29. In magna quoque quod existimatione, etsi præter meritum, fuerit, Vincentius
Lirinen-

Lirinensis contra hæref. c.16. notavit, in Nestorio, inquiring, plus semper admirationis, quam utilitatis; plus fama, quam experientia fuit; quem opinione vulgi aliquandiu magnum humana magis fecerat gratia, quam divina. Pietaster enim insuper etiam fuit, pharisaico spiritu turgidus affectata temperantia simplici plebeculae, imo & prudentioribus imponens, ita ut rursus Socrate scriptore l.c. ob temperantiam, rectius fallacem ejus speciem, apud omnes laus ejus magna fuerit; cum, uti in Hist. Concil. Ephes. t.V. Concil. edit. Paris. f.1. dicitur, continentia, pietatis & veteris disciplinae imaginem mentiretur Hypocrita. Distinctius hæc notavit Theodoretus ad Sporac. t. IV. opp. f. m. 696. monens, quod φαῖον περιβεβλημένον ἱμάτιον, ἐστυγακῶς βαδίζων, σὺν ἀγοραῖς ἐκκλινῶν ἰορῦες, ὡχρότητι σώματι τὸ δοκεῖν ἐγκρατὸς εἶναι ἡγούμενον. Οἴκοι τὰ παιδᾶ βιβλίοις περισσόντων, καὶ καθ' ἡσυχίαν ἐαυτῶν συλλινόμενον, fusca veste indutus, tristis incedens, strepitus forenses declinans, pallore corporis continens videri affectans, libris domi ut plurimum incumbens, ac in otio & quiete secum habitans, & sic melancholico ut videretur temperamento præditus; hoc etiam habitu & hac simulatione, χήμασι τε καὶ πλάσμασι σὺν παιδῶν δειλεάζων, populum inescians, magnam sic ætatis partem transegerit Nestorius, deludens hominum mentes, fictoque simulans pia pectora vultu. Voluit hoc Cælestinus Pontifex, quando literis, quas exhibet t.V. Concil. f. 349. sqq. ad Nestorium jam lapsum exaratis, ita scripsit: *Tanta ante opinione vixisti, ut tuis te aliena civitas invideret.* Severus præterea fuit, magnum orthodoxiæ præ se ferens zelum adversus hæreticos; rem Episcopo quidem per se dignam, sed quam plane intempestive, immodeste, imo ferociter, absque sufficienti scientia, neque disciplinæ Christianæ, quæ Politiam non abolet, neque vitæ socialis doctrinæ convenienter exercuit. Nam simulac Episcopus ordinatus orationem apud Imperatorem habuit, hanc sententiam coram universo populo, memorante Socrate H. E. l. 7. c. 29. protulit: *Mihi, ó Imperator, terram hæreticis purgatam tribue, & ego tibi cælum retribuam. Tu mihi in profligandis hæreticis subveni, & ego tibi in profligandis Persis subveniam.* Scio equidem, Baronium in Anal. t. 5. f. 523. causam hic agere Nestorii, quod non reprehensibilis videri debeat, de hæreticis profligandis Episcopali agendo libertate, & vi-

C

gore

gore sacerdotali sententiam illam dicendo. Verum quicquid sit de officio Pastoris ingruentes arcendi lupos, quod omnino solite, bono licet ordine, & pro indole Christianæ mansuetudinis, nec mercenaria quadam ratione exerceri debet, Joh. 10. 12. majoris facimus judicium illorum, qui ex oratione noverunt de interiori mentis cogitatione conjecturam facere; quibus Socrates l. c. ait neq; animi levitatem Nestorij, neq; iracundiam, neq; prætere a inanis gloria cupiditatem, (præsertim cum ne minima quidem mora interposita, ejusmodi voces tam temere profunderet) obscuram esse potuisse. Ipse Arnoldus Hist. Eccles. de hæret. P. I. l. 5. c. 5. §. 12. f. 245. etsi Nestorio usque eo faveat, ut mitius justo de ejus errore judicet, impingens in primum genus communicationis idioma, ex impotenti hoc hominis hujus ad Imperatorem alloquio petit characterem viri elati, iracundi, & turbulenti, qui contra Ecclesiæ consuetudinem multa peregit.

§. 9. Factiosus etiam fuit. Unde sicut ob vim dicendi in Ecclesia, & eximia dona in eloquendo, sibi multum placebat; ita memorante Theodoro l. c. φωνὴ καλλίστη καὶ μεγίστη ἀσκήσας, pulcherrimam & maximam vocem exercens, der sich bloß auff's predigen geleeget; & util. c. §. 14. Arnold. loquitur, wacker plaudern können! in Ecclesiam DEI se ingessit, & τὸ ἄγρη καὶ γόημον, καὶ γεωργήσας ψυχὰς ἀνθρώπων διωάμενον, ἐζήλωσε χαρακτηριστὸν λόγων, non generosum & genitalem, quoque hominum animas excolere posset, dicendi characterem secutus. Demagogum potius egit, quam verum Ecclesiasten. Nam πρὸς τὸ δημοτεροπὲς ἀποκλίνας, καὶ τὸ ἐν ἀέρε λυομένων κρότων θηρότης, εἰ καὶ τις ἀλλοτὸν γρόμησας, τὸ συρφετώδες καὶ ἀσάθητον πλῆθος πρὸς τὸ οἰκῆιον ἐξεκάλεσσατο πόθον, cum ad populi delectationem orationem suam conferret, & inanes plausus ut qui maxime aucuparetur, turbulentum & instabile vulgus ad sui desiderium excitavit. Quid de hoc genere hominum, & Doctorum, B. noster Lutherus habeat, quos studium hominibus placendi sic abripit, vid. in tom. I. Witteb. Præfat. Huic vanitati Nestorii accessit mediocris, nec sufficiens pro muneris Episcopalis dignitate, & officii hujus ratione, eruditio. Oportet enim, decetque, Paulo Tit. I, 9. præcipiente, Episcopum esse δυνατὸν, potentem adhortari in doctrina sana, καὶ σὺν ἀνιλέτοις ἐλέγχειν, & contradicentes arguere. Defuit vero hoc requisitum Nestorio.

Nestorio. Malebat enim τὴν φωνὴν καλλίστην καὶ μεγίστην ἀσκεῖν, pulcherrimam suam, & maximam exercere & excolere vocem, quam necessariis disciplinis, studio antiquitatis potissimum, operam dare. *Socrates* sane, qui l. 7. c. 32. se Nestorii libros legisse testatur, *hominem, inquit, reperio imperitum, & doctrina penitus expertem.* Addit, errorem illi *præ inscitia & ignorantia contigisse.* Nam etsi natura lingua erat disertata, & propterea doctus putabatur, tamen revera imperitum fuisse. Quin etiam veterum scripta perdiscere dedignatum fuisse. Veteres prope neglexisse, & seipsum omnibus antecellere existimavisse. De scelerata ejus presumptione, qua sacram scripturam se primum & solum intelligere, & omnes eos ignorasse jactaverat, quicumq; ante se magistrum munere præditi, divina eloquia tractavissent, etiam egit *Vincentius Lirinens.* l. c. c. 42. Nimirum, quod fieri amat, ut ignorantes, vel mediocriter literis imbuti, fastu, arrogantia, pertinacia, novandi imperite pruritu, audacia, conentur defectum hunc supplere, quo tales esse videantur, & pro talibus habeantur, quales non sunt; ita apparet idem contigisse Nestorio, *homini in liberalibus disciplinis mediocriter imbuto, ut loquitur Theodoretus l. c.* Superba proin Episcopi Constantinopolitani ignorantia conjuncta erat cum audaci pertinacia, & pertinacia audaci, fastu denique impotenti, atque arrogante philautia, inflammante hominem gratia Principis, & aura populari, qua abutebatur, quamq; dicendi facultate sibi comparaverat, nisum. Unde cum humana infirmitas proclivis sit in errores, præprimis si vero DEI timore, & sincera pietate non sit suffulta, non mirum est, data occasione tam infeliciter lapsum esse Nestorium, tali præditum ingenio, amicissimi sui Anastasii, Presbyteri, quo in rebus gerendis familiarissime utebatur, impiam de Maria Deipara vocem, æque præfracte atque imperite defendendo, explicatum *Socrati* l. c. c. 32. Eximie ex historia Ecclesiastica hoc etiam explicat *B. Luther.* t. VII. Altenburg. de Concil. l. 2. f. 266. memorabili charactere morali lapsum clari hujus in Ecclesia viri exprimens.

§. 10. Ante hunc, non minori Ecclesiæ damno, horribili lapsu suo turbas excitaverat PELAGIUS, Scotus, uti multis creditur, & Monachus, *Augustino*, notante *Spanhemio* in *Introd.*

ad H. E. p. 152. non modo vir acutissimus, acerrimiq; ingenij, etiam facundia plurima, sed & vir sanctus ac bonus à multis predicatus, etiamsi intus jam nequam fuerit; ita ut cum Chrysostrum & Augustinum, aliosque magnos in Ecclesia viros, aliquandiu fefellerit, ad hunc etiam applicare liceat verba Jerem. 17. 9. astutum est cor pra omni, & desperatum idem: qui cognoscet illud? Nam, ut Gerhard. Joh. Vossius Histor. Pelag. l. 1. c. 3. p. 5. testatur, non Chrysostrum modo ejus predicat pietatem, sanctimoniam, tolerantiam; sed Augustinus etiam in libb. de peccatorum meritis & remiss. nomen ejus aliquoties non sine laude ponit, quia vita ejus predicaretur à multis, ut ipse fatetur l. II. Retract. c. 33. Sane nisi hoc fuisset, non primitus eum amassent tot egregij viri, ut recte judicat Vossius l. c. cujus primam vitam nec ipse Lutherus improbat, tom. I. Altenb. f. 862. annuente Chemnit. Loc. P. I. c. 8. Dileximus, scribit B. Augustinus Ep. 106. ad Paulin. t. 2. opp. Pelagium, quia nobis recta fidei videbatur. Quo nomine etiam Chrysostrum ejus lapsum in Ecclesia tam serio deploravit, ut Ep. IV. ad Olympiad. ita scripserit: σφόδρα ἤλμισα ὑπὲρ Πελαγίου ἔ μονάζοντος, de Pelagio Monacho magno dolore affectus sum. Causam reddit, quando sic pergit Pater eloquentissimus: Εννόησον τοίνυν ὅσων αἱετοὶ σεφάνων εἰσὶν ἡμετέρας σάντες, ὅταν ἄνδρες ἐν ποσώτη ἀσκήσει ἀσφαζόντες καὶ καρτερίαι, ἔτω φανώσιν ὑποσυρόμενοι, cogita igitur quot quantisq; coronis digni sint, qui forti animo in acie steterunt, cum viros pie ac sancte, tantaque cum tolerantia viventes, uti nimirum Pelagius, abripi & in fraudem impelli videamus. Proin non fuit necesse, ut Gothofred. Arnold. Hist. de Hær. P. I. l. 5. c. 5. §. 1. de Pelagii morum & vitæ sanctimonia tanto apparatu ageret, quasi vel eandem Orthodoxi, quos scoptice sic appellat, ignorarent, negarentque; vel perditæ Pelagianorum causæ multum patrocini inde accederet, quod hypocritice pios viros, qui à sincera pietate defecerunt, haberet autores; uti sibi persuadere, & proin etiam id citatus Autor intendere videtur, major fautor fictæ pietatis, quam puritatis doctrinæ fidei. Fuerit enim Pelagius ab initio, ante lapsum, vere pius, ceu laudatus ab Augustino, & amatus, quod prævalente judicio charitatis, pro tali etiam eundem habuerit, ceu testatur Epistol. 106. ad Paulin, exarata, sub initium ejusdem: Desiit tamen,

men,

men, spiritu Dei malitiose excusso, talis esse, hostis crucis Christi factus, & sub involucro Catholici nominis latitando callide speciem pietatis præ se ferens, ad imponendum simplicioribus, bonaque mente præditis, & ad pertrahendum illos in suas partes, qui sane maligni hominis character est. Tales artes nulli placent cujus causa bona est, & qui non talia molitur, quæ fore scit ut ab aliis improbentur. Hujusmodi fraudem sane nemo probaverit, quam *Arnoldus*, & *Arnoldo* similes, qui profligata fidei puritate, & mundicie, non nisi vitæ exterioris pulchritudine fucata, fallacique specie, quam ipse Diabolus etiam induerit, 2. Cor. 11. 14. sq. delectantur, latitudinaria sua Theologia, & fanatica disciplina morali, copulaturi fideles & infideles etiam, v. c. Aristidem, non hæreticos tantum. Quis enim vitam hominis, qui juratus divinæ gratiæ hostis factus, in inimicum Crucis Christi evasit, vere piam dixerit, quæ non nisi veræ fidei fructus, qua Pelagius destitutus fuit, esse potest? ἔχοντας μὲν φῶσιν ἐν σεβείας, τὴν δὲ ἀνίαμιν αὐτῆς ἠρημῶως, habentes speciem pietatis, virtutem vero ejus abnegantes, ut *aversetur*, suo Timotheo præcipit Paulus 2. Tim. 3, 5.

§. II. Observavit ex Historiarum monumentis *Chemnitius* noster in Loc. P. I. de L. arb. c. 8. f. m. 203. occasiones, quas habuit Pelagius movendi illius certaminis, 1. enim voluerat *Manichæos acriter refutare*. 2. *Enthusiastarum violentos raptus, quos fingeant, non probabat*. 3. *Fuerat amans disciplina, & videbat flagitiosam ignaviam inter Christianos*. 4. *Sine judicio arripiebat Patrum incommode dicta in disp. contra Manichæos*. Ex quo Zelus viri, plus justo ab *Arnoldo*, l. c. laudatus, necessaria doctrina, moderatione animi, & prudentia destitutus cognoscitur; qui fervor importunus, nec ut decet coërcitus, multos in devia & errores abripuit, & causa lapsus illorum fuit, in *Scyllam* incidentium, cum *Charybdin* vitare præ se ferrent, & contumaciter suis inhærerent opinionibus, & novitatibus; simplicitatis quoque fictæque Pietatis Christianæ prætenso studio cuncta, quæ moliti fuerant, tegentes, imo involventes. Quibus artibus plurimum polluisse Pelagium, ad lapsum hinc pronum, sat docet historia. Aliorum hinc *elogiis* suo loco relictis,

non dubitavit *Vincentius Lirinens.* contra Hæret. c. 34. *Pelagium* hominem sincera pietate, quæ fructus Spiritus est, Gal. 5. destitutum, *prophanum* appellare. Sane prout callidus, & ad fraudem acutus fuit, dissimulator & simulator maximus, occulte agens, clam etiam hæresin suam disseminans, verborumque fallaciis, involuctis, ambiguitatibus & lenociniis, in suas partes pertrahere alios laborans; ita non solum simplicioribus vere piis, suæ pietatis larva facile imposuit, sed & prudentioribus & doctioribus multum negotii facessivit. Tam callide enim scivit tegere errorem per artificiū verborum, ut *Augustinus* dixerit: *Sine scrupulo hæc acciperentur, si non ab illis, quorum sensus notus est, dicerentur.* Graviter hoc etiam notavit *B. Hieronymus*; cui hoc nomine *Patromastix Arnoldus* l. c. §. 4. *convitiandi libidinem, & solitam rusticitatem, Schmähsucht und gewöhnliche Grobheit* pro sua erga Patres Ecclesiæ reverentia & humanitate objicit; t. V. opp. f. m. 144. in Præfat. in IV. Comment. in Hierem. ad Euseb. in Pelagio & discipulis improbens, quod *secreto doceant, & publice negent*, sub sanctitatis pallio se occultantes, more illis qui nova in Ecclesiâ moliti sunt familiari. Tantus etiam fallendi & circumveniendi fuit artifex, ut dolose agens Synodum Diospolitana[m] deceperit, captiose suas hæreses damnando, & fidem Catholicam profitendo. Conf. *Baron.* Annal. t. V. ad ann. Chr. 415. f. 375. sqq. Cujus generis plura etiam apud *Gerhard, Joh. Vossium, Latium, Henricum de Noris,* & alios Historiæ Pelagianæ scriptores notantur. Non minus *B. Chemnitius* in Loc. de Lib. arb. c. 6. ostendit, qua ratione *B. Augustinus* Pelagii, & Pelagianorum *insidias detexerit, ac tergiversationes*, quas in arctum coacti Novatores amant, *in lucem protraxerit*, artes hominis veteratorias verborumq; *lusus* passim notans: Ita ut genuinas maligni hominis notas in eo invenire liceat, diu licet ingenium hocce suum occultaret, magni interim *Arnoldo* æstimatus, hoc potissimum nomine, quod *Pietatis larva* fidei sinceræ corruptor inclaruerit. Tales artes Spiritus Sanctus non amat. 1. Cor. 5. 8.

§. 12. Hic vero *Arnoldus* rursus maligna ut solet mente erga Orthodoxos facta commemoratione elogiorum, quibus partim ante lapsum, partim cum adhuc occulte agerent, nec dum

dum

dum detecti essent Pelagius, Cœlestius, ornabantur, in gratiam eorum sic scripsit Hæresiol. P. I. l. 5. c. 5. §. 3. Und diese klare Bekändnisse vweisen uns nun das Unrecht, das ihnen (Pelagianis) von den Orthodoxen geschehen, vwann sie so einen hauffen handgreiffliche Lügen und Verläumdungen (quæ Arnoldo sic videntur in gratiam Pelagianorum) vvider sie ausgegossen gehabt, nur damit sie ja allen credit bey gevvißenhafften Leuthen verliehren möchten. Quasi vero dici non possit, Hymenæum perversa de resurrectione doctrina, fidem quorundam pervertentem, habuisse fidem & Conscientiam. Atqui utrumque affirmat Apostolus 1. Tim. 1, 19. sq. 2. Tim. 2, 17. sq. Idem de Pelagio & asseclis censendum. Loquimur, Arnolde, Orthodoxi de Pelagio, cum fidei & conscientiæ, si unquam sinceram habuit, quod DEUS κατὰ διογνώσους omnium optime novit, jam fecisset jaeturam. Nec per mendacium & calumniam, vel obtrectandi studio, statim aliquid objici dicendum, quod is, qui id statuere dicitur, callide & veteratorie idem occultat, atq; quod sub pallio Catholico late-re quærit, sine fronte negat, uti fecit Pelagius. Cur non cordate, ut virum bonum decet, rem egit? Sane quod adversariis astute, veteratorie, nec aperte & candide agentibus, sed fraudes & subterfugia captantibus, per Logicam consequentiam, & sic jure Logico imputatur, non est calumnia. Recte B. Hieronymus directo ad eos sermone in Præfat. in IV. Com. in Hier. t. IV. opp. f. m. 144. aut bona sunt, inquit, quæ docetis, aut mala. Si bona, defendite libere: si mala quid occulte miseros jugulatis errore, rectaq; fidei ad decipiendos simplices quosque jaetatis expositionem? quæ si vera est, cur absconditur, si falsa, cur scribitur. Et nonnullis interjectis rursus pergit: Isti publicum fugiunt: & susurrant in angulis perditorum: dolentque quasi pro suis, quæ sua metuunt confiteri; idque ut historia docet, summa vafricie, ingeniiq; panurgici profunditate. Hæreticorum, spiris diversimode serpenti-um instar se involventium, hanc jam ante Pelagium fuisse artem, etiam Irenæus advers. hæret. l. 3. c. 19. notavit: Similia enim, inquit, loquentes fidelibus, non solum dissimilia sapiunt, sed & contraria, & per omnia plena blasphemias, per quæ interficiunt eos, qui per similitudinem verborum dissimile (affectionis) eorum in se attrahunt venenum. Sicut quis aqua mixtum gypsum dans pro lacte, seducat

per

per similitudinem coloris &c. Negat Arnoldus etiam l.c. §. 5. sq. ex novandi pruritu naturales hominis vires Pelagium afferuisse, sed quod alios Ecclesiæ Doctores ante se idem docuisse vidisset. Sed confundit occasionem lapsus, cum pertinacia erroris. Non negamus Patrum, ante motum certamen securius loquentium, incommode dicta lapsus occasionem potuisse præbere, vel etiam præbuisse Pelagio, quod Chemnitius etiam concessit; sed pertinacia erroris, & profunda illum propagandi & disseminandi, aliosque seducendi πανουργία, excusari non potest, meruitque hominem pro stultitia sua tractari. Prov. 26, 5. Hæreticorum proin, & Pelagii Patrono, nec sinceræ pietatis, quæ sit fructus Spiritus Sancti, cultore dignum est hoc testimonium: Tantum abest ut veritati historicæ respondeat, quando Arnoldus l.c. ulterius sic pergit: *Woferne nun ihm (Pelagio) seine Widersacher (der schmähsüchtige und grobe Hieronymus, l.c. §. 3. sq. Augustinus, & alii) nicht allein mit gehöriger Sanftmuth und Weisheit, sondern auch mit einem exemplarischen Leben begegnet, seine Worte recht eingenommen, und nicht oft verkehret, und übel gedeutet, ihm auch selbst nicht so feindselig tractiret hätten, würde sichs in allem anders gegeben haben.* Malignior sane scriptoris hujus affectus erga Hieronymum & Augustinum; quos, ut recte censet Georg. Horn. Hist. Eccl. p. m. 108. *DELLS* hæresi huic opposuit; hunc in Africa, illum in Oriente; benignior autem erga Pelagium, ex his verbis virulentis fatis cognoscitur. Falsum enim est, quod non convenienti mansuetudine usi fuerint, ut oblatrat Pelagii advocatus. Legat, si ignorat, apud Vossium Hist. Pelag. l. i. c. 12. qua ratione Hieronymus se gesserit, cum Pelagius Romæ, Celestius in Sicilia, sub velamento quæstionum quarundam, magno uterq; molimine, suam, spargerens doctrinam, parcens primo nominibus, cum adversus eos scriberet, excitatus à Cresiphonte. Idem fecit augustissimus Augustinus, impulsus ab Hilario ad scribendum, cum edoceri hic petiisset de nonnullis quæstionibus, quibus Pelagiani errores Syracusis dispergebantur, epistola hoc nomine ad Hipponensem Præsulē exarata. Ad hanc enim respondit Epist. 89. t. 2. Opp. f. 395. tanta mansuetudine proposita discutiens, ut ne quidem Pelagii faceret mentionem, quod hic clam agens, quasi quæ exponeret ab aliis docerentur, adhuc pro Catholico habere

habebatur, & quod *facilius hominem corrigi posse sperabat*; quod & alibi fecit, ceu testatur l.2. *Retractat.* c.33. t.l. opp. f.51. add. *Baron.* Annal. t.5. ad ann.411. f.m.330. Imo cum versutus Pelagius vafrauentis suis, pio homine, pro quali tunc adhuc à Patrono suo *Arnoldo* habebatur, plane indignis, Synodum Diospolitanam decepisset, *Hieronymus* Dialogos, contra Pelagium calamum stringens, sic conscripsit, ut prudenter adhuc nominibus pepercerit, *Critobuli* & *Attici* appellationibus usus, illoque nomine Pelagium, hoc se intelligens. vid. opp. *Hieron.* t.3. Non minus *B. Augustinus* non solum eum fratris nomine adhuc ista tempestate dignatus est, etiam cum Johannem Episcopum Hierosolymitanum moneret, caveret sibi à subdolo homine, pelle ovina tecto, de quo etiam *Baron.* l.c. f.380. sed & tecto adhuc nomine dogmata impia ejus perstrinxit, sicut ipse *B. Augustin.* in *Retract.* l.2. c.49. Nec repugnat Christianæ mansuetudini, quod, cum Hæreticus *pertinacissima animositate*, ut rursus loquitur *Augustin.* in *Retract.* l.2. c.33. sua dogmata *defenderet*, ut par erat reprehensus fuerit; cum & Christum, Matth.23,13. sqq. Joh.8,44. Johannem Baptistam, Matth.3,7. Paulum, Act.13,10. Gal.3,1. 2. Tim.4,2. Tit.1,11. sqq. Petrum, Act.8,23. 2. Ep.2,14. pertinaces, quorum frustra expectabatur correctio, acrius verbis etiam castigasse constet, sine odio personæ hostili. *Pejori* denique sensu quod verba Pelagii *acceperint*, & *perversa male interpretati fuerint* adversarii, invita veritate rursus ab *Arnoldo* asseritur. Verum quidem est, ex latebris suis extractos, solique expositos hominum fallacissimos, ita clamasse; id quod *Hieronymus* l.1. advers. Pelagianos sub initium dialogi etiam notavit: Sic enim *Atticus*, sive *Hieronymus* l. c. *Dic mihi Critobule.* (Pelagi) *Verumne est, quod à te scriptum audio? posse hominem sine peccato esse si velit, & facilia esse DEI præcepta.* CRITOBUL. *verum Attice. Sed non eodem sensu ab amulis accipitur, quo à me dictum est.* Rursus CRITOBULUS: *Ego, Attice, dixi hominem absq̃ peccato posse esse si velit: non ut quidam maledici calumniantur, absq̃ DEI gratia; quod etiam cogitare sacrilegium est: sed simpliciter posse si velit: ut NB. subaudiatur cum DEI gratia: Sed non nisi veteratorie. Gratiam enim quam Pelagius subaudiebat, naturalem scil. nemo in con-*

D trover-

troverfiam vocabat. Quam vero subaudire debebat, *super-naturalem* sc. Spiritus Sancti, quamque Catholici afferbant, *Critobulus* negabat; vel nebulas latebrarum, & latendi locum moliendo, non sufficienter, ut orthodoxi Patres acquiescere possent, explicabat, *gratia natura* addens *gratiam doctrinae exterioris*, revelantis tantum, & ostendentis, quid fieri debeat, non intus operantis Spiritus Sanctus, qui *fidem efficiat*, ut loquitur *August. Conf. art. 5.* Hanc impugnabat omnibus viribus, gratiam licet se oppugnare negaret vehementissime. Denique adjunxit *gratiam remissionis peccatorum*. De qua calliditate, æquivo-catione & reservatione mentali Pelagii, & alleclarum, qua toti fere orbi imposuerunt, plura ex *Augustino & Hieronymo* notarunt docti Viri, *Hülsemann. de Auxil. grat. p. 24. sqq. 127. 247. sq. Voss. Hist. Pelag. l. 3. P. II. p. 294. sqq.* Calumniarum potius Pelagium, & Pelagianos, Augustino Manichæismum objicientes, arguere decuisset *Arnoldum*, nisi hæreticorum potius, & Pietastrotum, quam Catholicorum, & *γνησίως* piorum, causam agere maluisset.

§. 13. Notabimus ex quinque seculari antiquitate etiam, ob hæreseos hinc ortæ atrocitatem, lapsum EUTYCHIS, Presbyteri, & Archimandritæ, sive Abbatis Constantinopolitani, qui & ipse horribili lapsu in hæresin, *Eutybianorum* sectæ & nomen & originem dedit; cujus opinio, explicante *D. Dannhaver. Antichr. l. I. art. 9. p. 329. ut fecunda vipera exclusit ova pestilentia plurima, Monophysitarum, Theopaschitarum, A. ephalorum, Aphtartodocetarum, Severitanorum, Agvoetarum, Jacobitarum, Armenianorum, Monotheletarum, sive Univoluntariorum, qui atra nebula diu obscurarunt Ecclesie Solem Christum, Lunam ipsam Ecclesiam, & tertiam partem stellarum, id est Doctorum Ecclesie.* Quem infelicem hominem significasse laudatus notat Theologus l. c. Angelum Apocalypticum, de quo Apocal. 8, 12. Magna ejus laus aliquandiu fuerat in Evangelio ob assertam contra Nestorium veritatem. *Solicitudinem ejus, ζήλον, cum Nestoriana hæresis quorundam rursus studii pullularet, non solum laudavit, & probavit Leo I. Pontifex Epistola ad eundem exarata, quæ in Hist. & Act. Concil. Chalcedon. t. 8. Concil. f. 12. legitur; sed & à Flaviano, Archi-Episcopo Constantinopolitano, datis ad eundem literis,*

literis, causam actorum contra Eutychem, sibi reddi voluit, ποία δικαιοσύνη ἀπὸ τῆς κοινωνίας τῆς Ἐκκλησίας ἐχέτω κεχωρισμῶς, qua justitia à communione Ecclesia esset separatus; ὅποτε, ut scribit idem nonnullis interjectis, ὁ μνημονεύθεις πρεσβύτερος ἐν τῷ ἰδίῳ λιβέλλῳ ὡμολόγησεν, ἔτοιμον ἑαυτὸν εἶναι πρὸς διόρθωσιν, cum memoratus presbyter libello proprio sit professus, paratum se esse ad corrigendum, si quid in se inventum fuerit, quod reprehensione dignum sit. Ostendunt sane hæc verba, Leonem non solum Eutychem personæ favisse, cum nimirum ejus fraus, & causa perdita nondum esset cognita, sed & in singulari hunc apud Episcopum Romanum, cujus magna in Ecclesia erat autoritas, gratia & opinione fuisse. Idem patet ex Epistola Leonis I. ad Theodosium Imperat. t. II. X. Concil. f. 15. In act. IV. etiam Concilii Constantinopol. ante Chalcedonense habiti, ceu habetur t. II. X. Concil. f. 213. laudatus fuit ab Archi-Episcopo Flaviano, quod Nestorio adversante, pro veritate concilium ingressus fuit. Apud Imperat. Theodosium II. etiam quod in aliqua fuerit, eaque nec vulgari existimatione, inde licet colligas, quod Constantino-politano Concilio condemnatus Eutyches, apud eundem Conciliū Ephesinum II. extorserit, ad revisionem actorum instituendam: Quo etiam absolutus Eutyches, indigne vero tractatus fuit Flavianus. Conf. Act. hujus Synod. in t. II. X. Concil. Talis quidem Eutyches erat, sed non mansit, verum lapsus est infelicissime, sua culpa, nec salutaribus monitis locum relinquens, sed suæ ἰδιογνωμοσύνης pertinaciter insistens; ceu queritur Flavian. Epist. ad consacerdotem Leon. I. Papam urbis Senioris Roma, de erroribus impij Eutychetis. Add. Acta Concil. Constantinopol. ante Chalcedonens. celebrati. Ex justo vero DEI judicio id Eutychem num acciderit, ut alios disputando hæreticos faciens, Nestorium nimirum, ipse etiam Hæreticus declaratus fuerit, Arnaldo Hæresiolog. P. I. l. 5. c. 5. §. 18. t. 247. affirmanti, respondemus ex Act. 19, 36. μηδὲν ὡς περὶ τὸς. Rom. 11, 32. sq.

§. 14. Lapsus vero est Eutyches ex zelo erga Nestorium, per se non improbando, nisi cum ignorantia, audacia impudenti, arrogantia, & pertinaci ἰδιογνωμοσύνης conjunctus iste fuisset. Cum enim imprudenter Nestorianæ hæresi se opponeret, eo profiliit, ut non tantum duas personas, sed etiam duas

in Christo naturas negatum irer. *Gelas. Episc. Rom. contra Eutych. & Nestor. Conf. Herold. tom. script. contra hæret. f. 684.* Versuto & fraudulento præditus fuerat ingenio, dolos occultos amans. Unde ex quo Ephesi contra Nestorium decretum fuerat; quo tempore jam ibidem *zizania prava sectæ Eutychis germinasse dicuntur* Isauriæ Episcopis, in literis ad Leonem Imp. exaratis; subdolos hic homo *absconditum in se languorem mala sectæ retinens, in verecunde & impudenter in multos impietatem propriam inferre præsumsit, dicens, ut habent verba Flaviani ad Leon. I. Pontif. t. II. Concil. f. 16. ante inhumanationem quidem Salvatoris nostri Jesu Christi duas naturas esse divinitatis & humanitatis, post unitatem vero unam naturam factam.* De Euthychis sententia videndus etiam *Evagrius H. E. l. I. c. 9. Nicephor. H. E. l. 14. 47. sqq. 15. 4. sqq.* Non solum vero secreto multis annis hæc sic docuerat homo vafer, sed & aliorum Monasteriorum Abbates & Monachos in suas partes pertrahere voluit, missis ad eosdem libellis, quibus impia sua dogmata tacite disseminabat, ad subscribendum & approbandum, *eis scilicet, ad seditionem excitans monachos, referente in Synodo Constantinopol. Eusebio Dorylæi Episcopo, qui à vesania sua gratis Eutychen dehortatus fuit. Quo nomine etiam in Synodo inquisitio instituta, & res deprehensa fuit, ceu docent hujus Concilij Acta Act. III. t. II. Concil. f. 206.* Ne dicam, quod cum existimationem suam in discrimen adductam cerneret, ad artes & dolos, quibus egregie instruendis ingenio usq; pollebat, ut dicitur in *Histor. Concil. Chalced.* rursus conversus homo seditiosus, per Chrysaphium quendam Eunuchum, ab Imperatore præsidium obtinuit, quo munitus ad Synodum perrexit, prolixius ex Concilii Actis idem etiam explicante *Baronio in Annal. t. VI. ad ann. Chr. 448. f. 60. sq.* Omni jure proin questus est *Flavianus* Archi-Episcopus Constantinopolit. literis ad Leon. I. de Eutyche, quod *cum passus justam Canonicam damnationem, debisset secundis salvare priora, & per pœnitentiam perfectam, multasq; lacrymas placare DEUM, suumq; cor vehementer contristatum, in ejus ruina per veram sanare pœnitentiam, non solum hoc non fecerit, sed etiam per omnia conturbare sanctam Ecclesiam festinaverit; directis insuper ad Leonem Papam libellis omni fallacia atq; calliditate plenis, mentiando, & per fallaciam mendacij ejus auribus se subrepere putans.*

In §. 2. l. 60. pro quos leg. de quibus.

❧ * * ❧

DE
LAPSU TERTULLIANI

ad
MONTANISTAS.

DISPUT. III.

§. I.



Recentiora secula non minus atque antiqua, hujusmodi luctuosa lapsorum virorum viderunt exempla. *Habemus enim, inquit D. Hoë, Comment. in Apoc. c.8. P.1. f.288. & nos excellentes, & doctrina maxime conspicuos Theologos: Philippum Melanchthonem, Matthiam Flacium Illyricum, Andream Osiandrum & alios, qui instar stellarum splenduerunt: sed & hi defecere, flumina scripturarum turbavere, & sensu genuino relicto ad propria placita nimium se converterunt, unde & errores satis perniciosos in Ecclesia DEI sparserunt. Ne sapiamus ergo ultra quam oportet. Nolumus vero ista coacervare, cum presenti instituto pauciora sufficiant.*

§. 2. Primis Reformationis à B. *Luthero* institutæ temporibus, laus & fama magna in Ecclesia fuit *CAROLSTADII*. A Patria hic sic dictus fuit, Franciæ Orientalis oppido, cui alias *Andreæ Bodensteinij* nomen erat. Magna ejus laus, ceu dictum, & existimatio in Ecclesia esse inceperat, cum ipse etiam *Lutherus*, literis ad eundem datis, quas exhibet *Melch. Adam. vit. Germ. Theol. in Carolstad. p. 86. Syncerioris Theologiæ assertorem facile primarium, Præceptorem item, ac majorem suum in Christo Jesu, eum appellaverit. Inscriptis B. Vir eidem priorem suum Commentarium in Epist. ad Galat. qui legitur T.1. opp. Latin. Jenens. f. 326. vocans illum præstantissimum virum, puræ & veræ Theologiæ Doctorem, Præceptorem suum in Christo observandum. Sane si*

A 2

omni

omni fama & expectatione idem destitutus fuisset, Saxoniae Elector, Fridericus Sapiens, in recenti sua Wittebergensi Academia, ei non Professoris Theologi munus demandasset, cujus Facultatis etiam Doctor, ut & Juris postea fuit. Indulgentias Papales certe cum impugnasset Lutherus, mox eidem, & inter primos quidem se adjunxit, & contra Eccium Lipsiae strenue disputavit, de quo ipse *Lutherus*; qui passim etiam hujus *Bodensteinij* & ingenium, & eruditionem laudavit, cum nondum orta inter eosdem infelix ista *σύρραξις*, esset. Add. *Sculter*. *Annal. Evang.* Dec. I. ad Ann. 18. p. 21. *Hoornbeck*. *Sum. Controv.* l. 9. p. 613. *Maimbourg*. in *Histoir. du Lutheranism.* l. 1. p. 40. Quae de pietate ejus, cum Luthero adhæreret, memoriae ab aliis prodita sunt, suo loco relinquuntur. Eo gravior enim Viri hujus lapsus fuit, si vera sunt, quae hoc nomine circumferuntur. Fervidioris vero fuit ingenii, atque hinc iracundus, vehemens, præceps, inquietus, novarum rerum cupidus, atque pertinax. *Maimburgio*, in *histoir. du Lutheran.* l. 1. p. 40. audit *homme étourdi, présomptueux & emporte.* Hisce passionibus cum se permetteret, & Luthero absente, præcipua nominis ejusdem autoritas & celebritas *Wittembergæ* esset, memorante *Scultero* l. c. p. 109. æmulatione erga latentem in arce *Wartenbergensi* incensus, Reformationis turbulentæ & violentæ autor fuit. Pertractis enim in consilii societatem præstantioribus ex Professorum *Wittebergensium* ordine, ausu temerario & præcipiti, cirra omnem ordinem, & cum proximi scandalo, ut questus fuit *Luth.* in *Epist. ad Spalat.* t. 2. *Altenb.* f. 92. multa innovare incepit, quibus turbulentum, imò & fanaticum suum ingenium non parum prodidit. Certe testatus idem, detestatusque est literis ad Electorem datis *Schurfius*, *Jctus*, qui infirmitatem hic suam, qua se abripi cum aliis passus fuerat, confiteri non dubitavit. Advolante itaque Luthero, qui meliori ordine cuncta fieri, ut par erat, 1. *Cor.* 14. v. 40. desiderabat, jubente sic Ecclesiae istorum temporum necessitate, præprimis quod, *Arnoldo* etiam explicante *Hæresiol.* P. II. l. 16. c. 19. n. 11. jam ante circa doctrinam de S. Cæna *Carolstadium* non recte statuere noverat, cum quæ acta essent, convenienti zelo pro concione improbaret, offensus hinc *Carolstadius* tantum abfuit ut cederet, ut etiam actiones suas contra

Luthe-

Lutherum scripto defendere cum animo suo constituerit, rixandi occasionem quærens, frustra deprecante *Luthero*, ne quid contra se ederet, *ne cogeretur invicis cum illo congregari*, *Sculter. l.c. p.109.* Ambitione vero, æmulatione, rixandi libidine, & invidia Carolstadium quiescere non permittentibus, crescente indies similitate, hominem sincero DEI timore destitutum, & carni obsecutum, hujus motus sic præcipitem egerunt, ut *Sacramentariorum, Puritanorum, & Fanaticorum* factus fuerit Prodrumus, lapsu miserabili, & profus infelici.

§, 3. Scio equidem Calvinianos, *Sculterum Annal. P. I. p.110. Hoornbeck. Sum. contro. l.9. p.m. 604. Hoornium hist. Eccles. p.174. seq.* nimium impetum affectuum, studium private gloriolæ, arrogantiam, sinistram æmulationem, imprudentiam, & insolentiam inique hic *Luthero* objicere, æquiores ob dogma Sacramentarium *Bodensteinio*, annuente *Gotofred. Arnoldo l.c. n.11. seq.* Sed de hoc prolixius agere, præsens non fert institutum. Id dico: Testari historiam, in tentata ista Wittebergæ à Carolstadio Reformatione *Puritanum* spiritum egisse virum hunc, tanto cum impetu imagines templis exturbantem. Unde licet Missam privatam abrogatam, communionem sub utraque celebratam, preces ad sanctos, & discrimina ciborum sublata non improbaret *Lutherus*; non sanam tamen Carolstadii circa sacram Cœnam mentem esse, cum non ignorasset, ne spiritus Sacramentarius, quem subesse jure conjiciebat, prout etiam sub fuerat, ceu tristis exitus docuit, plus ultra pergeret, convenienti zelo motibus his sibi obviam eundum esse censuit B. Vir. Puritano itaque & Sacramentario spiritu cum tentari, obsequi etiam eidem Carolstadium prudenter observaret *Lutherus*, recte fecit, quod non libere hominem grassari permittere voluerit, ceu ad magnum hoc Reformationis negotium tractandum minus aptum, nisi ab aliis gubernetur; admodum ægre licet id Carolstadius in suis libellis contra Lutherum editis tulerit. Certum præterea & hoc est, id egisse furore hocce suo abreptum Carolstadium, ut ludibrio & contemptui Lutherum exponeret, & præ illo emereret. Proin non arrogantia, & vanæ gloriolæ studii nota censeri debet B. Megalander, quod de *pressa* ab adversario autoritate sua questus fuerit, cum & contra Pseudo Apostolos

stolos pari modo modeste suam personam, noimenque suum, defenderit Apostolus 2. Cor. 11, 16. seqq. Tit. 2, 15. Denique si importunitas Carolstadii hujus, post iterato editum Orlamundæ Puritanismi specimen in profligandis imaginibus, Jenæ in irritando Luthero, & ad certamen eundem provocando commissa, sine studio partium, ἀνδρα προσηύδα consideretur, æquitas pro Luthero potius, quam pro Carolstadio, pronuntiabit. Meretur hic contra obtrectatores Lutheri, quibus se *Arnoldus* quoque associavit Hæresiol. l. 16. c. 19, th. 12. seq. legi D. *Dannhæwerus* in Salv. Reform. p. 138. seq.

§. 4. Passionibus his obnoxius *Carolstadius* factus est *Sacramentariorum Prodrumus*, ceu dictum. Ipsimet sane Reformati Scriptores, certaminis Sacramentarii hinc repetunt originem, conceduntque, primum omnium Carolstadium scriptis de Eucharistia libellis negasse, corpus & sanguinem Christi in S. Cæna sub pane & vino contineri. Sic enim *Ludovicus Lavater* Hist. sacram. de Cæna Dom. p. 4. *Carolstadius*, inquit, *Witteberga*, post tumultum ibi institutum, relicta Orlamundæ, & in vicinis locis in Lutherum, ejusq; collegas invehebatur, quod cum de aliis rebus, tum de statuis, & Sacramentis non recte docerent. Orlamundam vero missus Lutherus à Principe, cum Carolstadium acriter reprehendisset, quod Ecclesias turbaret, respondit hic, se scripturum & defensurum, quæ de Sacramento sparsisset; quod etiam fecit. Puritanorum vero antesignanus etiam quod fuerit idem *Bodensteinius*, satis patet, quod imagines ex templis exturbatum iverit, quæ tamen si non ad cultum prostant, tolerari possunt. Præludit idem zelotis istis in Anglia postea ortis, de quibus *Bzovius* ad ann. 1559. n. 89. autor est, quod immaniter in statuas & imagines sævierint, & è templis illas exturbaverint, in campum etiam raptatas pro scopo collocarint, ad quem sagittas & jacula contorquerent. Separatistarum cœtum in Anglia hic peperit Puritanismus, qui eversa Hierarchia Episcopali in ipsam regiam dignitatem furorem suum postmodum convertere non dubitavit. Alibi, in Belgio scil. Gallia, Germania etiam, quomodo hic Puritanus spiritus tumultuatus fuerit, ex *Famiano Strada*, *Thuano*, & aliis constat scriptoribus, refertque B. *Dannh.* Hodom. Calv. P. I. Ph. 6. p. 1124. 1129. seqq. Ad *Fanaticorum* denique deliria etiam lapsus est. Nam ne de hoc

hoc

hoc quid notem, quod de S. Baptismatis sacramento adeo scurriliter & profane senserit, ut illud *lavacrum caninum*, ein Hundes-Bad/ appellare non veritus fuerit, de quo t. III. opp. *Luther. Altenburg. f. 658.* & quod officio, quod Wittebergæ ipsi demandatum fuerat, relicto, sine omni prævia vocatione externa Orlamundæ se ingesserit, & vocationem postea, sive potius occupati muneris confirmationem, à civibus sibi acquisiverit inconsulto Principe, non sine nota Fanatici spiritus, de quo *Lutherus contr. cœl. Proph. P. I. t. III. Altenb. f. 54.* Eidem dicitur t. IX. Altenb. f. 1571. *den heimlichen Propheten und Widertauffern zu ihrem schwarm grossen antas gegeben haben. Er ersonne auch wunderliche wörter in seinen lehren, als die entgröbung, die studirung, die verwunderung, die ausgestreckte lust, die lange weile, die besprengung, und dergleichen.* *Enthusiastica hæc esse, in Muncero etiam notata, docet ex nostratibus B. D. Chemnit. t. 1. Loc. de Vir. hum. f. 203. ex Reformatis D. Hoornbeck, Sum. Controv. l. 6. c. 381. Sleidan. l. 5. dicitur familiaris fuisse clandestinis illis Doctoribus, qui visiones & colloquia cum DEO simulabant. Add. Arnold. Hæref. l. 16. c. 21. n. 1.* Præterea cum *Fanatici* Academies, & gradus Academicorum honorum contemnere solent, ceu *Weigelianis, Quackeris,* & aliis ita facere solenne, ita *Carolstadius* ad similia lapsus principia, sublata omni decenti vitæ socialis, & statuum humani generis ordine, verwarff die durch Fleiß erworbene Ehrentitul/ wolte nicht mehr Doctor, sondern Nachbar Andreas genant seyn/ gieng in einem Filshut/ im grauen Rock &c. *Luther. t. IX. Altenb. f. 1571.* Aperte etiam confessus est, se *Doctores Theologiae Wittebergæ creando, hoc factò peccasse,* rursus memorante *Luthero t. IX. Altenb. f. 274.* Unde non absque ratione etiam *B. Mentzerus* in *Exeg. art. V. Antith. n. 3.* eundem *Enthusiastis* associavit, cum verbi divini, Sacramentorum, Ministerii Ecclesiastici, & Magistratus civilis contemptus manifeste in illo se prodiderit.

§. 5. Subjicimus, inviti licet, *PHILIPPUM MELANCHTHONEM*, virum non solum in literis ad humanitatem pertinentibus doctissimum, de quo post *Adam.* in vit. *Melanch. p. 329. sq.* & *Sculter. Annal. P. I. p. 24.* & Philosophum insignem; sed etiam Theologum exercitatissimum, qui ad gravissima Ecclesiæ negotia tractan-

tractanda sæpe fuit adhibitus, fidissimus primo Lutheri in promovendo negotio Evangelico parastates, diverso licet ambo ingenio præditi fuerint. Quanti *Lutherus* eum æstimarit, patet ex verbis ejusdem, quæ leguntur. l.1. Ep. p.197. *cum in omni, inquit, mea Professione nihil duco antiquius Philippi calculo: cujus unius judicium, & auctoritas, mihi stant pro multis millibus sordidorum Ecciorum.* Singularem hinc virorum horum amicitiam admiratus, sic scripsit *Maimbourg*. *Histoïr. du Lutheranis. l.2. p.m. 182. l'on peut dire, qu'on ne vit jamais d'amitie plus surprenante, & plus extraordinaire que celle là, qui fut fondee, ce que je ne crois pas qu'on ait jamais veü, sur les deux naturels du monde les plus dissemblables, & qui doivent avoir en suite une invincible antipathie.* Ivit non solum cum *Luthero* ad Colloquium Marpurgense, in quo jubente Landgravio cum *Zvvinglio* disputavit; sed & electus fuit postea, qui in Comitibus Augustanis 1530. confessionem *Saxonicam*, postea à loco *Augustanam* dictam, adornaret, à *Luthero*, cui ad cognoscendum transmissa fuerat, penitus probatam, de quo *Chytr.* in *Hist. A. Conf.* p.21. b.26. b.30. *Confutationem* suam cum Confessione huic postea opponerent Pontificii, pro eadem scripsit *Melanchthon Apologiam*, quæ hodie adhuc inter libros Ecclesiarum Evangelicarum Symbolicos, & normales, numeratur. Negari hinc nequit, in illum ista tempestate præcipue negotia rerum Theologicarum incubuisse, de quo prolixius *Cælestin.* *Hist. Comit. Augustan.* testatur. Constat insuper, pluribus conventibus, & colloquiis, religionis causa institutis, eundem interfuisse. Ast qui tam præclare diu steterat, tandem ad lapsum inclinare cœpit. *Gottofred. Arnoldus* equidem in *Hæresiol. P.I. l.16. c.9. §.4. & 5.* de Theologia *Melanchthonis*, quam *miseram* appellavit, & quod concinno ordine tradendi usus idem fuerit, parum magnifice sentit; in quo etiam Fanatice improbavit elegantiorum literarum, & Philosophiæ ancillarem & organicum usum in Theologia; Quo facto Paulum quoque reprehendat necesse est, quem à sententiis Gentilium Poëtarum, in suis conscribendis Epistolis, non plane abhorruisse notum est. Rectius *D. Wigandus* apud *Schleißelburg.* in *Theol. Calvin.* l.2. p.117. *additus*, inquit, *erat Melanchthon Luthero, singulari DEI munere, ut artes repurgaret, & methodo concinna propagationem*

tionem

tionem doctrinae caelestis, per ministerium Lutheri repurgata adjuvaret. Add. ex Reformatis Hoornbeck Sum. controvers. l. 9. p. m. 638. Licet id non negaverim, plus justo Rationi per *Philosophiae abusum* indulgendo Philippum, Sacramentario dogmati plus justo etiam favisse, donec quoad hoc penitus ad Calvinianos deficeret. Non enim idem mansit. Interim non decet infantem cum sordibus ejicere, prout facit *Arnoldus*, sanioris etiam Philosophiae, & humaniorum literarum hostis, in *Hæresiol.* P. I. l. 16. c. 10. 18. per omnimodum Philosophiae contemptum, legitimo ejusdem sobrioque etiam usu profligato, Idem *Pietastri* faciunt, scrupulos irrationabiles hic sibi fingentes, Fanaticorum exemplo, de quibus *Dnn. Theol. Hamburg.* in *Quæst. Grewel* c. 7. Sed ut ad *Melanchthonem* redeamus, à *Maimburgio*, scriptore Pontificio, in *Histoire du Luther.* P. I. l. 2. p. 182. de eo refertur, quod fuerit *un homme d'esprit doux, humble, retenu, complaisant, ayant l'air tout à fait modeste & mortifié, fort sérieux, aimant la paix, soupirant après l'union, & toujours prêt à s'accommoder, s'il eust esté le maître, timide au reste, irresolu.* Genio tali indulgentem, & *Rationem*, quæ τὰ ἑνὸς καὶ τοῦ ἑτέρου non capere, nec *mysteria*, quæ ἡμεῖς οὐκ ἔσμεν καὶ κατὰ τὴν ἡμετέραν nostram sunt, *spiritualiter* dijudicare potest, 1. Cor. 2. v. 14. sub obsequium fidei non ut decet redigentem, labi facile posse, lapsumque esse, non est cur miremur. Fecisse etiam hoc Philippum, ipsa non dubitare permittunt rerum gestarum *Acta.*

§. 6. Objicitur eidem *nimum placendi studium* usque eo, ut *Spondanus* t. 2. *Annal.* ad annum 1560. etiam suis, h. e. Romano-Catholicis, *Melanchthonem* placere studuisse scripserit. *Maimburg* l. c. non dubitavit de eo memoriae prodere, quod *doutant de tout, si peu ferme* fuerit dans les points de *sa creance*, dont il a écrit tres diversement, que les *Zwingliens, les Calvinistes, & les Ariens, mesmes* ont prétendu l'avoir de leur côté. Sed injuria fit *Melanchthoni*, quod attinet dogmata fidei inter Catholicos & Arianos controversa, quando hos ad illius consensum sub specie veri provocare potuisse vult *Maimburgius*. Non enim ostendi poterit, de ὁμοσίου Filii cum Patre eundem dubitasse, vel ambiguae locutum esse. Fallitur idem scriptor, quando addit: *Mais cela n'avint qu'après la mort de Luther.* Et si

B

enim

enim post Lutheri mortem liberius cum Calvino communicaverit, imò ad Calvinianos, quod attinet articulum de S. Cœna, aperte lapsus fuerit; vivo tamen Luthero adhuc lubricus jam stare, jam ad Zvinglianum Sacramentarium errorem inclinare visus fuit. Prolixè explicavit B. Hurterus Conc. Conc. c. 11. quomodo Philippus, cum ab initio purus & orthodoxus esset, anno 1536. literis ad *Jochim. Camerarium* se à sententia Lutheri alienum esse confessus fuerit; anno vero 1538. flexiloquis & ambiguis formulis de Cœna uti inceperit, *cothurno pro ingenua edita confessione*. Notat hinc *Hoorbeck* Sum. controv. l. 9. p. m. 639. sq. quod imprimis à *Conventu Marpurgensi*, & *Colloquio Cassellano*, cum *Bucero* an. 1535. mitius se gesserit, & viam concordie sectatus fuerit: deniq; in suorum tandem etiam plene cesserit sententiam, post cultam cum Calvino præcipue integerrimam constantemq; familiaritatem. Paulo ante mortem Lutheri parum aberat, quin similitas occasione controversiæ Sacramentariæ eundem inter & Philippum orta, in apertam *σύρραξις* erumperet, contendente Luthero, ceu refert literis ad Electorem Sax. *Joh. Frideric. Pontanus*, si Philippus in concepta opinione perseveret, de quo non dubitet, potiore veritatis divinæ rationem habendam esse. Sublato autem è vivis Luthero, non solum Calvinii sententiam de S. Cœna suam fecit, sed & Calvinianis suam contra Orthodoxos opem obtulit, tanto fervore, ut cum mansuetus & mitis ante fuisset, etiam vergente ad exitum vita, Spiritu persecutionis iniquo se agi passus fuerit, cum prior Philippus esse desisset, de quo *Hurter*. l. c. p. 338. De hoc ad Calvinianos lapsu Philippi, vid. etiam *B. Dannhaw*. Salv. Reform. p. 127. Sane in certamine Zanchiano, hic magni hujus viri lapsus, & cum Sacramentariis conspiratio, multum negotii fecit *B. Marbachio* nostro, ceu Actæ hujus certaminis prolixius docent.

§. 7. Idem *Philosophiæ abusus*, magisterium sibi circa doctrinam cœlestem arrogantis; *præposterum* item *adversarii complacendi studium*, peperit viri *Synergismum* in corpore doctrinæ Philippicæ contentum, de quo errore rursus *B. Hurter*. in Conc. Conc. p. 345. & *Explic. l. Conc. art. 2. p. 197.* Recte *B. D. Hulsemann*. noster præf. in l. de Auxil. grat. scripsit, quod Scholasticis nullum thema aptius visum fuerit, cujus veritas aspersione congruentia

gruenciarum moralium ex Aristotele posset labefactari, quam hac ipsa de viribus liberi arbitrii questio. Non abs re enim cespitasse Melanchthon, vir sua laude alias dignissimus, creditur, quod Aristotelicæ Philosophiæ morali de viribus hominis, in actionum moralium exercitio, plus justo fuerit addictior. Nimirum, ut B. Schlüsselburgius in Theol. Calv. lib. 2. p. 177. loquitur, ubi Philippus sui præceptoris Lutheri doctrinam secutus est, & quamdiu suum Moysen Lutherum ducem habuit, multa præclare & salutariter in Ecclesia fecit, & singulari dexteritate præcipuos religionis Christianæ articulos explicavit. D. Luthero mortuo, versus est subito in aliud. Imo Luthero vivo jam Synergismum fovisse visus fuit, cujus edita specimen extant in Confessione August. mutata. Conf. D. Calov. Exeg. Aug. Conf. art. 18. c. 1. §. 2.

§. 8. Lapsus etiam est in *Adiaphorismum* Melanchthon; idque nimio partim metu, partim immodico placendi studio, præpostero denique concordie amore. Etsi enim INTERIM AUGUSTANUM neq; approbaverit, neq; ut aliis reciperetur suaserit, de quo etiam Dn. D. Rechenbergius vid. in dissertat. de Interim Augustan. §. 38. attamen cum illo promulgato, in quæstione de *Adiaphoris*, ob Ecclesiæ tranquillitatem adversariis, & Cæsari per Germaniam triumphanti, ab aulicis nonnullis Mauritii Saxonis Electoris sic persuasus, cedendum esse judicaret, certamini *Adiaphoristico* occasionem dedit, *Adiaphora plus justo laxando*, non sine collusione quadam cum hostibus veritatis, quibus exemplo Pauli Gal. 2, 4. non cedendum fuerat. Constat sane ex literis Philippi ad Christophor. Carolowitzium, Cæsaris & Mauritii Saxonis Consiliarium datis, quod mitius ex nimia trepidatione de libro *Interim* judicaverit, quam par erat. Multa, inquit, sponte & liberaliter largior, de quibus pugnaverunt acerrime alij. Libenter & Ceremonias, quas liber præcipit, accipio. Hutter. Explic. F. C. p. 1001. seqq. Quasi vero controversiæ istæ de *Adiaphoris* motæ, & violentior iste Carol. V. agendi modus, non ipsam simul religionem Evangelicorum, quam artibus his oppressum ibant adversarii, concernerent. Cordate hinc etiam ab aliis Theologis communi consensu fuit liber iste rejectus, etiam ab *Argentoratensibus* nostris, recte tum contendentibus, quando res ad fidem etiam, sive directe, sive indirecte, ejusque confessionem pertinet,

adversariis in usu rerum adiaphorarum, salva & illæsa conscientia, & sine jactura veritatis, nil quicquam concedi posse, præsertim quando adversarij hoc agunt, ut aut vi manifesta, aut occultis machinationibus sinceram doctrinam opprimant, & paulatim sua dogmata in Ecclesiis jam Reformatis restituant; quod etiam nostra *Formul. Concord.* art. 10. p. 791. sqq. prolixius it explicatum. Graviter itaque lapsus est *Melanchthon*, aliisq; etiam causa lapsus fuit, jura & libertatem Ecclesiæ prodendo, in *Adiaphororum* immutationem consentiens, ubi ea immutare non licuerat. Cordate proinde B. D. *Schlüsselburg.* in *Theol. Calv.* l. 2. p. 117. D. *Luthero*, inquit, mortuo, ut *Aaron* suis auditoribus vituli; ita *Philippus ADIAPHORISMI* nobis auctor exitit. Addatur ejusdem *Schlüsselburgij* *Catalog. Hæretic.* l. 13. Pessime etiam in Ecclesia idem audivit, quod *Magdeburgenses* de *Linea veste* tantum rixas movere dixerit. Conf. Dn. D. *Rechenbergius* loc. cit. th. 34. B. *Dauenhay.* *Theol. Conscient.* t. 1. p. 295.

§ 9. Adjicimus exemplis allatis adhuc lapsum flebilem *MATTHIÆ FLACII*, cui vulgo nomen *ILLYRICI* fuit, quique *Flacianorum* sectæ nomen dedit. Ex recentioribus B. D. *Alberti*, Theologus Lipsiensis cum viveret celeberrimus, in dissert. de virt. heroic. *Lutheri, Flacij, & Jacob. Andr. Flacium* hunc inter eos numerat, qui *bella Domini maxime strenue fortiterq; gesserunt*, cujus laus proinde maxima in Evangelio fuit. B. D. *Calovio* in *Exeg. A. C.* art. 2. c. 7. th. 2. dicitur *Vir alias summus, & de Ecclesia Christi cum in aliis studiis, Critices sacra, Historicis, & Exegeticis, tum in Polemicis quoq; egregie meritus.* Constat sane, eundem adversus istorum temporum adversarios, Interimistas, Sacramentarios, & alios, egregium se præstitisse virum, tanto contra adversarios zelo, ut etiam majori veritatis cœlestis habita ratione, Præceptori suo *Philippo Melanchthoni*, cum pacandæ Ecclesiæ causa, de *adiaphoris* remittendum aliquid statueret, relicta *Witteberga*, ubi Professor fuerat, se opposuerit, de quo *Sleidan.* comment. l. 21. *Thuan.* l. 5. f. 144. recte contendens, per res illas medias adversariorum religioni viam aperiri. Ipse *Hoornebeek* in *Summ. Controvers.* l. 9. p. m. 652. etsi, quod cum suis consentire, vel plus justo cedere noluerit, parum ei faveat, concedit tamen *haud poenitenda* eundem contra adversarios præstitisse.

stitisse. Ipsi enim & Nicol. Galli opera imprimis factum, ut compluribus in locis liber iste periculosus, *Interim* dictus, non fuerit receptus. Ne quid dicā de labore viri hujus, quem in compilandis & digerendis Centuriis Magdeburgensibus adhibuit.

§. 10. Ast qui tot & tantis in Ecclesiam meritis Inclaruit lapsus est, infelici & præcalido cum *Victorino Strigelio*, Synergista, certamine, in colloquio Vinariensi, cum per incogitantiam negasset, *peccatum originis esse accidens*, resuscitato *Manichaorum* errore, de quo *Augustin.* de hæres. c. 46. Fingebant enim hi *concupiscentiam esse substantiam*. Exaggeraturus quippe *Flacius*, peccati Originalis, quod est pessima & profundissima corruptio totius naturæ nostræ, & omnium virium, ad alterum extremum declinavit, ut sæpe fieri amat, & Eutychi etiam accidisse supra vidimus. Nimirum uti magna ingenia suis non carent nævis, & ad turbas inclinant, quiescere etiam nesciunt; sic *Adamo* in Vit. Theol. P. I. in Flac. p. 475. notante, in viro hoc fuit ingenium capax perinde, & inquiet, quæ eidem etiam propter dissidium in causa *Adiaphoristica* & *Interimistica* à *Melanchthone* objecta fuit. *Thuan.* hist. l. 26. f. 809. *Hoornbeck* l. c. tribuit ei *ingenium inquietum*, ac *durum*. Nimirum dona heroica, uti bene usurpata sub virtutum elogio bene audiunt; ita accedente eorundem abusu ad mala, sub vitiosorum extremorum nomine veniunt, quod etiam *Flacio* accidit. Promptitudinem enim & impetum naturalem, zelum item pro religione cum non coërcuerit, nec ad convenientem mediocritatem redegerit, debita etiam non usus moderatione fuerit; sed præceps ea quæ fervore abreptus ex incogitantia semel dixerat, accedente *ἰδιόγλωσσον*, atque pertinacia in asserendo proprio placito, impotenter assereret, DEO & veritati non cedens, perniciosissimi erroris de *Pec. Orig.* magnarumque in Ecclesia turbarum causa fuit.

§. 11. Plura exempla lapsuum hujusmodi lugubrium, à Claris in Ecclesia Viris commissorum, cum plena sit historia, non enarrabimus. *Pelargi*, *Georg. Calixti*, & aliorum lapsus alii exponunt. Sufficiant hæc pro instituto. Satis quippe docent, unde lapsus tam doctrinae, quam *Vitæ* atque *morum*, oriatur; quinam illis sint *obnoxij*; lapsi etiam *quotuplices*; & qua ratione lapsum *vitare* possimus, & debeamus. *Autor I. principalis,*

qui in lapsum præcipites dare homines laborat, & hoc nomine nihil omittit inexpertum, est *Diabolus*, qui piis varie insidiatur, tanquam *leo rugiens* 1. Petr. 5. *mendax Spiritus, in quo veritas non est*, quique quando loquitur mendacium *ex propriis loquitur*, & *pater est mendacij*, Christo Doctore Joh. 8, 44. Præcipites hic multos egit, qui stabant, & se stare etiam crediderant. Eximie *Cyprianus* tr. III. de Simp. Cleric. f. m. 163. *rapit*, inquit, *Diabolus* scil. *de ipsa Ecclesia homines*, & dum sibi *appropinquasse jam lumini, atq; evasisse seculi noctem videntur, alias nescientibus tenebras rursus infundit, ut cum Evangelio Christi & cum observatione ejus & lege non stantes, Christianos se vocent, & ambulantes in tenebris, habere se lumen existiment, blandiente adversario atq; fallente, qui secundum Apostoli vocem transfiguratur se velut angelum lucis, & ministros subornat suos velut ministros justitiæ, asserentes noctem pro die, interitum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub pretextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi, ut dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustrentur.* Nec quiescit. Hinc ab *Ignatio*, viro Apostolico, Epist. ad Trall. p. m. 168. *Simon magus appellatur* *πρωτόγονος & ἀρχαῖος ὄφεις*, *primogenitus antiqui serpentis.* Orandus ergo DEUS est, ne patiatur sic à Diabolo nos duci in tentationem, ut succumbendum nobis sit.

§. 12. Fidelem vero operam, ceu II. *causa Ministerialis*, ad lapsum infelicem nos sollicitanti Diabolo præstat *Mundus*, qui suis illecebris, & voluptatum sensus titillantium varietate, etiam fide stantes inescare tentat, graviter hinc monente Johann. 1. Epist. 2, 15. *ne diligamus mundum, neq; ea quæ in mundo.* Hæc cum *seculum presens amando*, 2. Tim. 4. v. 10. vitæ scil. hujus comoda & voluptates, unà plus justo etiam *Demas* amasse credi potest, factum hinc est, ut Paulum deseruerit, *Calov.* Bibl. ill. h. l. *Estius* licet in Comment. in c. 4. Epist. II. ad Tim. f. 328. *ad tempus tantum Demam Apostolum reliquisse censeat, ita ut postea ad eum reversus, iterum se illi adiutorem exhibuerit;* id quod ex Epistola ad Coloss. & Philemon. ceu *posterius scripta* it probatum. Sed falso nititur fundamento, cum post illas alteram ad *Timotheum* exaratam esse rectius statuatur. Conf. *B. D. Calov.* Bibl. Illustr. N. T. t. 2. f. 7. *Mundi his illecebris, quibus qui stant sæpe abrepti*

abrepti

abrepti sunt præcipites, addimus ejusdem *violentiam*, & in *persequendo furorem*, quem is adhibuit, ubi prior, & mitior via non successit. Exemplo sunt *Liberius*, Pontifex Roman. & *Hosius* Cordubensis Episcopus, quos Constantii Imp. Ariani furor fregit; illum jam in exilium actum; hunc verberibus, & ne in exilium ageretur, ad subscribendum contra Athanasium, & Arianae Confessioni Sirmiensi secundæ, coactum, ut supra vidimus. *Origenes* his addi debet, quem ex metu thurificallè fecerunt. Etsi enim plures, divina gratia roborati, immanes à persecutoribus illatos dolores superarint, dicente *Tertulliano*, Apol. c. ult. *Crudelitas vestra illecebra est magis Sectæ, plures efficimur, quoties metimur à vobis*; alios tamen præ imbecillitate etiam succubuisse, bonos alios viros, Martyrum docet historia.

§. 13. Genio mundi addimus *seculi vitium*, quod etiam multos torrentis instar abripuit, qui ad errores isto tempore receptos varia ex causa inclinantes, sæculi vitio lapsi sunt. Hoc uti dicere licet de Patribus, ante exortum Pelagianum certamen securius de viribus Naturæ & Libero arbitrio loquentibus; de illis etiam qui Chiliasmo olim addicti fuerint, quod vitio sæculi errarint; ita de *Pelagio* idem verum est, quod uti supra vidimus, *vitio sæculi* callide abusus lapsus fuerit. Idem aliis quoque contigit, referente B. D. *Ægidio Strauchio* in diſq. de Waldens. Sect. i. c. 1. aph. 1. th. 3. etiam *Bernhardum* ad illorum Catalogum, qui sic sæculi vitio ceciderunt. Applies huc verba *Seneca* Ep. 127. *Inter causas malorum (lapsus) est, quod vivimus (credimus & docemus) ad exempla: nec ratione componimur, sed consuetudine abducimur. Quod si pauci facerent, nollemus imitari; cum plures facere cœperint, quasi honestius sit, quia frequentius sequimur, & recti apud nos locum tenet error, ubi publicus factus est.* Audi vero *Jehovam* Exod. 23, 2. *non eris post multos ad mala: neq; respondebis super lite, ad declinandum post multos, ad inflectendum judicium.* Add. Esaj. 8, 20.

§. 14. Denique *Pietisticis artibus*, & *Pietastrorum* hypocrisi, ficta nimirum *Encratitarum*, *Montanistarum*, aliorumque *Hæresiarcharum*, *Arii*, *Pelagii*, sanctimonia multi olim fascinati sunt, fascinanturque, ut perverse de fide ex fictis operibus statuant: jam à primo sæculo post natum Christum pessimis hæreti-

Hæreticis magnam sanctitatem præ se ferentibus, & fallentibus. Ipsi præterea lapsi, cum stantes non caute agerent, *multiplici dispositione*, tam naturali quam *acquisita*, ad lapsum proni & expositi, accedente neglectu mediolorum, quibus ne caderent se præmunire poterant, DEO permittente, cui non constanter vera fide adhæserant, DEUM ventrem potius secuti, & diversimode *impulsi*, tam ab *externis* quam *internis* impellentibus, leguntur, ut vidimus, cecidisse, à lapsus culpa non immunes. Præternaturalem corruptionem, & hinc exortam *imbecillitatem* mortalibus communem, laboraverant hi etiam verbi divini *contemptu* atque *neglectu*. Hoc enim Hæreticis familiare fuit, annuente etiam *Alphons. à Castr.* l. 13. contra hæret. ut quando *ἡπεροδοξίαν* suam ex scripturis Prophetarum & Apostolorum probare nesciverunt, *ipsas scripturas accusarent, quasi non recte se habeant*, *Iren.* 3. contra Hæret. c. 2. quibus etiam eadem nimis *abjectæ* viæ fuerant. Hinc cum non habent, nec sciunt, ubi pedem firmum figant, perpetuis obnoxii redduntur dubitationibus, & innovationibus: *In omni volutantur errore, nunquam scientiam stabilem habentes*, ut rursus *Irenæus* l. 3. contra hæret. c. 40. loquitur. *Tatianus* certe, de quo supra, Harmoniam ex quatuor Evangeliiis composuit, memorante *Theodoro* t. IV. opp. hæret. fab. 1. c. 20. τὰς γενεαλογίας περιέψας, καὶ τὰ ἄλλα ὅσα ἐκ ἀποστόλων Δαβὶδ καὶ σαύρα γε γεννηθῆσαν τὸ Κύριον δείκνυσιν, *amputatis genealogiis & aliis omnibus, quæ Dominum ex semine Davidis secundum carnem natum ostendunt*; idque ex Scripturæ contemptu in odium conjugii fecit, ne Christus etiam ex majoribus conjugatis natus esse appareret. Unde Christus *Matth.* 22, 28. *erratis, inquit ad Sadducæos, quia non scitis Scripturam.*

§. 15. In aliis causa lapsus fuit *nimia in Theologicis curiositas*, id quod de Ario manifestum est. Nimis curiose quippe in filii DEI generationem inquirens, cum eam capere non posset, perverse de illa statuit. Non enim Scripturæ vestigiis tales insunt, nec in indagine Scripturarum lucem sequuntur, unde in devia errorum eisdem aberrare mirum non est. Improbat hinc *Apostolus*, 1. *Cor.* 4, 6. *supra id quod scriptum est velle sapere.* Aliud est, uti *Augustinum* etiam distinguere constat, esse vitiose *curiosum*, quod in errores ducit, aliud *studiosum*, sobrie sc. secundum

dum

dum lucem, & ductum verbi divini, ita ut extra, contra, & præter illud sapere velle religio nobis sit. Eximie *Chrysoſtomus* loquitur apud *B. Hulſemann.* de corrept. frat. p. 93. *Quoties aliquid novi, curioſa nimirum hujusmodi indagine etiam, fuerit introductum, continuo parturit alias novitates, & nescit terminum error illius, qui tranquillum fidumq; veritatis portum semel reliquit, Diabolo, & propria etiam malitia, curiosos hujusmodi nugivendos, ambitioſaque ingenia subinde longius in devia à vera via abripiente, propellente, & in gravioreſ errores præcipitante.*

§. 16. Auget vitioſam hanc *curioſitatem*, quæ in lapſum parum ſobrie, & parû pie curioſi exire ſolet, pari elogio dignum *ſtudium novitatis*, ejuſque pruritus Paulo improbatus, 2. Tim. 2, 16. 1. Tim. 6, 20. Concernit id vel novitatem quoad voces, etiam nius literæ, vel novitatem dogmatum. Priorem quod attinet novitatem, propter *πανουργίαν* Hæreticorum omnino licuit, licetque Eccleſiæ nova uſurpare, invenire etiam nomina, ad reſ fidei in ſacris contentas brevius & clariuſ explicandas, hæreticoſque eo arctiuſ & meliuſ conſtringendos, dogmataque cœleſtis veritatis adverſuſ illorum malitiam aſſerenda, & defendenda, de quo *B. Balduin.* Comm. in 1. Tim. 6. v. 20. q. 6. *Dannhaw.* in *Hodof.* p. 169. annuentibuſ etiam priſciſ Eccleſiæ Doctõribuſ, *Auguſtino, Athanaſio, Hilario.* Aſt quod attinet novas voces, quæ ſimul nova dogmata in ſcripturiſ non contenta ſecum ferunt, ut *Arianorum* ἑμοιόσιον, de quo *Sozomen.* H. E. l. 3. c. 17. ſq. *Eutychiſ* etiam & *Eutychianorum* ἐκ δύο φύσεων tantum, non vero ἐκ δύο, ex duabuſ naturiſ, ſcil. ante unionem factum eſſe, non vero in duabuſ naturiſ integriſ & inconfuſiſ, poſt unionem permaſiſſe *Chriſtum*, contendentiuſ; cum Orthodoxi illud *Gregoriſ Nazianzeni* probarent, τὰ ἐξ ὧν, καὶ ἐν οἷς, καὶ ἀπερ, nimirum naturam ſuam eaſ, divinitatem ſcil. & humanitatem, ſervare, ex quibuſ, & in quibuſ, & quæ ſunt, apud *Niceph.* H. E. l. 18. 46. Hæc novitas merito ſuſpecta eſt, ceu quæ de periculo lapſuſ, & novaturientiſ ad labendum inclinatione, ſi non de lapſu jam factõ teſtatur. Os enim ex abundantia cordiſ ſæpe loquitur. Notamuſ proin hoc caractere merito etiam *Arium*, qui ingenium ſuum ad novitatem circa doctrinam de ſacra Trinitate malitioſe pruriens, & quid mali contra hanc veritatem cœleſtem

C

ſtem

stem moliretur, foveretque, & quorsum inclinaret, mature prodidit, ceu in disp. 1. th. 13. explicatum. Petro enim Episcopo Alexandrinam Ecclesiam administrante, impia jam adversus Trinitatem agitando, *ab initio studium suum super dogmate suo satis declaraverat*, memorante Nicephoro H. E. l. 8. c. 5. Qui novandi pruritus hominem malitiosum, ingenio suo, Eloquentia, & Dialectices peritia fretum, in pestilentissimum errorem precipitavit. Tam periculosum est ingenia novitatum Theologiarum avida, & mature in dissensum prurientia tolerare, recipere, & fovere, ceu data occasione virus suum, quod retinent, majori damno evomitura. Conf. D. Bebel. Exercit. ad Const. Epist. Irenic. th. 17. Tegant licet suam malitiam, & novandi studium ad tempus.

§. 17. *Pietismus* præterea inordinatus, hoc est *pietatis studium preposterum*, quæ lapsuum magnorum causa fuerit, superiora etiam comprobarunt exempla. Eximie B. Dannhauer. in Myster. Syncret. p. 66. *versipellis*, inquit, *ille spiritus in omnia extrema fertur: cum polemica ardent, friget pietas: cum hæc incallescit, ac ad entusiasmos inclinat, illa proscribuntur.* Duo Pietatorum extrema sunt ad quæ declinare, & in quæ incidere solent, à genuinæ & veræ Pietatis medio aberrantes. Alterum est *Enthusiasmus & Fanatismus*, ficta item pietas; alterum *ignavia, tædium, fuga Theologiæ Polemicæ*, quæ sic vocatur, atque controversias tractat. Ficta pietas quo ferat homines, aliis imprimis vitiis obstetricantibus, *Tatiani* inter Pietastros primorum Ecclesiæ temporum antesignani patet exemplo. Vir enim hic Pharisaico fastu turgidus, velo pietatis ambitionem occultare voluit, non eam quam debebat affectans perfectionem, & præ se ferens pietatem, sed Pharisaicam. Hinc intemperie hæc superandi pietate Magistrum, *Justinum Martyrem*, abreptus, quo majoris sanctimonix & castitatis specie orbi Christiano imponeret, etiam cæteris deliriis pietatis faciem asserturus, in lib. de *Perfectione secund. Servat.* apud *Clem. Alexandr.* l. 3. Strom. p. 460. nuptiis quoque legitimis suam & pietatem & honestatem, ob majorem continentiam sc. detractum ivit, ex non peccatis faciens peccata, de quo supra disp. 1. th. 10. & Montanistis præludens, atque Novatianæ etiam hypocriseos prima fundamenta jaciens;

ciens; de quo in dissert. de Novi hom. induit. III. th. 7. etiam actum. *Montani* insignis secundi seculi Pietastri pietas, quomodo ad Enthusiasmos jactatos incaluerit, infra DEO aſſente, explicabitur. Pietastros etiam, licet non eadem fallendi specie & arte, *Arium*, *Pelagium*, *Nestorium* fuisse, in superioribus vidimus dissertationibus, abripiente Pharisaica intemperie cunctos; licet diversimode. Ille enim, *Pelagius* scil. sub prætextu flagitiosæ inter Christianos ignaviæ corrigendæ, & ex ignavia prætenſæ impossibilitatis perfectæ, ut Christianos decet, vivendi, confutandæ, ipsi cruci Christi bellum intulit: Hoc ambitionem & fastum suum, novandi item pruritum, fictæ pietatis imagine, qua & impius in Christum *Arius* suam nequitiam occultatum ïvit, tegente.

§. 18. *Syncretismi* non minus & *Libertinismi* studium quod à veritatis tramite præcipites egerit sui cultores, supra patuit. Quanquam enim ambitio, lasciviâ & libidine, hypocrisis item & avaritiâ comitantibus, *Simonem Magum* ad ultiores abripuerit impietates; quod tamen ex Gentilismo, Samaritanismo & Christianismo mixtum doctrinæ genus excogitaverit, Syncretismo hominis, studioque ejusdem impio Gentiles, Judæos, & Christianos babelice uniendi, merito tribueris. Bene *Colbergius* de Origin. & progres. hæres. c. 1. th. 3. p. 4. Dogmata *Simonis*, inquit, philosophemata sunt Platonica varie interpolata, & novis accessionibus ex Christiana religione aucta, ut tota hæresis Platonico Christiana, vel Christiano Platonica dici mereatur, quam *Judæorum Pseudo-Theologia* & *Samaritano Syncretismo* temperavit. Add. *Grot.* ad Matth. 24. Quod vero ejusmodi fœditates immiscuerit, quæ notante *Eusebio* Hist. Eccl. l. 2. c. 13. edit. *Gryna.* non modo scriptura tradi nequeunt, sed ne labiis quidem propter turpitudinis & obscœnitatis excellentiam, ἄρεβόλω ἀιχρηγίας, à pudicis viris proferri possunt, id *Libertinismo* hominis nequam impunitandum.

§. 19. Ad lapsum alios impulit *Singularitas*. Hæc quid sit, ita definit *Vincentius* in Spec. Moral. l. 3. P. III. dist. 6. *Quintus*, inquit, gradus superbiæ est *Singularitas*, per quam non sufficit homini facere, sicut alij faciunt, vel tenere, quæ jubet communis regula. L. c. dist. 2. ait, quod *singularitas* sit, per quam quis vult alius sanctior apparere.

parere. Familiare itaque ut malum hoc est hominibus *superbis* & *ambitiosis*, cupientibus majoris eruditionis, ingenii, sanctimoniam etiam & pietatis opinione, & elogio, præ aliis aestimari, & celebrari; ita nec deest iisdem *jactantia*, qua tales se verbis extollunt, contra quam Apostolus fecit 2. Cor. 12, 5. sq. neque *Arrogantia*, qua se aliis præferant, judicantes se cæteris meliores esse, eodem improbante Apostolo, Rom. 12, 3. 16. atque *Presumptio*, qua ex nimia sui fiducia, atque præfidentia, suis viribus plus justo sibi que tribuunt, imò ultra suas facultates aliquid attentant, contra quam præcipitur Rom. 12. v. 15. 16. Ne de *Æmulatione* quid dicam, ob bona quæ æmulator iniquus aliis, qui illi similes sunt, evenire videt. Horum vitiorum omnium radix est *Philautia*, cum quis vitioso mentis oculo seipsum, suaque dona intuens, ea majoris facit, quam par est. Confluxerant hæc prava, & hæreticæ dispositionis semina non in *Origene* tantum, sed & in *Nestorio*. Hic enim omnia sua, Eloquentiam nimirum, eruditionem affectatam, majoris faciens quam fieri debebat, nimia hac sui aestimatione ad illam Sapientiam non pervenit, ad quam se pervenisse putaverat. *Viciosus* hic *sui amator*, qui mentem hominis occæcaverat, ut fastu turgidus, animo elatus, alios præ se contemneret, erupit in *singularitatem*, cum vitæ & morum, de qua *Theodoret.* ad Sporac. t. IV. opp. f. 696. tum *doctrinæ*, atque *modi* de mysteriis & articulis fidei loquendi, cum negaret, pro concione etiam, B. Mariam Θεοτόκον dici debere, voce hac rejecta, id quod omnium tam Clericorum, quam Laicorum animos magnopere conturbabat. Nam jam olim didicerant, Christum verum DEUM esse, & nequaquam propter incarnationis mysterium, tanquam solum hominem à divinitate separatum, memorante *Socrate* H. E. 7. c. 32. Ita *Philautia*, ejusque pedissequæ *superbia* & *ambitio audacem* reddiderunt *Nestorium*, ut ex fœda *jactantia* sub initium sui muneris ad Imperatorem dixerit: *Mihi* ô *Imperator* *terram hæreticis tu purgatam* tribue, & ego tibi *cælum* retribuam: Tu mihi in *profligandis hæreticis* subveni, & ego tibi in *profligandis Persis* subveniam. Sceleratam ejus *presumptionem*, & *arrogantiam*, qua in interpretandis scripturis se omnibus prætulit, quos ante se *scripturam ignorasse* contendebat, ex *Vincentio Lirinens.*

uens. supra descripsimus; ita ut mirum non sit, id quod *ambitio* in eodem concepit, *audacia* promovente, *studium novitatis* ob-
 itetricante pudenda ejus pro Episcopo tanto *ignorantia*, & vana
presumptione, produxisse. Possemus plura addere ex Historia
 Ecclesiastica exempla illorum, quos ex ambitione & superbia
 exortus novandi pruritus hic, impellente audacia, præcipites
 egit. Vid. B. Bebel. Antiq. Eccles. P. I. p. 917. P. II. tom. II. p. 1138.
 1138. Dn. D. Irrig. de Hæresiarch. c. 8. p. 86. Conf. etiam Hoorn-
 beck. Sum. Controv. l. 6. p. 405. Ignorantibus ex audacia novatu-
 rientibus addimus *αὐτοδιδάκτες*, & *semidoctos*. Hoc genere ho-
 minum nullum datur pestilentius, sive in Ecclesia, sive in Politia
 pruriant. D. Paulus sane i. Tim. 1, 5. sqq. nonnullos a charitate
 ex puro corde, & conscientia pura, & fide non hypocritica aberrantes,
 aversos esse ait *εἰς ματαλογοῦσαι*, ad vaniloquium, *θέλοντας εἶναι νομοδι-
 δασκασκάλλες, μὴ νοῦντας, μήτε ἄ λέγασσι, μήτε περὶ τίνων ἀσβεβαί-
 ενται*, dum volunt esse legis doctores, cum tamen non intelligant, neq;
 quæ dicunt, neq; circa quæ asseverant. Hi cæcorum ductores cæci
 facti, cum illis in foveam incidunt, Doctore Christo Matth. 15, 14.
 Recte hinc B. Dannhauer. noster Antichr. s. I. art. 5. p. 157. pesti-
 lentissimum genus hominum, ut in aliis scientiis, e. g. Empiricorum,
 Rabularum; ita & in scientiarum principe Theologia Semidoctorum
 esse dicit, qui ut canes lambitant potius, quam lambunt. A solida
 omnibusq; (quæ quantum hæc fert mortalitas) subsidiis, cum artium tum
 linguarum instructa eruditione Theologica, quæ precibus sua studia
 sanctificat, *ὡσεὶ λογισμῶν* utitur, nihil facile est quod metuas;
 multum autem licentiosa ignorantia, quæ si à primo ovo numeres, semper
 mater heresium aut schismatum excitat. Addimus *ἐκ τῶ ἀπο-
 φύλων* Estium, qui in Comm. i. Tim. 1, 7. omnino, inquit, quisquis
 impuro & ambizioso corde ad studium accedit, volens haberi doctus, &
 magnus, facillime declinat ad hæreses & vaniloquia. Plerumque
 autem hoc contingit ignorantia, si vel cum zelo vehementiori,
 vel cum audacia, vel cum superbia conjungitur, uti Eutychi & Ne-
 storio imprimis, hoc modo ad lapsum dispositis, id contigisse su-
 pra ostendimus.

§. 20. Docent etiam superius allata, per donorum divini-
 tus concessorum malitiosum abusum egregia, & præstantissima quæ-

que ingenia cecidisse, *Origenis, Arii, Pelagij & Eutychis* exemplo; quibus ex *Vincencio Lirinensi* contra hæres. c. 16. addimus *Photinum, virum ingenij viribus valentem, & doctrinæ opibus excellentem, & eloquio præpotentem, graviter disputantem*; atque *Apollinarem; itidem Virum, quo nil præstantius acumine, exercitatione, doctrinæ fuisse idem affirmat.* Insolentius vero DEI donis abutuntur homines, vel unde illa acceperunt non agnoscendo, contra 1. Cor. 4, 7. Jac. 1, 17. vel, quod *Originem* fecisse *Lirinensis* l. c. ait, ingenio suo nimium indulgendo, sibi que satis credendo, rationem etiam sub obsequium fidei non captivando, contra 2. Cor. 10, 5. id quod petulanter *Arium* neglexisse constat; veteratorie religionis Christianæ doctrinam tractando; in quo nequitia genere *Pelagius* magistrum malitiose præstitit. Ne de petulantia scripturis divinis insultandi, & pro lubitu illas maligne detorquendi, quid dicam; quæ & similes malæ mentis sordes in *pertinacem* tandem, & hæreticam degenerant *ιδιοπροσωπιαν* atque studium non cedendi. Merito enim deseruntur à Numine propitio, qui ex se potius, quæ ex DEO sapere volunt. Multi, inquit *Hilarius*, l. 8. de Trin. qui *simulantes fidem non subditi sunt fidei, sibiq; fidem ipsi potius constituunt quam accipiunt, sensu humane inanitatis inflati, dum quæ volunt sapiunt, & nolunt sapere quæ vera sunt, cum sapientia hæc veritas sit, ea interdum sapere, quæ nolis.* Referimus huc *Philosophiæ abusum*, de quo Paul. Col. 2, 8. quam Hæretici à Platonicis potissimū acceptam monstrosè cum Christianismo commiscebant, exemplo *Simonis Magi*; monente hinc *Tertulliano* de Præscr. c. 7. *ipsas hæreses à Philosophia subornari.* Committitur etiam hic abusus *Philosophiæ*, & ad hæresin lapsumque ducit, si eam in rebus fidei dominari permittimus. Quomodo autem *Theologiæ* dominetur, explicat *B. Dannhauer*. Antich. p. 158. Idem *Arius* fecit, cujus potiora argumenta abusus *Philosophiæ* spirarunt. Abusus *Philosophiæ* similiter in *Philippo Melanchthone* olim notasse nostros, supra diximus. *Eloquentiæ autem Ecclesiasticæ abusu* rursus *Nestorius* inflatus, errores suos rhetoricando se auditoribus suis persuadere posse homo semidoctus, & *αὐτοδιδάκτ* censuit. Exempla alia sunt odiosa.

§. 21. *Nimius non minus fervor, iracundia, & ex iracundia exorta vindicta cupiditas magnorum in Ecclesia lapsuum, à claris viris commissorum, plurimarumque turbarum atque calamitatum causa fuit. Offensi enim tales, & contumeliam ferre nescientes, ad vindicandas injurias, quas sibi illatas putant, feruntur impatientes, donec ultionem eo, qui ipsis conveniens visus fuit modo, executi sint. Unde cum ira magis sit à temperamento hominis, quam à voluntate, patet hinc, fieri posse nonnunquam, ut illius etiam vitio, & occasione, simul inclinentur ad hujusmodi impietates. Constat sane Melancholia prædominante, ni verbo DEI se regi patiantur, superstitioniores aliis reddi homines, & ad Pietismum Pharisaicum nonnunquam ita pronos, ut suis deliriis indulgentes, etiam abnegata libertate Christiana ad Enthufiasmum usque incalescant. Vicissim alii, in quibus sanguis liberius grassatur, ni divini Numinis metus, & amor eos coërceat, ad Atheismum & Libertinismum practicum prolabuntur. Melancholico, & Cholerico temperamento Nestorium præditum fuisse, Historia tradit. Inquietum hinc, elatumque, & iracundum animum suum pietatis externæ velo occultatum ivit Pietaster, in defendenda hæresi suæ ambitionis majorem, quam Pietatis sinceræ, habens rationem. Ex iracundiæ furore itaque, atque impatientia lapsos quod attinet, *Valentinus* ingenio & eloquio potens, cum Episcopatum frustra sperasset, indignatus de Ecclesia authenticæ regule abruptit, ut solent animi pro prioratu exciti, præsumptione ultionis accendi, ad expugnandum conversus veritatem, ut loquitur, *Tertullian. l. contra Valentin. f. m. 388.* Similiter, ut alios mittam, *Porphyrius*, memorante *Socrate H. E. l. 3. c. 19. Casarea Palæstina à quibusdam Christianis reprehensus, cum præ gravi, qua ardebat, iracundia illud ferre non posset, religionem Christianam deseruit, & præ odio illorum, qui ipsum coarguerant, ad libros conscribendos, quibus maledice & contumeliose Christian. perstringeret, præceps fuit. Quid Carolstadius ex iracundia fecerit, suo dictum est loco. Hoc tamen nomine non censeri debet, si quis convenienti zelo usus falsis Doctoribus contradicit; modo propriis nil detur affectibus, neque φιλαυβία & arrogantia res geratur, omisso omni perverso contendendi vincendique studio**

studio. Annuimus Dn. Hoornbeeck, quando in dissert. de controv. & dispp. Theol. in Sum. Controv. p. 29. ita loquitur: *Viri sapientis est se temperare, suiq; nunquam non esse compotem, tum ut mens iudicio semper polleat, promptaq; sit in eruenda veritate: tum ut huic sua constet apud omnes reverentia & dignitas, qua inter iurgia vehementer concutitur, & tantum non admittitur.* Id cum non sine animorum collisione & exacerbatione sæpius contingat, in hominibus carnalibus præsertim, qui nesciunt *carnem crucifigere cum concupiscentiis*, Gal. 5, 24. funestæ hinc ultionis cupiditas, & furoris rabies in perniciem etiam Ecclesiæ haud raro minus pios abripuit, quos laudem Christianæ mansuetudinis potius, quam voluptatem ultionis concupiscere decuisset.

§. 22. Denique cum lapsus causa plurimis fuerit *Ratio*, DEI hostis, in rebus fidei dominium sibi arrogans, quam & ad Libertinismum, Indifferentismum, & Eclogismum sollicitare constat, cuiusmodi fœtus monstrosus etiam est illud *Erici Fridlibij* scriptum: *Untersuchung deß Indifferentismi Religionum*; coronidis loco subiciemus huic tractationi locum Nicol. Vedelij, Reformati, c. 4. arcan. Armin. *Non debet disputator ita progredi: Hæc doctrina absurda est rationi sanæ, seu ex ea sequitur hoc vel illud absurdum: Ergo verbo DEI repugnat. Ita progredi noli. Sed ita tibi progrediendum est: Hæc doctrina verbo DEI repugnat: Ergo est absurda. In illo iudicio firmando, non incipe à ratione, sed à scriptura incipe. Aliter si faxis, saltem hoc perpetuo ages, ut ab ea doctrina quam longissime recedas, & ad tuam opinionem scripturam perpetuo inflectas & contorqueas; tunc tibi in mentem non veniet dogma esse supra naturam, quod absurdum & rationi contrarium esse per consequens nunquam possit; tunc rejicies veritatem, eam convitiis horrendis peres, qua in ipsum DEUM redundant &c. sic hæresibus & schismatis porta occludetur.*



DISPUTATIO IV.
DE
LAPSU TERTULLIANI
AD
MONTANISTAS.

ARTICULUS II.

Quo agitur de lapsu Tertulliani, in specie,

SECT. I.

DE

INGENII TERTULLIANI CHARACTERIBUS.

§. I.



rum videri non abs re pos-
sit, cur hæc moveatur quæstio, cum in
Antiquitate non solum lapsus hujus viri
tot lamentis deploratus, sed & tot fide
dignorum testium testimoniis assertus,
libris denique *contra Ecclesiam* à lapsu
editis, *de pudicitia* scil. *de fuga in persecu-*
tionem, de jejuniis, de monogamia, de ecclasi,
notante *Hieronymo* in *Catal. script.* confirmatus sit. Verum uti
alias factum à multis constat, ut manifestæ veritati contradicere
potius, quam eidem manus dare maluerint, ita hic idem à non-
nullis pari modo fuit peccatum. Judicium etiam *B. Cypriani,*
gloriosi Martyris, de *Tertulliano,* & affectus, quo fortissimus hic
pro fide *Jesu Christi* miles eundem complexus fuit, quum me-
morante *Hieronymo* l. c. ex relatione *Pauli* cujusdam *Romæ* ei-
dem facta, *nunquam absq; ejusdem lectione unam diem præterierit,*
dicere etiam solitus fuerit, *da mihi Magistrum, Tertullianum vide-*
licet significans; Hæc, inquam, creduntur insequentium Docto-
rum,

A

rum,

rum, *Augustini, Hieronymi, Hilarij, Vincentij Lirinensis*, aliorumque testimonia, & accusationes Tertulliani suspectas reddere non absque ratione, cum non videatur de *Montani satellite*, uti ab aliis Tertull. appellatur, tantus *Christiane pietatis athleta*, cujus pectus *Apostolici Spiritus vigorem ubiq; fragrans, ardere Evangelica pietate recte* judicavit *Erasmus*, in Præf. ad Laurent. Pucc. tam magnifice statuisse; quod etiam *Sandius* urget H.E. l.1. p.m. 154. licet, quoniam à fide dignis ita asseratur, contradicere nolit. *Timannus Gesselius* autem Hist. sacr. & Eccles. N.T. p. 299. ex *Hieronymo & Augustino* conatur probare, *Tertullianum ad Montani dogma quidem, non autem ad sceleratam ejus communionem dilapsum esse*: id quod ante illum etiam *Junio* in vit. Tertull. sic visum fuerat. Inter complures operum *Tertulliani* editiones, de quibus agere volumus, cum id novissime præstiterint *Dn. D. Irrigius* dissert. de hæresiarch. f. 2. c. 13. n. 24. sqq. *Ellies Dupin*, Nouvell. Biblioth. des Auteurs Eccles. t. I. in Tertull. vit. p. 105. *Sandius* de vet. script. Eccles. p. 52. etiam extat editio *Georgij Ambianatis*, Capucini, tribus constans voluminibus, editis Parisiis an. 1648. 1650. qui & ipse *Tertullianum ad Montanistas defecisse* negat. Celebris nostræ ætatis, sed sæpius parum sincerus scriptor, *Dn. Gothofredus Arnoldus* in Hæresiol. P. I. l. 2. c. 4. §. 54. *Tertullianum* Catalogo Montanistarum inferere non dubitat equidem, notans in margine, *Tertullianus enim Montaniste; sed lapsus ejusdem non agnoscit*, cum de Orthodoxia Montanistarum prolixè verba faciat, & quem nos *lapsum* dicimus, contra veritatem historicam, & piorum Ecclesiæ Doctorum testimonia, pro *Orthodoxo* habeat. Duo itaque erunt probanda. I. *Tertullianum prius orthodoxum defecisse ad Montanistas*. II. Deinde ad Montanistas deficiendo eundem *lapsum esse*. De his ex historia Ecclesiastica tantum disquirere, non vero integram vitæ & mortis *Tertulliani* historiam explicare animus est, ex qua illa tantum petenda erunt, quæ ad nostrum institutum videbuntur facere. Post *Hieronymum* alias in Catal. & ea quæ *Euseb.* H.E. l. 2. c. 2. habet, *Augustinus* item passim, *Vincentius Lirinensis, Lactantius*, quæque de seipso etiam interdum in libris suis memoriæ prodidit ipse *Tertullianus*, in tradendis illis, quæ ad notitiam vitæ magni hujus Viri pertinere credita fuerunt, fabulis etiam interdum non omissis,

omissis, uti *Pamelio* & *Georgio Ambianati* doctissimus *Du Pinus* in not. ad vit. *Tertull.* l.c. p. 107. objicit, solliciti fuerunt *Rhenanus*, *Pamelius*, *Allixius*, *Fayollius*, *Baronius*, & alii; ex nostris *B. Dannhæverus*, *B. Bebelius*, *Dn.D. Ittigius* &c. Prius vero de *Ingenio Tertulliani* nonnulla notabimus.

§. 2. Quod itaque *TERTULLIANUM* attinet, de quo nostra decurret dissertatio, cum & aliis hoc nomen fuerit, dictus ille fuit *QUINTUS SEPTIMIUS FLORENS TERTULLIANUS*. *QUINTUS*, quod quinto loco esset natus: *SEPTIMIUS* à gente *Septimia*, regia primum, deinde plebeja, deniq; *Consulari* & *Patritia*. *FLORENS*, à certa gentis familia; denique *TERTULLIANUS* à *Tertullo*, ut ab *Octavio Octavianus*, explicante *B. Bebelio* nostro *Antiq. Ecclesiast.* sec. III. a. 1. §. 3. p. 459. dissentit autem nonnihil *Junius* in vit. *Tertul.* Cui etiam *Tertullianus* dictus videtur hic *Septimius*, quod pater in consularem familiam *Tertulli* arrogatione transiverit, quum *Tertullus* *Coss.* fuisse constet. His nominibus distinguitur hic de quo loquimur *Tertullianus*, à *Tertulliano* *Jcto*, cujus adhuc hodie in *Digestis* occurrunt fragmenta, v. c. l. 27. ff. de *L. & Senatus C.* & alibi. Etsi enim, quod *Euseb. H. E. L. c. Τερτυλιανὸς τῆς Ρωμαίων νόμος ἠκελευσῶν*, *Tertullianus* vir legum Romanarum peritissimus audit, nonnulli hinc suspicari non dubitaverint, *Tertullianum* illum, cujus inter *Scriptores Ecclesiasticos* tam celebre nomen fuit, etiam fuisse *Jctum*, & nominatim illum *Tertullianum*, cujus in *Pandectis* allegantur ll. qq. & de *peculio Castrensi*; non abs re tamen nobis dubitare videtur doctissimus *Valesius* annot. ad *Euseb.* l. c. f. 24. sq. quin hic diversus sit ab illo *Presbytero Carthaginensi*. Doctissimus vero *Du Pinus* l. c. p. 107. id pro certo habet. Non solum enim nullo sufficienti Antiquitatis testimonio id probari potest, sed nec sermo latinus *Tertulliani Jcti* cum sermone latino *Tertulliani Presbyteri* ita convenire videtur, ut pro uno sine ratione dubitandi haberi debeant. Laudi præterea ob eximiam *LL. Romanarum* notitiam *Tertulliani* nostri nil decedit, quam etiam eidem non denegatum imus, quæ quoque ex doctissimis ejusdem opusculis cognoscitur, licet non credatur, eundem esse illum *Tertullianum*, cujus in corpore *Pandectarum* fit mentio. Celebratur præterea *Tertullianus* à *Martyrio*, quod sub *Decio* sustinuisse dicitur à *Magdeburgensibus*

nostris Cent, 3. c. 12. f. 702. ex *Henrico de Erfordia*, citante hoc nomine *Beda* libr. minor. de temporibus. Idem *Rhenanus* noster in vit. *Tertull.* ex *Reginone*, scriptore rerum Germanicarum, affirmat; licet non meminerim, me observasse in *Chronic.* ejusdem, à *Rotenhanio* edito, cum enarrat illos scriptor, qui sub Imperatoribus Ethnicis martyrio sunt coronati, mentionem *Tertulliani* inter martyres esse factam. Nisi pro *Herculiano Tertullianus* legendus sit; quod tamen Martyrium à *Reginone* ad tempora *Valeriani* & *Gallieni* refertur, cum *Hermannus Contractus* sub *Decio* id contigisse referat, qui vero longe recentiores sunt autores, quam ut sine testimonio antiquitatis fidem mereantur. Hoc itaque, quia nec ab *Hieronymo*, nec ab aliis ex veteribus traditur, nec apud me fidem meretur. Fuit igitur, ceu etiam censet *Rhenanus* h. l. alius quispiam huius nominis; non *QUINTUS SEPTIMIUS FLORENS* noster. Ne dicam martyrem hunc non *Tertullianum*, sed *Tertullinum* dictum fuisse, ceu ex *Martyrol.* 4. & *Menol.* 2. *Augusti* contendit *B. D. Bebelius* noster *Antiq. Eccles.* sec. III. p. 459. A *Tertulliano* hoc etiam postmodum dicti sunt non *Tertullij* hæretici, de quibus *B. Augustin.* de hæres. c. 78. *Manichæorum*, aut *Priscillianorum* soboles, ut censet *Daneus* ad *August.* l. de hæres. c. 78. p. 341. sed *Tertullianistæ*, eodem explicante *Augustino* l. ad *QuodvultDeum* c. 86. Venerunt autem nomine hoc non ideo, quasi *Tertulliani* errores *Montanisticos* sectati fuissent, sectarenturque isto tempore, sed quod alia ejusdem erronea dogmata de *Anima*, & *Deo*, foverent, de quibus l. c. *Augustin.* & infra.

§. 3. Vir cum staret *TERTULLIANUS*, ante lapsum magnus fuit ingenio, eruditione, autoritate, & meritis in Ecclesiam. Gentilis primo fuerat, ceu ipse confitetur in *Apologético* suo adversus gentes incomparabili, quo doctis rationibus strenue Christianorum causam egit, enarrans ea quæ viderit & riserit; de vestris fuimus addens, edit. *Rhen.* f. 839. 844. natus patre Centurione Proconsulari Carthaginensis Civitatis, quam in l. de *Pall.* c. 1. patriam appellavit. Christianus factus magno studio nostræ religionis sectatus est veritatem, quam ardenti zelo propugnavit, sinceræ & verè Christianæ pietatis animose studiosus, quam in scriptis suis urgere non desuit, docens Christianismum

nissimum non verbis tantum, sed & factis exprimendum esse; de quo præprimis testantur ejusdem libri concernentes disciplinam, & mores: Licet verbum DEI negligens, cujus virtute fidem in Christum conceperat, & *Montani* Paraclete plus justo tribuens, à veræ pietatis ratione defecerit, verus Pietaster factus. Insignes erant ei dotes. *Acris & vehementis ingenij* fuisse dicitur *Hieronymo* in *Catal.* quod literarum elegantia eximie etiam excoluit, omni seculi disciplina imbutus & exercitatus; jure civili etiam, ceu supra ex *Euseb. H.E. l. 2. c. 2.* notavimus. Laudat & alibi in *Tertulliano ingenium* idem *Hieronymus*. Eruditionem vero ejus prædicaturus *Lactantius l. 5. c. 1.* *Septimius Tertullianus*, inquit, *fuit omni genere literarum peritus*, de quo scripta ejus testantur, & inter ea præ aliis *Apologeticus liber. Vincentij Lirinensis* elogium, quo *Tertullianum* ob singularem eruditionem & ingenium dignum censuit in *Commonit. contr. hæret. c. 22.* ita habuit: *Tertullianus apud Latinos nostrorum omnium facile princeps judicandus est. Quid enim hoc viro doctius? quid in divinis atq; humanis rebus exercitatus? Nempe omnem Philosophiam, & cunctas Philosophorum sectas, auctores, assertoresq; sectarum, omnesq; eorum disciplinas, omnem historiam, ac studiorum varietatem, mira quadam mentis varietate complexus est. Ingenio vero nonne tam gravi ac vehementi excelluit, ut nihil sibi pene ad expugnandum proposuerit, quod non aut acumine irruerit, aut pondere eluserit. Nec parum hæc eruditio Tertulliano contra gentes profuit, omni laude proin in Patribus dignissima, cum in Doctore Ecclesiæ secularis eruditio cum sacrâ amicissimè conspiret, à Gregorio Nazianzeno, Hieronymo, Augustino, apud Dannhæwer. in Christeid. p. 243. sq. asserta contra illos, quibus in vili habenda eruditio videbatur; nec minori studio hodie adhuc asserenda contra fanaticè pios, quibus literarum elegantiorum cultura ceu impedimentum studii Biblici sordet, cum inter externa instrumenta studii Theologici, & sacræ Hermenevticæ, referri debeant hujusmodi literæ, quibus sane egregiè Tertullianus uti norit. Idem de ingenio & eruditione Tertulliani recentiorum est judicium. Tendit huc Parallelismus, & comparatio duorum Afrorum, Tertulliani, & Augustini, institutus à Carolo Moreau. Ord. Erem. S. Aug. Omniloq. Tertul. Alfab. P. I. præf. General. §. 8.*

Ellies Dupin. Bibliotheq. des Auteurs Ecclesiast. tom. I. in Tertull. p. 104. eidem neque vim ingenii, neque eruditionem dubiam facit, Il avoit, inquit, un esprit vif, ardent, & subtil &c. Il avoit beaucoup de science & d'erudition, dont il scavoit se servir fort à propos. Il excelloit dans la satire, ses railleries sont fines, & piquantes. Il attaquoit ses adversaires avec adresse, & les terrassoit par une foule de raisons, qui s'entre suivent, & sont comme enchainées les unes avec les autres &c. Celebris Mallebranchius de la recherch. de la verit. tom. 1. l. 2. c. 3. p. m. 295. itidem, etsi alia in Tertulliano, qui in P. III. p. 176. ei dicitur Auteur peu judicieux, & peu raisonnable, desideraverit, de quibus deinde; non dubitavit tamen eundem appellare hominem profunde eruditionis, ingenij licet vehementiam eidem tribuens: Quam etiam eidem tribuit Pearson. Vindic. Ignat. P. I. c. 11. f. 337. Quantus thesaurus rerum ad Christianismi prisce notitiam pertinentium in scriptis ejus contineatur, & attenta docet eorundem lectio, ostenduntque doctissimi quique Critici, & Antiquitatis Ecclesiasticæ studiosi, Albaspineus, Beveregius, Armachanus, Pearson, Dallæus, alii, qui Tertulliani opera numero præsidiorum suorum, præ aliis in hoc disciplinæ genere insignium, habuerunt, habentque. Rheno hinc idem in Præf. audivit in omni antiquitatis & Gentilium literarum cognitione consummatissimus. Nolo aliorum, Baronij, Junij, Montacutij &c. judicia coacervare, cum ejus eruditio jure à nemine in dubium vocari possit; nonnulli licet de judicio ejus, & ἀρετῆς, non adeo magnifice sentiant. Sandium interim, H. E. l. 1. Tertullianum, quem inter Arii antecessores falso computat, hinc ob eruditionem laudasse, non est cur miremur.

§. 4. *Merita hujus viri in Ecclesiam etiam præclara fuerunt, ex insigni studio erga Christianam pietatem profecta, Constat enim, magno quod studio Christiani nominis innocentiam doctissimo suo Apologetico contra Gentiles egregiè & strenuè asseruerit; & Christianam religionem contra veteres Hæreticos, quibus animosè & doctè obviam ivit, enixe propugnaverit. De prædicat hæc eximiè, ut solet, Vincentius Lirinensis Commonit. c. 34. Tertulliani, inquit, quot penè verba, tot sententiæ sunt quot sensus, tot victoria. Sciunt hoc Marciones, Apelles, Praxeas, Hermogenes, Judæi, Gentiles, Gnostici, ceteriq; quorum*

rum ille blasphemias multis ac magnis voluminum suorum molibus, velut quibusdam fulminibus, evertit. Negari sane nequit, quod doctissimis hoc præstiterit scriptis. Quid, inquit Hieronym. Ep. ad Magn. Orator. quâ rationem reddidit, cur libris Ecclesiasticis literas gentilium admisceret, t. 3. opp. f. m. 149. B. Tertulliano eruditus. *Apologeticus ejus & contra gentes libri cunctam seculi obtinent disciplinam.* Quod vero Eusebius & Theodoretus non meminerint horum scriptorum, cum aliorum ab aliis editorum fecerint mentionem: nisi quod Eusebio H. E. l. 2. c. 2. Apologeticum Tertulliani laudetur, Græce ab illo lectum; id inde factum esse conjicio, quod ista, ceu Latino sermone composita non legerint, nec certi quid de illis habuerint, ceu scriptoris Latini parum comiti, & multum obscuri, uti Lactantius censuit l. 5. c. 1. contenti proin enumerasse illa, quæ contra hos infideles & hæreticos ab aliis sunt exarata. Licet præterea Tertullianus jam Montanista, certe Montanistica impietate jam infectus, suos contra Valentinianos, Marcionem & Hermogenem ediderit libros, in quibus Montanistica superstitionis, & pietatis, vestigia satis crassa deprehenduntur, negari tamen nequit, passim in iisdem, ut & in reliquis ejusdem operibus, pellucere quoque radios doctrinæ orthodoxæ, ostensos à B. Dannhauer. in Christeid. p. 364. sqq. passim licet etiam occurrant ejusdem nævi. Vid. B. Rhenan. argument. l. Tertull. de Carne Christi. Ubi tamen contra hos hæreticos veritatem defensum ivit, principiis genuinis usus, certum est quod id solidè fecerit. Unde B. Chemnitius noster in Orat. de lect. PP. inter illa multa hujus viri, quæ cum fructu legi posse dixit, etiam ea quæ contra Marcion. & Praxeam idem scripsit, retulit. Scripto Tertulliani de jejunio quantum tribuerit Chemnit. legere licet in Exam. c. 4. P. IV. f. 129. Similia elogia, etiam apud alios ex recentioribus hodie leguntur. Dupinus Bibliothec. t. I. in Tertull. quando ejus scripta contra hæreticos recenset, in primis laudat libros contra Marcion. editos, quodque veritatem in iisdem invinciblement asserat Septimius affirmat, p. 97. De libro contra Praxeam hoc ejusdem est judicium, quod explique nettement dans ce traite la foi de l'Eglise touchant les Mysteres de la Trinité, & de l'Incarnation. Concedit tamen quod nonnullis etiam in locis talibus loquendi

quendi

quendi formulis fuerit usus, quæ formulis sequentium temporum, non plane, *tout à fait*, conformes erant; sed bene addit: *Il faut pardonner ces sortes d'expressions aux anciens, qui écrivoient avant que les termes, dont on se sert, fussent fixez à un certain sens.* Annuit ex nostris B. D. Calovius Confess. Martyr. de SS. Trin. §. 50. p. 58. §. 58. p. 61. qui etiam Tertull. contra Praxeam SS. Trinitatem manifeste asseruisse, ostendit. Contra hæreses in genere, quæ hinc inde per orbem grassabantur, scripsit librum de *Præscriptionibus*, quem elogio egregij *commentarij* adversus hæreticos dignatus est *Baronius* t. 2. Annal. ad an. 197. n. 21. Artificio vero hoc cum Hæreticis agendi qua ratione *Bellarminus* l. 3. de Verb. Dei. c. 8. §. *ex Latinis* abutatur; & quæ genuina ratio sit illius usurpandi, explicavit B. D. *Dannhaver* in *Christeid.* p. 970. sqq. Idem nobis ostendere instituti ratio non permittit. An vero *Tertullianus* etiam auctor sit extremorum istorum capp. hujus libri, quibus de hæresibus in specie agitur, cum *Henrico Dodwello*, *Christiano Lupo*, *Petro Allixio*, *Dupino*, & aliis doctis viris, non abs re dubitat Dn. D. *Ittigius* de Hæresiarch. præf. §. 2. inclinet licet *Dodwellus* præ aliis magis in sententiam affirmantem. Clarissimus Gallorum Epistolographus *Balsazius*, pro ut variæ eruditionis vir fuit, ita l. 5. Ep. 2. ad *Rigalrium*, qui & ipse de Tertulliano præclare est meritus, prædicaturus merita ejusdem scribit, *qu'il à defendu l'honneur & l'innocence du Christianisme, qu'il à poursuivi les Valentiniens à oucrance, & percé Marcion jusqu'au cœur.* Bene illud ab eximio viro judicatur. Nam non minora merita sunt doctissimi nostri Afri in Ecclesiam adversus Gentiles, & Infideles, quam adversus Hæreticos. Præclare illud præstitit non solum doctissimo suo *Apologetico*, ob summam eruditionem supra *Hieronymo* laudato, crimina Christianis per nefandam calumniam objecta, & à sceleratissimis Gnosticis perpetrata, diluens Romæ, ingruente sub Severo persecutione, nec plane ut videtur sine omni fructu, sævierit licet aliquandiu absente Cæsare *Plautianus*. vid. *Baron.* Annal. t. II. ad ann. Chr. 201. n. 28. sqq. n. 39. Sed etiam in *libris* duobus *ad Nationes*, quas primus edidit *Jacobus Gortofredus*, *Genev.* 1625. qui idem fere argumentum, & scopum habuerunt; qui fuerat *Apologetici*. Ad eosdem confundendos etiam fa-

cit

cit liber de *testimonio anime*, ad hujus dictamina, πολυθεότηλα & idola gentilia evertentia, provocans. Ita cum explicante B. *Rhenan.* in præf. l. ad Scap. *Scapula Præses Carthagini Christianis ultima minaretur, ni Christum ejurarent*, Tertullianus nomine *Christianorum hunc libellum velut deprecatorium ad eum scripsit*, prudenter monens, *religionis non esse religionem cogere, quæ sponte suscipi debeat, non vi.* Non minus & pro Christianis graviter contra *Judeos* scripsit, sollicitè ostendens, quomodo in Christo impletæ sint Prophetiæ. Idem in aliis scriptis fecit, nunc Philophos Gentiles, nunc hos, nunc illos Hæreticos solidè impugnando, prout occasio, & operis institutum, argumenti etiam quod tractaverat, ratio permiserat: De quo prolixius Auctores, qui de vita & scriptis Tertulliani egerunt. Merita tamen sua hoc lapsu suo, & rebellionem erga Ecclesiam, multum postmodum obscuravit.

§. 5. *Autoritatem* denique quod attinet nostri Q. *Septimij*, magna fuit ejus in Ecclesia existimatio, cum ob eruditionem, ingenium etiam, atque dexteritatem in tractandis adversariis, tum ob insignia in rem Christianam merita. *Cyprianus* sanè, memorante *Hieronymo* loc. supra §. 1. allegato, *Magistri* elogio, & quotidianâ lectione eum dignatus fuit, ita ut exinde etiam inter nævos suos aliquid Montanistici erroris, ἰδεὶνότηλα sc. Baptismî schismaticorum, & hæreticorum, & rebaptizationem ab Hæreticis baptizatorum, hausisse nonnullis credatur, etiam *Chemnitio* nostro Exam. Conc. Tr. P. I. f. m. 84. ad P. II. f. 58. *Vidi*, inquit *Hieronimus*, *quendam Paulum Concordiæ, quod oppidum Italia est, senem, qui se beati Cypriani jam grandis ætatis notarium, cum ipse admodum esset adolescens, Romæ vidisse diceret, referreque sibi solitum, nunquam Cyprianum absque Tertulliani lectione unam diem præterisse, ac sibi crebro dicere, lapsu viri non obstante: Da Magistram: Tertullianum videlicet significando.* Eidem *Hieronymo* in *Catal.* audit primus post *Victorem* & *Apolonium Latinorum*; laudatus *Eusebio H. E.* l. 2. c. 2. ceu ἀνὴρ τὰ τε ἀλλὰ ἐνδοξοῦ, καὶ τῶν μάλιστα ἐπὶ Ρώμης λαμπρῶν, *vir inter Latinos Scriptores celeberrimus*; dictusque *M. Aurel. Cassiodor.* in *Chron. Christianorum scriptor celeberrimus.* Confirmat hoc testimonium *Vincentij Lirinens.* in *common.* c. 24. *sicut*, inquit, *Origenes apud Græcos, ita Tertullianus apud Latinos*

B nostro-

nostrorum omnium facile princeps judicandus est. Autor etiam est *Hilarius*, eodem memorante *Lirinensi*, quod errore suo scriptis suis *autoritatem*, quam scil. in Ecclesia obtinuerant ante lapsum, *de- traxerit.* Verba ejus in comment. ad c. 5. Matth. ita habent: opp. f. m. 454. *Quamquam & Tertullianus hinc, de Orat. scilicet, volumen aprissimum composuerit: sed consequens error hominis detra- xit scriptis probabilibus autoritatem.* Unde si postmodum repre- hensus male audivit, parumque in Ecclesia existimationis ha- buisse legitur, usque eo etiam, ut non pro *homine Ecclesie* amplius eum habere voluerit *Hieronimus*, cum ejus autoritati plus justo *Helvidius*, *Antidicomarianus*, tribueret, in l. advers. *Helvid.* t. III. opp. f. 5. D. id de posterioribus post lapsum viri temporibus intelligi debet, ipsis etiam lapsi censoribus inter ingenium & errores ejus distinguentibus. Nota est *Hieronimi*, *Septimij* nostri admiratoris alias magni, vox in Apolog. advers. *Ruffin.* l. 3. t. III. opp. f. 110. *in Tertulliano laudamus ingenium, sed damna- mus hæresin. In Origene miramur scientiam scripturarum, & tamen dogmatum non recipimus falsitatem.* Id quod hodie adhuc fieri solet, ut inter *Tertullianum* priorem & posteriorem distingua- tur. Eadem fata deperditâ, ut audivimus ex *Hilario*, autori- tate subierunt scripta ejus, quæ à *Gelasio* inter *Apocrypha* relata constat, de quo post *B. Rhenan.* in præfat. *B. D. Bebelius* in *An- tiq. Eccles. sec. III.* p. 465. & *Cotelerius* in *Judic. de Epist. S. Bar- nab.* f. 6.

§. 6. Cæterum sicut magna ingenia suas quoque imbe- cillitates, defectus scil. & exorbitantias patiuntur, ita iisdem magnum quoque hoc *Africae* suæ lumen, *Ecclesie*que contra *Infideles* & *Hæreticos* aliquandiu columen, fuit obnoxium. Fuerunt equidem, qui majorem *ἀρετῆς* in illo desiderarunt; doctissimus etiam *Mallebranchius* de la recherch. l. c. ei plus me- moriæ, quam judicij tribuit; & quod phantasia potius quam in- genio valuerit, majorque illius quam hujus capacitas fuerit, notans, *qu'il avoit plus de penetration, & d'étendue d'imagination, que de penetration, & d'étendue d'esprit.* Verum enim vero ex libris contra *Marcionem*, & alios hæreticos scriptis, antequam *adultior Montanista*, ut cum *Pearsono* l. c. f. 337. loquar, esset fa- ctus, & quos pro religione *Christiana* adversus *Infideles* com- posuit,

posuit, id mihi quidem apparere non videretur; navi enim qui interdum apparent, id non evincunt; quemadmodum nec liber *de Patientia*, & qui ad *Martyres* scriptus est, jure talem censuram merentur: Aliud licet non negemus statuendum esse de libris, quos *Tertullianus* Spiritu Montanistico actus postmodum, & prophetiis novis seductus, visionibus denique imaginariis, aliisque phantasiae lusibus, & extasibus indulgens, contra Ecclesiam minori judicio scripsit. Non sane in stantem, sed lapsum quadrant illa verba *Mallebranchij*: *Le respect, qu'il eut pour les visions de Montanus, & pour ses prophetesses est une preuve incontestable de la foiblesse de son jugement.* Licet itaque acere & excellens judicium, ingenii acumen, quod Veteres *Tertulliano* tribuerunt, negare nolimus, non abs re tamen *vehementia* simul ejus observatur ab iisdem, qui insignibus etiam eundem persecuti sunt elogiis, *Hieronymo* & *Vincentio Lirinensi*, qui *ardens* etiam ejus fuisse affirmarunt ingenium; ita ut hinc diversis & rationis & imaginationis perturbationibus abripi potuerit, abreptusque etiam fuerit, aliis pravis mentis ejusdem dispositionibus accedentibus. Notavit hanc vehementiam viri, & in qualem furorem degenerarit, etiam ex recentioribus *Pearsonus* *Vindic*, *Epist. Ignat. P.I. c. 11. f. 337.* *An Tertullianus*, inquit, *adeo subacti judicij, adeo sedati ingenij fuit, ut nulli unquam Viro in Ecclesia celebri contradiceret, cum ipse ab Ecclesia recesserit, & adversus eam quamplurima acerbe & petulanter scripserit.* *Add. Dupin l.c. p. 104.* Ita verum est, quod vulgo dicitur, magna ingenia, quale etiam *Tertulliani* fuit, ad turbandum prona esse.

§. 7. Notatur praeterea in eo *credulitas*, sic ut plus justo fidem aliorum aestimaverit, atque nimis facile aliorum dictis & sententiis assensum praebuerit. Bonae equidem mentis etiam nonnunquam hujusmodi animi facilitas character esse potest, cum & *1. Cor. 13, 7. charitas πάντα πιστεύει, omnia credere dicitur,* sed cum prudentiae scilicet temperamento. Oritur autem vel ex debilitate intellectus, vel ex insufficienti rationis usu, aut neglectu culposo. Sequitur hinc in assensu praebendo precipitantia, cum nil occurrit, quod eundem impedit. Prior vero credulitatis hujus ratio in *Tertulliano* cum non locum habeat, inadvertentiae potius cuidam, & neglecto rationis usui necessa-

rio ista imputanda erit; sicut etiam Eva se credulam Diabolo præbuit, non ex vitio aliquo naturali intrinseco, ex parte intellectus tali, per adventitiam illuminationem corrigendo, sed ob neglectum verbum DEI, & usum sapientiæ concreatæ sufficienter non usurpatum, non *simplicior intellectu, sed voluntate facilior*, ut loquitur B. Dannhæwer. Hodof. p. 340. per *ignorantiam* quidem, sed *affectatam*, ut explicat D. Calovius Com. in Gen. c. 3. v. 6. p. 356. Sic affectata fuerat in Tertulliano credulitas, ex animi licet quadam facilitate proveniens, cum affectata etiam ignorantia conjuncta, quæ visionibus postmodum muliercularum, & aliorum Fanaticorum infatuata, in pudendam, & Tertulliano, judiciosissimo alias viro, plane indignam levitatem degeneravit. Fanaticis sane, sororis cujusdam, quam *revelationum charismata sortitam* esse crediderat, relationibus fidem habens, *animam & corpoream, & humana effigie præditam* esse deliravit in l. de anima c. 9.

§. 8. Ad *Fanatissimum* proclive, & *Fanaticum* proin ejus ingenium fuisse hinc inferre licet, quod novis Prophetiis, atque immediatis Spiritus S. quem postea Montani *ἐνδρασιων* & Paracletum, atque Spiritum esse credidit, certe scripsit, revelationibus multum tribuerit, libenterque illos, utriusque etiam sexus homines, ex proficiendi studio, & pietatis fanatico prætextu, audiverit, qui ejusmodi visiones & illuminationes jactarent, atque præ se ferrent. Patet id ex eodem *lib. de Anima*, quem scripsit cum adhuc inter Orthodoxos ageret, nondum ab Ecclesia se separans, imperante adhuc Severo, post librum *de Prescriptione*, de quo Du Pin Biblioth. l. c. p. 91. sq. In hujus c. 9. hæc ejus habentur verba: *Quia Spiritalia charismata agnoscimus, post Johannem quoque Prophetiam meruimus & consequi. Est, addens, hodie soror apud nos, revelationum charismata sortita, quas in Ecclesia inter dominica solennia per extasin in spiritu patitur &c. Post transacta solennia dimissa plebe, quo usu solet nobis renunciare, quæ viderit &c.* Satis hæc de Fanatico Tertulliani ingenio docent, & quod diu plus justo Fanaticis faverit: illorumque conventiculis interfuerit, muliercularumque etiam Prophetias admissas probaverit, antequam Montanistarum sectæ se apertè associaret, hostis Ecclesiæ factus. In hunc enim
de

de visionibus errorem, quod ejus ingenio præprimis conveniens erat, primo omnium videtur incidisse, de quo in sequentibus ex instituto. Hoc caractere etiam *Tertulliani* ingenium notavit *Mallebranchius* P.I. de la Recherch. de la verit. (hic enim autor hujus scripti esse fertur,) l. 2. c. 3. *On ne peut, inquit, douter enfin, qu'il (Tertullianus scil.) ne fût visionnaire dans les sens, que j'ai expliqués auparavant, & qu'il eût presque toutes les qualitez que j'ai attribuées aux esprits visionnaires.* Et si verò quæ cap. præcedenti primo hujus l. II. de facultate animæ imaginatrice, & imaginatione ex *Cartesiana* disciplina disputavit vir doctus, atque hujusmodi visionariis p. 279. sq. potissimum attribuit, ego *Tertulliano* non attribuerim, nec sic imaginationibus suis potius abreptum eundem, quam vi rationis ingenii aliquid statuisse admiserim: Dispositione tamen naturali, quæ ad fanaticum eundem inclinaret, mota scil. & excitata externo aliorum fanatismo, uti simile in simile agit, eundem laborasse non inficias iverim. Nec id difficulter etiam ex ejus scriptis probari posse censeo. Facilius sane ex illis quis probaverit, favere eundem Fanatismo, quam ab eodem abhorrere. Interim tamen non sequitur, quod *Mallebranchius* videtur intendere in P. III. de la recherch, p. 174. sqq. quod ejusmodi *dereglemens de imagination contre la raison*, quas *Tertulliano* imputat, in ejus opusculis tam frequentes sint, atque dicitur. Pietas enim ejus, cum non intra convenientes se continuerit terminos, sed vanis & fanaticis imaginationibus se seduci passa fuerit, subjectus equidem fuit hujusmodi illusionibus, ut plus justo tribuerit rebus, quæ speciem pietatis, & singularis cum DEO commercii præse ferebant, quales sunt visiones, & Enthusiasmi. Ex eo tamen inferre minime licet, tales perturbationes rationis fuisse *Tertulliano* communes, & in plerisque aliis tales eundem esse passum, quod etiam scriptorum hujus viri attenda lectio docebit: Libenter interim concesserim, quoad vim ingenii non omnium eandem esse rationem, quod tamen non necessario ex prævalente imaginationis vi præ ratione factum esse censeri debet; contingere licet sæpe posse, non inficias iverim.

§. 9. *Styli singularitas* etiam non abs re conjecturam de viri ingenio creditur nonnullis præbere. *Difficilis in loquendo*

visus fuit Hieronymo de instit. ad Paulin. Monach. tom. I. Opp. f.m. 47. D. cum antea *Lactantio* l. 5. c. 4. *parum facilis, minus comtus, & multum obscurus audivisset.* *Rhenanus* qui eum primus edidit, illi tribuit *affectati styli duritiem*, in *Præfat. Gisbertus Voëtius* in *desp. caus.* apud *Dn. D. Ittig.* de *hæresiarch. præfat. p. 3. tantam ejus obscuritatem* fingit, *ut vulgares animas plane dejicere, nobiliores fatigare queat.* Variat tamen hæc styli durities, nec æquali ratione se habet in omnibus *Tertulliani* scriptis, nec in omnibus tanta deprehenditur difficultas, & obscuritas, quam in libello *de Pallio*: Sicut etiam in aliis ejusdem opusculis sermo magis, in aliis sermo minus elegans, atque politus datur. Recte etiam *Mallebranch.* de la *Recherch. t. 3. p. 176. Dupin.* l. c. p. 140. notant, quod concisum dicendi genus non impediverit, quo minus usurpaverit *expressions fortes, vives, grandes, magnifiques, hardies, & termes energiques.* Quod si vero ex hac styli *Tertulliani* indole characterem de ingenio, animo, inclinationibus, & moribus scriptoris formare velimus, quod illâ hæc repræsentari credantur, verum est illud *Demetrii Phaleræi* περὶ ἐρμηνείας. *Εἰκόνα ἕκαστου τῆς ἐαυτοῦ ψυχῆς γράφει τὴν ἐπιστολήν. Καὶ ἐστὶ μὲν καὶ ἐξ ἄλλου λόγου παντὸς εἶδεν τὸ ἦθος τῆς γράφοντος,* *animi sui simulacrum, & imaginem, quisq; epistolam scribit: Et est quidem etiam ex alia omni oratione videre ac noscere mores scriptoris.* Nimirum aliud est loqui de styli phrasibus, aliud de oratione. In phrasibus enim stylum occupatum esse, orationem vero in rebus, ex *Scholis Rhetorum* notum est. De oratione hinc intelligi debet potius, & magis propriè, quam de ipso stylo, si scriptum autoris mores, & animi secreta detegere dicitur. Stylum ipsum autem quod attinet, qui ad verba refertur, cum ille variet, vel ex ratione seculi; vel ratione populi, atque nationis, ut v. c. alius sit *Africanus*, alius *Romanus*; sicut etiam in *Asiaticum*, *Rhodium* & *Atticum* olim fuit distinctus; vel etiam prout scriptor ejus facultatem habet: ita certius de seculo quo quis vixit, vel cujus fuerit, vel qualem dicendi facultatem habuerit, colligetur, quam de ingenio & moribus ejusdem. Horum meliorem conjecturam præbet oratio dicentis. Licet non negaverim, contingere posse, imo & contigisse, ut cum styli duritie, etiam durities ingenii, & austeritas animi fuerit conjuncta.

Id

Id quod in Tertulliano, qui reliquos Afros scriptores Ecclesiasticos, ipsum etiam *Arnobium* difficultate & obscuritate dictionis superavit, omnino locum habuit, ut styli durities & austeritas cum ingenii duritie esset conjuncta; Licet hæc ex illa inferri non potuerit, cum in scriptore bonæ mentis etiam affectata, vel male instituta exercitatione, vel alio casu acquisita esse queat. Annuit *Balzacius*, qui cum, ceu Epistol. l. 3. patet, ea qua par est mente fertur in Tertullianum, l. 5. Ep. 2. ita scripsit de stylo ejusdem inter alia: *Avüons aux plus delicats, que veritablement son stile est de fer, mais qu'ils nous avoüent aussi, que de ce fer il à forgé d'excellentes armes*, contra infideles scil. & hæreticos, ceu laudatus Epistolographus l. c. ulterius memorat. Ne dicam, ista duritie styli non obstante, *B. Augustinum* t. IV. opp. de Bon. viduit. c. 5. eum elogio viri *disertissimi* exornasse: quod & à recentioribus factum legitur. *Hoorn*. H. E. p. 69. n. 14. Hinc *Baronius* etiam tom. 2. Annal. ad ann. Christi 202. n. 10. non styllum Tertulliani præcise accusat, sed ex scriptis ejus animi ipsius affectus elucere, & perinde atq; picturam quandam in tabula demonstrari ait. Etenim perspicui in illis durum hominis ingenium, austerumq; animum intelligi.

§, 10. Quod itaque hanc Florentis nostri *asperitatem ingenij*, vitæq; *austeritatem* attinet, non dubitavit *Baron*. l. c. ad ann. Chr. 217. §. 7. Tertulliano tribuere *refractarium ingenium*, accusavitq; *asperam nimis ac duram animi ejusdem insolentiam*. Eodem caractere notatus fuit à *Spanhemio*, introd. ad H. E. p. 64. Apparuit hæc in primis cum ad Montanistas inclinaret, & eo magis animadversa fuit, quo magis iisdem favebat: Ita ut hic locum etiam habuerit illud *Plutarchi* de fer. Num. vindict. f. 562. *ἐχ' ἅμα γινέσθαι καὶ φαίνεσθαι τῶν πονηρῶν ἕκαστος*, non aliquis simul sit malus, & malus esse cernitur. Semina malorum omnes circumferimus, Rom. 7, 18. in enormia eruptura, ni Spiritus Sancti gratia caro cum concupiscentiis crucifigatur, Rom. 6, 6. 12. sqq. c. 8, 5. 13. Gal. 5, 16. sqq. 24. Id quod etiam in *Tertulliano* locum habet. Judicium autem ex scriptis illius facturi de asperitate ingenii ejusdem, & austeritate animi, quodque exactioris disciplinæ, arctiorisque vitæ cultus, ex affectata aliqua nec intra congruum ordinem se continente pietate, studiosus fuerit;

fuerit; prout hoc caractere consensu comuni notari solet; observamus opuscula ejus accurate discernenda esse, ut dicamus, alia esse Tertulliani Orthodoxi, sive Catholici, alia Montanizantis, alia Montanistæ. Prioris ordinis & classis censemus esse libros de *Pœnitentia*; olim dubium, hodie vero jure vix controversum; vid. *Rivet. Crit. s. l. 2. c. 9.* & de *Pallio*, quos doctissimus hic Afer scripsisse videtur post conversionem ad Christianismum. Continent enim argumentum, novo huic Autoris statui congruum, quo deposito habitu Gentili Philosophico, quali ante conversionem fuit usus, pallio Christiano uti voluit. Idem de l. *de Baptismo*; de *Oratione*; *Apologetico*; de l. *ad Martyres*; de *Patientia*; ut & de l. *de testimonio animæ* censendum videtur. Ad hunc enim cum in *Apologetico* provocavit, non absque ratione videtur, de illo ex instituto etiam voluisse agere, quod ita cum propter Gentiles, tum propter Christianos necessarium judicaret. Nec dubitamus his addere librum de *Idololatria*, & de *Speâculis*. Cum & in his prolixius nonnulla contineantur, quæ paucioribus in *Apologetico* attinguntur. Nec repugnamus si quis libris his addiderit libr. de *Præscriptionibus*, quem non abs re Tertullianum scripsisse quis crediderit contra Hæreticos in genere, antequam in specie contra Marcionem, & alios, calamum stringere voluerit. Etsi vero multa his in scriptis leguntur, quæ ad veram pietatem pertinent, & ad mortales à seculi hujus vanitatibus avocandos faciunt, atque de Autoris pia sinceritate dubitare nos non sinunt; rigidioris tamen disciplinæ, & austerioris, asperiorisque ingenii notas veræ, nec superstitiosæ pietatis cultor, & libellorum horum attentus lector, facile observabit. Sane in l. *de pœnitentia*, etsi, quod non negamus, & sancte doceat, & pie etiam suadeat, publicam tamen istam Veteris Ecclesiæ Confessionem, quæ ἐξομολόγησις, dicta fuit, & *Tertulliano c. 9. prosternendi & humiliificandi hominis disciplina* audivit, nimis rigide & auctere urfit, ceu *temporalem afflictionem aeterna supplicia expungentem, & gehennam in corde extinguentem*; imò ceu a Domino institutam; quod Cyprianum, urserit licet & ille instanter publicam hujusmodi factorum detestationem, non sic fecisse constat. Ipsa alias Exomologesis actus satis rigidos, & severitatis plenos complexa fuerat, ipsi *Tertulliano l. cit. & l. de Pudicit.*

notatos,

notatos, *Albaspineo* autem rectius explicatos *Observat.* l. 2. obs. 26. quam *Bellarmino, Baronio, Maldonato, & aliis.* Libellus de *Pallio*, etsi multum eruditionis eruditorum confessione contineat, parum tamen magnifice de illo videtur censere *Autor de la Recherch. de la verit.* qui est doctissimus *Mallebranchius*, cum t. I. l. 2. c. 3. p. 295. sq. tum t. 3. p. 175. propter summam & affectatam obscuritatem; quam de ingenii quadam singularitate testari non negaverim. In l. de *Baptismo* rigor etiam aliquis contra hæreticos parum prudens occurrit, quorum Baptismum irritum pronunciat, nimis crude, & ex zelo pietatis parum provide studioso, cum fervore, & odio irregulari abreptus non satis dextre inter hæreticos distinxerit *Tertullianus*. Loquitur enim de hæreticis in genere, non definite de *Valentinianis, Marcionitis, Apellitis*, aliisque *Trinitatis* hostibus; licet post ipsum alii eundem etiam errarint errorem. In l. de *Idololatria*, etsi multa eximie disputentur contra *Idololatriam*, tam crassam, quam subtilem, tam directe, quam indirecte talem, omnesque eos, qui quacunque ratione eam promotum eunt, *Christianorum* item mores *idololatricos*; passim tamen aliquid austeri autorem simul inmiscere, mentisque austeritatem quandam prodere, observari potest. In *ludimagistris, & cæteris Professoribus literarum*, non solum ab usum *studiorum secularium* ut par est taxat, sed etiam *literatoriam* istam *eruditionem* simpliciter non doceri vult in *Scholis*. Nomina etiam *Deorum, genealogias, fabulas, ornamenta honorifica* quoque eorum enunciari non debere, affirmat. Magis quoque pompose, quam solide contendit, si *fidelis literas doceat insertas idolorum prædicatione, sine dubio dum docet commendare: dum tradit affirmare: dum commemorat testimonium dicere: Deos ipsos hoc nomine obsignare, cum lex prohibeat Deos pronunciarum.* Hinc primum *Diabolo fidem adificari ab initiis eruditionis: Et Theologiam Gentilem explicare, esse de idolis catechizare.* Vid. l. de *Idol.* edit. *Rhenan.* f. 733. Non improbo hic sincerum, sed irregularem *Tertulliani* erga rem *Christianam* amorem. Anomalam etiam potius, cæcamque hanc pietatem quis appellaverit, quam ut par est illuminatam, ex turbido etiam fonte profectam; licet hodie sub veræ pietatis imagine passim grassetur. Vid. *Dn. D. Schelwig. Sectir. Pietist. P. I. art. 6.* Desinere vero id posse, imo desuisse

C

desuisse


desiisse in Pietismum fanaticum, in quem tandem etiam Tertulianus lapsus est, exemplo *Weigelij, Hoburgij, Quackerorum, & aliorum* patet. Conf. Dnn. *Hamb. Quack. Grew. c. 7.* Puritanos Calvinianorum hoc nomine notatos vid. apud D. *Dannhaw. in Salv. Reform. p. 638.* Ita nimis rigide idem videtur ea notasse in Christianis, quæ, cum in se nullum ad idololatriam respectum haberent, & indifferentia essent, in honorem civilem externum Imperatoribus præstare iidem sibi non religioni duxerant: Cum ipse *Tertull. cit. l. de Idololatr. f. 738.* caute monuerit, in talibus *causas esse considerandas, quibus præstatur officium. Infantem cum sordibus ejicere non decet.*

§. 11. Magis hic ingenii Tertulliani character, & quomodo *temperamenti sui melancholici,* aliisque naturalibus inclinationibus, ad rigorem & asperitatem mentis tendentibus, indulgens seque permittens, supersticiosior factus perfectiorem vitam Christianam in exactiori disciplina, cum majori severitate & austeritate, asperioris item vitæ cultu conjuncta, & ficta quadam fanaticaque sanctitate posuerit, innotescit ex illius scriptis, quæ Montanizans edidit. In hanc montanizantium scriptorum classem referimus primo libros contra *Marcionem.* Ex libro primo c. 10. ex edit. *Rhenan. ann. 1550,* secundum al. c. 15. cognoscitur, quod anno Severi Imp. XV. illa, quæ tunc *Tertull.* contra impium hunc *Ponticum Nauclerum* scripsit, exaraverit. Secundum *Euseb. in Chron.* fuit is annus à N. C. 210. ad quem annum idem scriptor Tertullianum refert. Hoc anno jam is Montanizare inceperat. Patet enim ex l. 1. contra *Marcion.* circa finem, quod se Paracletum permittens, Spiritumque hunc, & spirituales vitam, & sic majorem sanctitatem jactans, jam tum non nisi unum matrimonium probaverit. *Modum nubendi, inquit, apud nos SPIRITUALIS RATIO PARACLETO auctore defendit, unum in fidem matrimonium præscribens.* Refractarium etiam ejusdem ingenium istis cognitum fuit magis temporibus, quam ante, quod *novam prophetiam* pertinaciter urserit, provocans ad eam, ut alibi, ita quoque in l. 3. advers. *Marc.* sub fin. f. m. 214. ad errorem suum Chiliaisticum confirmandum. *Confitemur, inquit, in terra nobis, Spiritualibus scil. regnum re-promissum, scilicet ante caelum &c. utpote post resurrectionem in mille an-*

nos, in civitate divini operis Hierusalem caelo delata &c. Hanc, ad-
 cit, & Ezechiel novit, & Apostolus Johannes vidit, & qui apud fides
 nostram est NOVÆ PROPHETIÆ sermo testatur. L. 4. adversus Mar-
 cion. hominis ingenium se satis prodidit, cum Orthoxos Psychi-
 corum convitio proscindere non dubitavit, & vehementiam, &
 duritiem mentis suæ, studiumque erga rigidiorum Montanista-
 rum Pietastrorum vitæ cultum, & disciplinam, manifeste signi-
 ficans. Ipsam interim quod attinet quæstionem primariam,
 solide, & convenienti zelo Marcionis impietatem profligavit.
 Celebre inter Marcionitas nomen etiam fuit Hermogenis, Ter-
 tulliano fere ætate æqualis, quem idem etiam solidis confutavit
 argumentis, acriter instando, & hominem urgendo; licet ite-
 ratas nuptias in illo c. 1. taxando, cum *assidue illum nubere, legem-
 que DEI in libidinem defendere* ait, se fœde Montanizare, & genio
 suo austeriori, peplo putatitiæ castitatis atque continentia involu-
 tuto, plus justo indulgere ostendat. Montanizans etiam scri-
 psit lib. de anima ante lib. de Carne Christi, & l. de resurrectione
 carnis. In l. de anima, quo allegavit Tertullianus librum à se contra
 Hermogenem scriptum, singulari plane ratione mentis suæ in-
 constantiam aperuit, qua ex fanaticæ pietatis studio, quam cum
 vita duriori, quæ austeriori & asperiori Septimii ingenio re-
 spondebat, Spiritus Montani probabat, atque dictitabat, ma-
 gis magisque à liberiori vivendi ratione, Christianæ in Evan-
 gelii verbo revelatæ doctrinæ non improbata, remittebat,
nova Prophetia, & fanaticarum *Extaseon*, visionumque fraudibus
 deceptus. Verba viri supra jam ex c. 9. lib. c. sunt producta.
 De rigore & austeritate ejusdem etiam testantur libb. de corona
 militis; de virginibus velandis; de Spectaculis, & quem scripsit ad
 uxorem. Etsi enim in libellis his zelo laudabili, eximie, & erudi-
 te multa dicantur, exactiorem tamen vitæ cultum, & arctiorem
 disciplinam sic urget, ut rigidius justo interdum egisse non abs-
 re censeatur, sublato propter abusum, omnino improbandum,
 omni usu etiam rei indifferentis. Quid enim Christiano ho-
 mine indignum commiserit ille miles, qui cum Paganis castra
 Imperatoris Ethnici secutus, & sic Paganorum commilito fa-
 ctus, coronam, præmium militare acceptum, capiti imponit,
 non apparet. Nullum quippe idololatriæ periculum suberat,
 nec ad idololatriam ullum respectum illud factum habebat.

Æque recte itaque poterat iste miles Christianus, ceu fratres ipsius commilitones fecerant, ut stipendium, ita & donativum ab Imperatoribus, cui militabat, accipere, atque fideli apud infidelem de eo quod idolis immolatum fuerat, edere per se permissum erat, 1. Cor. 10, 27. Evangelium enim non abolet Politiam. Nec periculum scandali jure metui poterat, cum corona castrensis militibus non res ignota fuerit. Ex Spiritu Montanistico autem hunc rigorem esse profectum, qui nimis rigide Martyria urgebat, ipsa *Tertulliani* verba docent, cum lib. de Coron. mil. c. 2. ita loquitur: *Plane superest ut etiam Martyria recusare meditentur, qui PROPHETIAS ejusdem Spiritus Sancti respulerunt.* Verba hæc uti de fanatico (quod dolendum) hominis, pro religione Christiana ad enthusiasmos usque, & sic inordinate zelosi ingenio testantur, ita iisdem Orthodoxos notari certum est, ceu qui ejusmodi novas Montanistici Paracleti prophetias rejiciebant. In l. de velandis virgin, f. m. 90. Paracletum hunc missum fingit propter novitatem correctionis discipline & conversationis, ut ordinata ad perfectum perduceretur. Ex hujus disciplina virgines necessario velandas esse contendit, sublato ritu quo virgines aperto capite in congregationibus Christianorum stare consueverant, *exurge, inquit, veritas, & quasi de patientia erumpe, nullam volo consuetudinem defendas.* Rigor nimis fuit, quando supra ita dixerat: *Tam sancti viri est subfundi, si virginem viderit, quam sanctæ virginis, si à viro visa sit.* Nimis austere etiam in eodem l. f. 497. benevolentiam, quam conjuges ex Pauli præcepto 1. Cor. 7, 3. sibi invicem debent, *communem contumeliam*, non sine convitio, solo Montanista digno, vocavit. Quæ de spectaculis idem scripsit, & sub finem libri de habitu muliebri rursus probavit, recte opponuntur Gentilium spectaculis, Christianorum etiam *prophanis spectaculorum secularium voluptatibus*, uti h. l. loquitur *Tertullianus*, & ludis scenicis ad Gentilium mores & impietatem institutis; etsi spectacula in universum *veræ religioni, & vero obsequio erga DEUM verum non competere, quam maxime demonstrare paraverit*, ceu testatur ipse in l. de spect. sub init. Hoc ingenio præditum ex perfectionis, & pietatis studio inordinato ad Montanistas Pietastros defecisse *Tertullianum*, non est cur miremur.

F I N I S.



DISP. V.
DE
LAPSU TERTULLIANI
ad
MONTANISTAS.

ARTICULI II.

SECTIO II.
DE
LAPSUS HUIUS VERITATE,
ET QUALITATE.

§. I.



N superioris sectionis §. I. ostendimus, de lapsu Tertulliani non idem omnes sentire, variante cum studio & affectu erga virum quondam clarissimi nominis, tum sententiâ de erroribus, in quos incidit, & lapsus qualitate non idem statuentium; absolvente hunc à lapsu lapsum, quem feliciter aliquandiu

stantem commisisse iste contendit. Posterior opinio cum certa nobis videatur, in ea quam hoc nomine ex veri amore instituemus disquisitione, assertum ibimus I. *Tertullianum prius orthodoxum defecisse ad Fanaticos Montanistas.* II. Eundem ad Montanistas deficiendo lapsum esse, *Pietastrumq;* factum.

§. 2. Ingenium viri inconstans, & fanaticum, asperum & austerum, uti rigidiora & asperiora amaverat, ita lapsum inclinabat ad hypocrisin *Pietastrorum* potius, atque sanctulo-
A rum,

rum, quam crasse sceleratorum fœdam impietatem; ad Encratitarum & Montanistarum potius rigorem, quam ad Gnosticorum improbitatem. Solemus enim errores ingenio convenientes eligere. Affirmare id licet de Tertulliano, cujus ingenio errores quos fovit respondisse, ex sequentibus apparebit; observatum etiam *Baronio Annal. t. 2. ad ann. Chr. 202. §. 10.* Ingenio fraudulento fuit Valentinianus: Fraude hinc etiam usus in erroribus suis explicandis. *Irenæo memorante. l. 1. contra hæc. præfat. errorem secundum semetipsum non ostendit, ne denudatus fieret comprehensibilis, suasorio autem cooperimento subdole adornatus, quo ipsa veritate veriore se præstaret, & deciperet exteriori phantasmate rudiores.* Dissentit equidem *Autor des Eclaircissements sur l'Histoir. Ecclesiast. des deux prem. siècles:* Sed nimium hesternus est, quam ut officere possit glorioso huic Martyri, nec tam veri studium ostendit, quam ingenium pruriens.

§. 3. *Primo* itaque ut doceamus, *Tertullianum* prius orthodoxum defecisse ad Fanaticos Montanistas, commodius id non fiet, quam instituto parallelismo dogmatum Montani & Tertulliani. Id antequam fiat notandum, duplicis generis esse errores, qui in scriptis Tertulliani leguntur. Horum alii fuerunt Montanistarum deliria, quæ lapsus ad Fanaticorum horum cœtum etiam sua fecit: Alii sunt retenti ab illis, qui hoc nomine potissimum postea appellati sunt *Tertullianiste*, à Tertulliano, quorum reliquiæ adhuc *B. Augustini* tempore in urbe *Carthaginensi* durarunt, de quo *B. Præsul* in l. de hæres. c. 80. Unde cum de lapsu Tertulliani ad *Montanistarum Pietismum* sumus in præsentis solliciti, prioris generis errores, quo de lapsu magni & pii aliquandiu Viri, cujus laus ista tempestate etiam magna in Ecclesia fuit, constet, erunt explicandi; monente *Baronio Annal. t. 2. ad an. 173. n. 31. lapsum omnes Montani errores esse sectatum.*

§. 4. *Primus* itaque ad Montanismum inclinantis, & in Fanatismum lapsi Tertulliani error fuit, quod *Spiritum Montani Pseudopropheticum, pro Paraclito;* Montanumque Fanaticum, & dæmonio agitatam, pro viro spiritu DEI & dono prophetiæ prædico habuerit. Accidit nimirum Tertulliano, quod apud
Euseb.

Euseb. H.E. l. 5. c. 16. Apollinaris, Hierapolitanus Episcopus, aliis etiam hic accidisse memorat, ut *Ἰερζόμην* & *καὶ πρὸς αὐτὸν*, captus & in fraudem inductus illecebru spiritus hujus seductoris, & ipse ista pietatis specie, qua rigidum & austerum Montani ingenium delectabatur, infatuaretur; cum suo potius obtemperare ingenio, æque austero & aspero, quam ea qua par fuerat sollicitudine spiritus probare mallet. 1. Joh. 4. noster Ater. Novas Montani prophetias amplexus est Tertullianus, quippe quem in pte Paracletico vere censuit afflatum. Questus hinc est de Praxea in l. advers. eund. c. 1. quod Episcopum Romanum, agnoscentem jam PROPHETIAS Montani, Prisca, Maximilla, aliter sentire de his prophetis fecerit; addens, prophetiam eundem Roma expulisse, & Paracletum fugavisse. In l. vero de anim. f.m. 645. ita loquitur: *Quia spiritualia charismata agnoscimus, post Johannem quoq; prophetiam meruimus & consequi.* In l. de Coron. Milit c. 2. Prophetias hujusmodi Spiritus Sancti esse, ne respui debere contendit. In l. de monog. f. 582. à Paracletico suggesta novam prophetiam appellavit. In l. 3. advers. Marc. f.m. 214. loquitur de sermone NOVÆ PROPHETIÆ, qui apud fidem nostram est, uti fingit; quem etiam Visionibus Ezechielis, & Johannis contradistinguit, cum Apocal. 22, 18. omnis additio ad Canonem, & nova revelationis expectatio gravissime sit prohibita. Has vero expectandas esse temere contendit l. de Jejun. advers. Psychic. c. 10. f.m. 776. sq. quia, inquiens, eorum quæ ex traditione observantur tanto magis dignam rationem asserre debemus, quanto carent scriptura autoritate, donec aliquo cælesti charismate aut confirmentur, aut corrigantur; & si quæ, inquit, ignoratis Dominus vobis revelabit. Scripsit hinc de Ecstasi libros sex, Hieronymo memorante Catal. script. Eccl. t. 2. Opp. in Montani sui gratiam; quem supra laudatus scriptor apud Euseb. H.E. l. c. ait præbendo πάροδον εἰς ἑαυτὸν τῶ ἀντικειμένῳ, πνευματοφορηβλήται τε καὶ αἰφνιδίως ἐν κατοχῇ τινι καὶ παρεκτασθὲν γρόμνον ἐνθουσιᾶν ἀρξασθαι τε λαλεῖν ἢ ξενοφωνεῖν πρὸς τὸ κτὲ πρὸς ἀδούσι, καὶ κτὲ ἀδοχλῶ ἀνωθεν τῆ ἐκκλησίας ἐθῶ διήτην πρὸς Θεοῦ δόντα, aditum in se adversario spiritui, demone repletum subito quodam furore ac mentis excessu concuti cœpisse, & nova quadam atq;

inaudita proloqui; hariolantem & predicentem futura præter morem ac institutum Ecclesie à majoribus traditum; & continua deinceps successione propagatum. Hinc etiam tanquam ἐνεργέμευθ, & δαιμονῶν, abreptitius & dæmoniacus, atque ἐν πλάνης πνεύματι ὑπάρχων, spiritu erroris actus, fuit objurgatus. Hos Enthusiasmus defendit atq; probavit Tertullianus. In lib. adversus Prax. f.m. 405. hinc questus est de hoc, quod de Prophetis & Ecclesiis Cataphrygum falsa Romæ adseveraverit. Idem etiam ex instituto fecit l. 7. operis de Ecstasi adversus Apollonium, memorante Hieronymo de script. Eccles. Singulari enim scripto cum Cataphrygum falsas prophetias, tum vitam & mores eorum, qui hæresis illius autores fuerant, is discusserat, de quo Euseb. H.E. l. 5. c. 16. & Nicephor. Callist. H.E. l. 4. c. 25.

§. 5. Imo eo usque delirii venit Tertullianus, ut II. non exstases solum defenderet, sed & III. revelationes, & quod mireris, colloquia angelica, imo & cum ipso IV. Christo conversationem admitteret & probaret; prout etiam ex Epiphani. Hær. 49. f. 418. constat, Quintillam sive Priscillam, Montani sociam, jactasse, ad se somno correptam Christum descendisse, secumq; dormisse. ἐν ιδέα, in-
 quiebat, γυναικὸς ἐρημαλισμῶν ἐν σολῆ λαμπρῶ ἦλθε πρὸς με
 χεῖρσ, καὶ ἐπέβαλεν ἐν ἐμοὶ τὴ σοφίαν, καὶ ἀπεκάλυψε μοι, τὸ πόν
 τὸ πόν εἶναι ἅγιον, καὶ ὡδε τὸ Ἱερουσαλήμ ἐν τῷ ἔργον καλῆναι, μι-
 liebri specie aut veste splendida venit ad me Christus, mihiq; sapientiam
 indidit, atq; hunc locum sanctum esse significavit, in eumq; sanctam
 Hierusalem delabi. Suum vero fanaticum hac de re, & fanatica observata, his Tertullianus explicavit verbis in l. de animi
 f. 645. sq. Est hodie SOROR apud nos revelationum charismata
 sortita, quas in Ecclesia inter dominica solennia per extasim in spiritu
 patitur. Conversatur cum Angelis, aliquando etiam cum Domino,
 & videt & audit sacramenta, & quorundam corda dinoscit, & medi-
 cinas desiderantibus sumit. (submittit habet Pamel.) Addit & V. Vi-
 siones; miraturque has in sorore fanatica fanaticus ex ortho-
 do factus Tertullianus, ita pergens: Prout scriptura (in Ecclesia)
 leguntur, aut Psalmi canuntur, aut ad locutiones proferuntur, aut peti-
 tiones delegantur; ita inde materia visionibus subministrantur; quas
 postmodum, & quæ viderit, dimissa plebe, ceu ad hæc intimiora sc.
 cogno-

cognoscenda nondum capaci, *renunciare* Tertulliano solebat. Mirum profecto, tam credulum fuisse *Tertullianum*, ut à fanatica hac muliere, & Montanistarum Prophetissa deceptus, contra omnem etiam saniozem Philosophiam crederet, *animam esse corpoream*; id quod jure ipsi objicitur ab *Augustino* t. IV. opp. de bon. vid. c. 4. f. 1019. cui hoc nomine audit *Cataphrygum*, & *Novatianorum disertissimus adstipulator*, à *fæminis deceptus*. De cætero cognoscitur hinc, quod, quemadmodum hodie in suis conventiculis Fanatici, Quackeri, mulierculis vaticinandi, & docendi facultatem concedunt, contra Apostoli præceptum, qui *tacere* eas vult *in Ecclesia*, etiam pluribus prophetantibus, 1. Cor. 14, 34. de quo loco alibi egimus; ita olim in cœtu Montanistarum Fanatico, cui *Tertullianus* se associaverat, idem obtinuerit. Etsi vero ob hanc credulitatem jure apud *Baronium* etiam *Annal.* ad ann. Chr. 201. n. 13. male audiat *Tertullianus*, quem plane insaniisse scribit, dum *arbitrio mulierculæ, à cardine dimotus fuit, non tantum Christianæ Theologiæ, sed etiam humanæ Philosophiæ, ut animam corpoream, coloratam, anthropomorphitam crediderit*; non minus tamen est cur miremur, quod *Tertulliano* l. contra *Praxeam* c. 1. memorante, quidam Romanus Episcopus *Priscæ* hujus, de qua modo egimus, *prophetias agnoverit*, quod non minoris animi facilitatis character fuit. Quis vero iste fuerit Episcopus Romanus Montanizans, varie inter doctos disquiritur, de quo *Dn. D. Ittig.* dissert. de Hæresiarch. s. 11. c. 13. §. 29. *Dannhaw.* *Christeid.* p. 237. Certum nobis est cum doctissimo *Rigaltio* fidem *Tertulliani* in re, sane tunc temporis non incognita, non esse contra manifestam veritatem in dubium vocandam.

§. 6. Cæterum trabalis error Theologiæ Montanistarum, & sic quoque *Tertulliani*, Fanaticæ fuit de *Paracleta*, cui omnia tribuuntur. De mente quidem *Tertulliani* disquirunt, num statuerit, *Montanum* esse ipsum *Paracletum*, à Christo *Joh. 16, 7. sq. 12. sq.* promissum; an vero alium *Montanum*, alium *Paracletum*, majori plenitudine, quam quondam in *Apostolis*, & singulari præ illis gratia atque afflatu in *Montano* habitantem docuerit, atque crediderit *Pietaster* factus. Etsi vero ipsum *Montanum*, *Pseudoprophetam*, & *impostorem*

rem fanaticum intellexisse videri possit, absolute interdum loquendo de *Paraclete*, ceu in l. de fug. in persec. c. 1. f. 538. factum, cum ait: *Procuranda examinatio penes vos, si forte Paracletum non recipiendo, deductorem omnis veritatis merito adhuc alius etiam quaestionibus obnixi estis*: Et in fine l. cum *ideo*, inquit, *Paracletus necessarius deductor omnium veritatum, exhortator omnium tolerantiarum*. Idem l. adv. Prax. f. 405. dixit, cum *nos*, ait, *& semper & nunc magis ut instructiores per Paracletum, deductorem sc. omnis veritatis, unicum quidem DEUM credimus &c.* Id quod etiam in aliis fit locis: Connotari tamen his & similibus locis potius à Tertulliano montanizante, si nondum Montanista, Montanum, quam sic directe & expresse nominari existimaverim. Tam absurdum enim fuisse nostrum, addictissimum licet Pietastro Phrygi, hominem tam acris iudicij, sic in divinis literis exercitatum, ut crediderit, Montanum fuisse Spiritum Sanctum, quem Christus promisit Apostolis, mihi æque non persuadebitur, atque non sibi persuaderi passus est Erasmus in vit. Origen. Quamobrem cum Baronio t. 2. Annal. ad ann. Chr. 173. n. 26. f. 183. existimamus, ipsum à Tertulliano, vel alius dictum esse Paracletum, quod se illum diceret accepisse spiritum Paracletum, quem Christus pollicitus fuerat à Patre mittendum: ipsumq; se majori plenitudine, quam fecissent Apostoli, alius impertiri, quod illum majori abundantia, quam Apostoli, accepisset. Hinc in l. advers. Prax. c. 1. solícite inter Montanum & Paracletum distinguit. Idem fecit l. de Jejun. c. 1. f. 770. Psychici Paraclete controversiam faciunt: propter hoc novæ prophetiæ accusantur, non quod alium DEUM prædicent Montanus, & Priscilla & Maximilla &c. In eod. l. f. 779. quid ergo cessatis, inquit, Paracletum quem in Montano negatis, in Apitio credere; satis aperte inter Montanum & Paracletum distinguens in Montano; uti alium esse dicit Paracletum & Apitium. Paracletum itaque hunc, quem in Montano, non sic in Apostolis fuisse delirabat Tertullianus, pro illo habuit, de quo Christus, locutus Joh. 16, 7. ψ. 12. dixit: Ἐτι πολλά ἐχὼ λέγειν ὑμῖν, ἀλλ' οὐ δύναμαι βασιλεῖν ἄρτι. Ὅταν ᾖ ἔλθῃ ἐμεῖν, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πάντα τὰ ἀληθῆ, adhuc multa habeo dicere vobis, sed non potestis ferre nunc. Quando autem venerit ille (paracletus sc. de quo ψ. 7.) spiritus veritatis du-

ect

cet vos in omnem veritatem. Non enim solum in l. de Monog. c. 2. f. 570. sq. verba hæc ad Montanistarum Paracletum satis impie applicat, & de illo expresse explicat; sed & nonnullis interjectis, inter alia sic loquitur: *Paracletus autem multa habens edocere, quæ in illum distulit Dominus secundum præfinitionem, ipsum primo Christum contestabitur, qualem credimus &c.* Ibid. p. 72. ait: *In hoc quoque paracletum agnoscere debes advocatum.* Addo verba quæ in eod. l. c. 15. ed. Rhen. f. m. 582. leguntur: *Tempus donec Paracletus operaretur fuit, in quem dilata sunt à Domino, quæ tunc sustineri non poterant, quæ jam nemini competit portare non posse, quia per quem datur portare, posse non deest.* Hinc in l. de fug. in perfec. c. 1. vocat hunc Paracletum *deductorem omnis veritatis*; quod etiam in fine repetitur.

§. 7. Quæritur autem hic, & quæri potest, an ex mente & disciplina Montani, & sic etiam Tertulliani, Paracletus hic à Spiritu Sancto diversus fuerit; an vero idem intellexerit noster *Septimius* suppositum, diversis tantum nominibus illud expressum. *Centuriar. Magdeb. nostri Cent. III. c. 4. f. m. 73.* ita loquuntur: *Tertullianus post defectionem cum Montano sensit, Spiritum Sanctum, non per Apostolos, sed per Paracletum Montani tradidisse necessaria Ecclesie.* Etsi vero verba hæc sensum hunc non respuant, quasi Spiritus Sanctus à Montani Paracleto, quo ille correptus sua eructavit dogmata, planè diversus foret; attamen cum & dici possit, sono nominis variare tantum *Magdeburgenses*, ad illuminationis diversitatem significandam, quæ in Apostolis ad tantum gradum non pertigit, quantum obtinuit à Christo Montanus; nolumus affirmativam tribuere *Centuriatoribus* sententiam. De horum itaque quicquid sit mente, nos negamus, ex mente *Tertulliani* diversum fuisse Montani Paracletum à Spiritu Sancto, quem acceperunt Apostoli; diversa autem, plura, & potiora eundem revelasse Montano, quam Apostolis. Sic enim in l. de veland. Virgin. c. 1. loquitur: *Propterea Paracletum misit Dominus, ut quoniam humana mediocritas omnia semel capere non poterat, paulatim dirigeretur, & ordinaretur, & ad perfectum perduceretur disciplina ab illo vicario Domini Spiritu Sancto.* Satis perspicue locus hic docet, cum *paracletus*
etiam

etiam à *Tertulliano* appelletur *Spiritus Sanctus*, inter hunc & illuminatione personæ nullam ab eo statui diversitatem. Patet id ulterius, quando sic pergit montanizando: *Adhuc, inquit Christus sc. multa habeo loqui vobis, sed nondum potestis ea bajulare: Cum venerit ille spiritus veritatis, deducet vos in omnem veritatem, & supervenientia renuntiabit vobis.* Hic veritatis spiritus ut est Spiritus Sanctus, ita Paracletum Montani spiritum veritatis appellando, hoc ipso etiam eundem Spiritum Sanctum esse significat. Patet id ex lib. de Monog. c. 1. quando Montanista & Pseudo-Spiritualis Tertullianus contra orthodoxos, *Psychicus, inquit, non recipientibus spiritum (Paracletum intelligit) ea quæ sunt spiritus non placent.* Et hæc quidem de mente Montani. At de re ipsa loquendo, omnino Paracletus Montani diversus fuit à Spiritu Sancto, cujus impulsu locuti sunt sancti DEI homines, Prophetæ & Apostoli; de quo 2. Pet. 1. 21. Horum Enthusiasmus divinus, illius Diabolicus fuit, de quo *Epiphanius* hæres. 48. §. 3. sq. Add. nostra dissert. de Enthusiasmo Div. & Diabol. §. 18. Spiritus Sanctus enim non est autor mendaciorum, uti Paracletus Montani fuit, de quibus in seqq.

§. 8. *Officium* vero hujus *Paracleti* Montani quod fuerit, & quid præstiterit, quantumque ei *Tertullianus* tribuerit, passim ex ejus cognoscitur scriptis. Summa huc redit: Salva fidei unitate, ejusdemque doctrina, ea quæ ad disciplinam & conversationem pertinent, admittere aliquam correctionis novitatem. Sic enim in l. de Veland. Virg. c. 1. f. 420. loquitur: *Regula & lege fidei, quæ una est, manente, cætera jam disciplina & conversationis, admittunt novitatem correctionis, operante sc. & proficiente usq; in finem DEI gratia.* Cum verò naturæ nostræ infirmitas ab initio Ecclesiæ, & diu etiam post, ista quæ ad spirituales vitam faciunt, & ut merito homines *spirituales* dici poterint, ceu onerosa portare nescisset, visum esse DEO successive, & diversis temporum vicibus, illa ordinare quæ ad finem hunc, ut justis & spiritualibus, perfecte sc. facti homines, h. e. *Pietastri*, vitam spirituales agerent, obtinendum pertinent; huicque instituto per Montanum, ejusque Paracletum, in Montanum majori gratiæ plenitudine, quam in Apostolos descendentem,

tem,

tem, colophonem addere. Sic enim *Tertullian.* de veland. Virg. l.c. propterea Paracletum missum fingit, ut quoniam humana mediocritas omnia semel capere non poterat, paulatim dirigeretur & ordinaretur, & ad perfectum perduceretur, disciplina; applicans ad asser-tum hoc verba Christi, Joh. 16, 12. In sequentibus expolitione quadam usus ita loquitur: Nihil sine etate est, omnia tempus expectant. Aspice ipsam creaturam paulatim ad fructum promoveri. Granum est primo, & de grano frutex oritur, & de frutice arbuscula enititur. Deinde rami & frondes invalescunt, & totum arboris nomen expanditur. Inde germinis tumor & flos de germine solvitur, & de flore fructus aperitur. Is quoque rudis aliquandiu & informis, paulatim etatem suam dirigens, eruditur in mansuetudinē saporis. Sic & justitia primo fuit in rudimentis, natura DEum metuens: dehinc per legem, & prophetas promovit in infantiam: Dehinc per Evangelium efferbuit in juven-tutem: Nunc per Paracletum componitur in maturitatem. Ur-getur hinc Paracleti hujus necessitas, ceu Doctoris majoris tole-rantiæ & perfectionis, quam Prophetæ & Apostoli, imo & do-ctores ante legales prædicassent, à Christo etiam hoc nomine promissi, cum ista tempestate rigidioris & austerioris illius disci-plinæ, quam postmodum Paracletus per Montanum, ejus-demque Enthusiasmos præscripsit, nondum essent capaces, & fanaticum istum Pietismum nondum portare possent, quod contineret talia, quæ, non abnuente *Tertulliano* l. de persecut. sub fin. dura & intolerabilia videri potuerint. Necessitatem at-que officium hujus Paracleti idem explicaturus, paulo post, & ideo, inquit, paracletus necessarius deductor omnium veritatum, ex-hortator omnium tolerantiarum: Tribuens etiam eidem instru-ctionem quoad ea, quæ ad majorem perfectionem, & vitæ san-ctimoniam facere vir jam fanaticus credidit. Lib. advers. Prax. f. 405. non solum nos vero, inquit, & semper, & nunc magis, ut in-structiores &c. sed & in l. de Veland. virg. f. 491. de Paracleto hoc verba faciens, hic, ait, erit solus à Christo magister & dicendus & verendus. Non enim abs se loquitur, sed quæ mandantur à Christo. Hic solus antecessor, quia solus post Christum. Hunc qui receperunt veritatem consuetudini anteponunt. Hinc in aliis etiam locis Pa-racletum hunc, ceu deductorem omnis veritatis recipiendum esse

B monet,

monet, v.c. in l. de Persec. sub init. acriter invectus hoc nomine in Psychicos, *Spiritum non recipientes*, in l. de Monog. quem, uti & alia, acerbe & petulanter, ut recte censent *Baron. Annal.* ad Ann. Chr. 201. §. 14. sq. & *Pearson.* in Vind. Epist. Ignat. P.I. c. 11. f. 337. contra Ecclesiam scripsit. In eodem de Monog. l. non veretur *Tertullianus* Paracletum hunc suum ceu *autorem, institutorem, & restitutorem* duritiei & fanatici Montanici laudare. *Qua est ergo*, inquit hinc in l. de Veland. Virgin. rursus f.m. 490. *Paracleti administratio nisi haec, quod disciplina dirigitur, quod scripturae revelantur, quod intellectus reformatur, quod ad meliora proficitur*, idque, ut in sequentibus explicavit, per diversas temporum vices id DEO tentante, ceu ex supra adductis constat locis, & per fictum hunc Paracletum, durioris, rigidioris, & parum solatii secum ferentis disciplinae autorem, complementum addente, objecto majoris pietatis, perfectionis, & sanctimoniae glaucomate, ceu ex *Pietastri* nostri scriptis contra Ecclesiam libris satis constat.

§. 9, Distinctius *Pseudo* hujus *Paracleti* doctrina cognoscetur, ubi pressius, & distinctius etiam, fanaticos in Pietisimum fanaticum lapsi *Tertulliani* errores cognoverimus. Ulterius enim Montanicos viri hujus errores quod attinet, conspiravit etiam VI. cum hoc homine Enthusiasta quoad doctrinam de traditionibus perversam, quarum confirmatorem suum *Paracletum*, ducem universae veritatis non ex scripturis, sed afflatu suo esse fingit. vid. de Jejun. c. 10. f.m. 777. Eximie hoc etiam observavit B. noster *Chemnit.* Ex. C. T. P. I. f. 82. *Montanus*, inquit, *implexus est doctrinam V. & N. T. sed praeter haec docuit, necessarias etiam esse observationes à Paracleto traditas, quia Christus dixerit, Apostolos non potuisse omnia portare, sed multa reservanda fuisse Paracleto.* Notare hoc in Montano etiam voluisse videtur scriptor ille, quem *Apollinarium Hierapolitanum* fuisse nonnulli credunt, apud *Euseb.* H. E. l. 5. c. 16. qui rationem explicaturus, quare hactenus nil contra fanaticum istum scripsisset, negavit hoc nomine id à se factum *ἀποδείξαι ὅτι δόξα οὐκ ἐλέγχεται μὴ τὸ ψεῦδος, μαρτυρεῖν δὲ τῇ ἀληθείᾳ*, quod aut mendacium refellere, aut veritatem patrocinari minime valeret; sed quod vereretur aut reformidaret, ne
forte

forte quibusdam videretur Ἐπισυνέγραψεν, ἢ Ἐπιδιατάσσει τῶν τῶν Ἐ
 Ευαγγελίᾳ καινῆς Διαθήκῆς λόγῳ, evangelica novi testamenti doctrina
 quicquam scribendo addere, & denuo statuere voluisse; ceu Mon-
 tanus instinctu & inspiratione sui Paracleti fecit. Nec alias
 etiam, nisi digna ratione nisas, vel à Paracleto confirmatas traditio-
 nes admisit, vel agnovit Tertull. l. de jejun. l. c. ut proin mirum
 sit, viros dignitate inter suos illustres, Bellarmin. l. 4. de V. D. c. 7.
 §. ex Latinis; & Cardinalem Baronium Annal. ad ann. Chr. 201.
 §. 18. f. 284. suam de traditionibus disciplinam ire ex hoc asser-
 tum, quod Apostata Tertullianus eas in l. de Coron. milit. ad-
 mittat. Cum non nisi ritualia sint, quæ ad Montanistas lapsus
 titulo traditionum complectitur; quum inter nos, & Romano-
 Catholicos de dogmatibus ad salutem scitu & creditu necessa-
 riis disputetur, an talia verbo DEI non scripto contineantur.
 Quod hujus generis dogmata attinet, qualia sunt de monogamia;
 de non fugiendo tempore persecutionis; de jejunio, & similia, quæ
 ceu ex Paracleti imperio, & nova disciplina præcepto necessaria
 urget, l. de jejun. f. 770. ad vitæ perfectionem, ea quidem etiam
 traditione niti non negat, sed neque Apostolicam, neque Ec-
 clesiasticam intelligit, uti Bellarminus; cujus generis traditiones
 in Controversiis inter Montanistas & Orthodoxos non agno-
 vit Tertullianus; sed vel rationibus Scripturæ analogis nisas, &
 sic ad Scripturam sacram reducendas, imo ex eadem eruendas;
 vel à Paracleto per inspirationes Montano factas traditiones
 eum commendare certum est. Ut proinde recte ex Schola
 Montani has traditiones, quæ de dogmatibus necessariis
 agant, quasque jactavit, deduxisse dici debeat, frustra contra-
 nitente Baronio l. c. cum nullas nisi has admiserit. Clara sunt ejus
 verba in l. de Jejun. c. 10. f. m. 776. sq. Eorum, quæ ex traditione
 observantur, tanto magis dignam rationem asserre debemus, quanto ca-
 rent Scripturæ autoritate (expressa sc. ceu ex ipso Tertulliano pro-
 bari potest) donec aliquo cælesti charismate, aut confirmentur, aut
 corrigantur. Non credo, vel Baronium, vel Bellarminum hæc ef-
 se probaturum. Manifestum enim est, in revelationem, & sic
 in Fanatismum, tandem cuncta à Pietastro & Fanatico resolvi.
 Nec probari potest, agnovisse Tertullianum traditiones quoad

ea dogmata, quæ ante Paracletum, vel per legem, vel per Evangelium docebantur, prout in *Trid. Concil. Sess. IV.* illæ definiuntur. Quod libr. ejusdem de Præscript. attinet, ubi Bellarmino l. 6. *ex instituto docere dicitur, hæreticos non ex Scripturis, sed ex traditione confutandos*: vid. quæ contra Cardinalem disputavit B. D. Bebelius, *Antiq. Eccles. sec. III. p. 974. sq.* Nos verbo dicimus: Facere *Tertullianum* subordinata, & eorundem dogmatum duplicem investigandi modum; quæ Bellarminus facit coordinata, imo opposita.

§. 10. Montanicos VII. etiam amplexus est *Tertullianus* errores de *Pœnitentia*, quam non nisi *unam lapsis* concessit. Montanistarum hunc fuisse rigorem, etiam Hieronymus *Epistol. 54. ad Marcel. adversus Montan. t. III. opp. f. 58. D.* notavit, objiciens iisdem, *quod ad omne pene delictum Ecclesiæ obserent fores.* Et si vero *Tertullianus*, cum adhuc in Ecclesia esset, in l. de *Pœnitentia*, quem Septimium nostrum autorem habere, novissime adhuc recte contra *Erasmus* asseruit *Ellies Dupin*, *Nouvell. Bibliotheq. des Aut. Ecclesiast. tom. I. p. 91. ita scripserit l. 483. Non statim succidendus ac subruendus est animus desperatione, si secunda quis pœnitentiæ debitor fuerit: pigeat sane peccare rursus, sed rursus pœnitere non pigeat: pigeat iterum periclitari, sed non iterum liberari*: *Nimia* tamen jam tunc austeritate laborans, ultra *secundam pœnitentiam* nullam amplius concessit. Collocavit, inquiens verbis proxime antecedentibus, *DEUS in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat: sed jam semel, quia jam secundo: sed amplius nunquam quia proxime frustra*; id quod falsum est. In majorem autem postmodum rigorem lapsus, & aperte Montanizans in l. de *Pudicit*, quem contra *Psychicos* se scripsisse confessus est, invectus legitur, f. 742. sq. in eos, qui *mœchis & fornicatoribus veniam pollicentur*, idque ex *Paracleti* sui disciplina. Prolixè etiam contendit dari, & constitui ab *Apostolo delicta post lavacrum irremissibilia.* Constat proin, ex *Montanismo* obstericante *Tertulliano* prognatum esse *Novatianismum*, cordate *Novatianis* objiciente *Paciano*: *Tertullianus vester est: Nam multa inde sumfistis.* vid. B. D. Bebelius *Antiq. Eccles. P. I. p. 919.* An vero idem etiam circa *Montani* tempora, quoad graviora delicta statuerint

tuerint

tuerint nonnulli Ecclesiæ Doctores orthodoxi, rigidioris scil. disciplinæ gratia? vid. quæ contra *Sirmond.* & *Albaspinaum* hoc nomine disputat Dn. D. *Itrig.* de hæresiarch. l. 2. c. 13. p. 225. fqq.

§. 11. Montanistas præterea secutus est *Tertullianus* II. X. quoad rigorem de *ciborum delectu*, & *jejuniis*. Cumque orthodoxi ex libertate Christiana etiam sua jejunia observaverint, de quo *Magdeb.* Cent. 1. l. 2. c. 6. f. m. 503. *Chemnit.* Exam. C. T. P. IV. f. 102. fqq. *Dallæus* de Jej. & quadrag. l. 1. c. 1. 6. l. 2. c. 6. f. q. l. 3. c. 8. vim huic libertati Christianæ faciens Montanus, & *Apolonio* memorante apud *Euseb.* H. E. l. 5. 18. *νηστίας νομοθετίας*, *jejuniorum* leges imponens, *νηστίας καινας τῆς ἐκκλησίας ἐθετο*, jejunia præter Ecclesiæ consuetudinem, hæcenus arbitrariam, introduxit, ut loquitur *Theodoretus*, hæret. fab. l. 3. c. 2. Acerrime contra Catholicos *Tertullianus*, quos fanaticè *Psychicos* appellavit, & *multivorantia* accusavit *Pietaster*, Montanistarum causam egit, edito de *jejunio* libro, satis aculeate & petulanter scripto. *Arguunt*, inquit, *Psychici* sc. nos, qui novam *Paracleti* prophetiam sequimur, quod jejunia propria custodiamus, quod *stationes plerunq;* in vesperam producimus, quod etiam *Xenophagias* observemus, *siccantes cibum ab omni carne*, & *omni jurulentia*, & *avidioribus quibusq;* pomis, nec quid *vinosi* vel *edamus*, vel *potemus*, urgens, novæ disciplinæ imperium, l. de jej. f. 770. Unde ibid. pag. f. q. nos, addit, hoc prius affirmare debemus, quantum valeat apud DEUM inanitas ista: & ante omnia unde ratio ipsa processerit hoc modo promerendi DEUM, tunc enim agnoscetur observationis necessitas, cum eluxerit rationis autoritas à primordio recensendæ. Et meretur observari, quod *Hieronimus* Comm. in Agg c. 1. disciplinæ hujus sectatores de *Tatianiradice* crescere scripserit, per omnia licet cum *Tatiano* non consenserit *Montanus*.

§. 12. Similiter *Tertullianus* Montanista factus IX *nuptias secundas* ceu fornicationem rejecit, sub *multinubentia* convitio, l. de jej. c. 1. scripto hoc nomine amarulento contra Ecclesiam l. de *Monogamia*. Tribuit hunc errorem Montanistis etiam *Autor Prædestin.* quod *secundas nuptias* pro fornicationibus habuerint, quas *discrimendas* esse statuit *Montanus*, *διδάξας λύσεις γάμων, nuptiarum disci-*

dia docens, memorante Apollonio apud Euseb. H.E. l. 5. c. 18. edit. Vales. add. Augustin. l. de bon. vid. c. 4. t. 4. opp. f. 1019. In hanc Montani sententiam etiam concessit Tertullianus, quod non liceat Christiano ad secunda vota transire. Testatur de hoc ejus lapsu non solum Augustinus de hæres. c. 86. cum transiens, inquit, ad Caraphryges, quos ante destruxerat, cœpit etiam secundas nuptias contra Apostolicam doctrinam, tanquam supra damnare; sed etiam ipse Tertull. in l. de Monogam. invecus in eos, qui monogamie disciplinam in hæresin exprobrant, hoc ipsum ait l. c. f. 572. demonstratur à nobis, neq. novam, neq. extraneam esse Monogamie disciplinam, imo & antiquam, & propriam Christianorum, ut Paracletum restitutorem potius sentias ejus, quam institutorem. In eod. l. inter complura quæ pro sua monogamia corraserat, inter alia hæc quoque habet: Regnavit duritia cordis usq. ad Christum. Regnavit & infirmitas carnis usq. ad Paracletum. Nova lex abstulit repudium, habuit quod auferret. Nova prophetia secundum matrimonium, non minus repudium prioris. Passim in aliis Tertulliani scriptis non dissimilia leguntur. In l. enim ad Uxorem c. 1. Precipio tibi, inquit, quanta continentia potes, post excessum nostrum renuncies nuptiis. In Exhortat. ad Castit. quem librum contra Ecclesiam scriptum esse etiam Hieronym. monuit, amicum quendam à secundis nuptiis celebrandis dehortatur Tertullianus, variis conquisitis rationibus, ita ut Rhenano notante, tandem secundas nuptias damnare inceperit, & proin non absre Augustino l. de bon. viduit. c. 4. t. IV. opp. f. 1019. secundas nuptias tanquam illicitas maledico dente concidisse dicatur, quas omnino licitas Apostolus sobria mente concedit.

§. 13. Montanicum etiam delirium fuit X. dogma, quo in persecutione fuga prohibetur: Unde nata est jactantia Martyrii, apud Montanistas olim tam frequens, licet vana: quos hoc nomine etiam exagitavit Apollonius, adversarius, apud Euseb. H.E. l. 5. c. 18. Et hunc amplexus errorem Montani Tertullianus, peculiari scripto, de fuga in persecutione, contra Ecclesiam eundem defendit. Assertio ejus l. c. f. 541. ita habet: Fugendum in persecutione non est. Si enim persecutio à DEO evenit, nullo modo fugiendum erit, quod à DEO evenit. Exagitat idem Psychicos,

cos,

eos, quos sic Fanaticus vocavit in l. de Coron. Milit. c. 1. *Plane*, inquit, *superest, ut etiam martyria recusare meditentur*, qui prophetias ejusmodi Spiritus Sancti respuerunt. *Mussitant denique, tantam bonam & longam sibi pacem periclitari.* Nec dubito quosdam scripturas emigrare, sarcinas expedire, fugæ accingi de civitate in civitatem &c. Novi & pastores eorum in pace leones, in pralio cervos. Sed aliter de fuga censuit *Athanasius*. Vid. ejus Apol. de fug. t. I. opp. f. 701. sqq. Aliter *Origenes*: conf. 1. contr. Cels. p. 50. Add. nostra Summ. Jur. div. p. 360. §. 16.

§. 14. Ita præsumpta & falsa pietate, ex Paracleti Montanici dictamine, fascinatam Tertullianum mirum non est XI. in libertatem Christianam, etiam quoad alia impegisse, & indifferentia, ut solent Fanatici, partim improbasse, partim talia esse negasse, denique ceu necessaria jactasse. Huc nimirum austeritas ingeniorum, & rigor nimius, quique non cum necessaria ex verbo DEI conjunctus est scientia, ad sibi in dubio recte consulendum, descendere lapsu proclivi solet, ut errante conscientia acti, qui hujusmodi mentis imbecillitate laborant, ex metu non peccandi superstitiose multa & omittant, & committant, prævalente haud raro læsa imaginandi facultate; id quod ex pluribus contingere posse causis, docetur à *Paulo Zacchia* qq. Medico Legal. l. 2. tit. 1. per aliquot capita. Sic ingenii austeritas, conjuncta cum affectatione perfectionis majoris, & sublimioris pietatis à Paracletto traditæ, ad monogamiam, jejunia, ciborum discrimina, stationes, sublata quæ hic datur Christiana libertate, & adiaphoria, Montanistas adegit, aliis interim vitiis, & abusibus improbis, sub libertatis & adiaphoriæ, rectius improbæ licentiæ facie fallaci indulgentes, de quo *Apollonius*, apud *Euseb.* H. E. l. 5. c. 18. In hac vero libertatis Christianæ sublatione *Tertullianus* non substitit, sed atrabiliaris suæ austeritati plus justo ad superstitionem usque indulgens, etiam alia in se indifferentia tolerare noluit. Horum numero habemus, cum *Magdeburg.* nostris Cent. III. c. 10. f. 241. & *Baronio*, Annal. t. 2. ad an. Chr. 201. n. 16. quod Christianum militem in capite gestare coronam castrensem, Imp. donativum, sacrilegij rationem habere statuerit in l. de Coron. milit. f. 450. imo & idololatriis,
ib.

ib. f. 453. quem proin martyrem fuisse recte negat B. Dannhaverus Christeid. p. 632. cum non nisi civilis honoris rationem habuerit ista corona, sine ullo ad idololatriam respectu. Cæterum uti error mater est erroris, ita rigorem istum, quo audax militis hujus facinus assertum ivit, gravior secutus est error. Eo quippe, quod alii etiam Fanatici fecerunt, prolapsus est delirando, ut negaret Christianum hominem posse fide salva militem agere, observante ex l. de coron. mil. c. 11. Baronio l. c. f. 284. Eiusdem similiter farinae est, quod in l. de Veland. Virgin. c. 1. ex Paracleti Montanici disciplina *virgines velari oportere* statuit, ex quo transitum suæ ætatis fecerint. Eodem austeritatis luto hæret noster *Septimius*, cum in l. de spectac. simpliciter *spectacula* rejecerit; omni licet jure invectus in *spectacula Gentilium*, aliorumque, quorum *universa paratur ex idololatria constat*, l. c. f. 691. vel quæ non sunt sine *spiritus concussione*, ut loquitur l. c. f. 697. vel alio non carent scandalo, in quod impietatis genus merito prisca Ecclesiæ Doctores acriorem effuderunt censuram. Vid. B. Dannhaw. Hodom. Calvin. phant. 6. p. 1299. & nostræ de spectacul. differt. Adde verba Perkinsi Cas. Consc. l. 3. p. 541. Ad quæstionem, *an animi relaxatio, & remissio sit homini Christiano licita*, is ita respondet: *Christiana libertas nobis creaturarum DEI usum non solum ad necessitatem nostram, sed etiam ad æquam & commodam delectationem permittit, & concedit.*

§. 15. Chiliastram XII. etiam Tertullianum fuisse notum est. Sic enim spiritu Montanistico actus l. 3. adv. Marc. c. 23. f. 214. scripsit: *Confiteri in terra regnum nobis repromissum, sed ante cælum, sed alio statu, utpote post resurrectionem in mille annos &c.* Et nonnullis interjectis addit: *Hæc ratio regni cælestis, post cujus mille annos, inter quam ætatem concluditur sanctorum resurrectio &c.* Ex Paracleti Montanistici disciplina autem quod hoc dogma etiam hauserit, ipse notavit, cum *sermonem novæ prophetiæ* de illo testari fingit.

§. 16. Et hæc omnia, non sine prætextu sanctitatis, sed & tanquam *γνώσιως* talis Montanista magna cum jactantia pietatis, & Paracleti, sive spiritus prophetici vana fiducia, ita tradidit atque statuit Tertullianus; licet sub hoc pietatis fictæ & apparentis pallio.

palliolo exorbitantiæ, imo vitia sanctulo hoc plane indigna, lætaerint; perinde uti Montanistæ, apud *Euseb. H. E. l. 5. c. 18.* *Apollo-*
nio memorante, fecerunt, jure *hypocrita* appellati ab *Ælio Publico*
Julio in subscript. Epistol. Serapion. qua hæresin hanc refutavit,
 apud *Nicephor. H. E. l. 4. c. 27.* Sane majori sanctitatis specie
 monogamiam commendare non potuit, quam quando l. de
 Monog. c. 1. penes nos, inquit, quos *Spirituales* merito dici facit agni-
 tio *spiritualium charismatum*, continentia religiosa est cum licentia
 verecunda, quandoquidem ambæ cum creatore sunt. Unum matri-
 monium novimus, sicut unum DEUM. Rursus quando ait: *Psychi-*
cis, quo elogio orthodoxos prosequitur, non recipientibus *spiri-*
tum, ea quæ sunt spiritus non placent. De fuga in persecutione
 disserens suum *paracletum* appellavit *Exhortatorem omnium tole-*
rantiarum; quem qui receperunt, neq; fugere persecutionem, neq; re-
 dimere noverunt: Vid. c. ult. l. de fug. in perlec. Bonum factum ne-
 gat, quando *machie & fornicationis delicta* pœnitentia functis di-
 mittuntur, in l. de pudic. f. 742. *intimam effigiem pudoris* hoc factò
 amputari contendens. Similem sanctitatis à *Paraclete* præce-
 ptæ speciem præ se fert in l. de jejun. c. 1. in doctrinam ortho-
 doxam de jejniis, & discrimine ciborum ita debacchatus:
Agnosco animale fidem studio carnis, qua tota constat, tam multi-
vorantia quam multinubentia pronam, ut merito spiritalem discipli-
nam &c. Delitescebat autem sub hoc sanctioris & perfectio-
 ris vitæ prætextu fastus, pietastris familiaris, pharisaica impo-
 tentia turgidus, Christoque explicatus *Luc. 18. 11. sq.* quem sa-
 tis prodidit, se atque suos *Montanistas Spiritales*, orthodoxos
 autem, *Valentini* invento usus, de quo *Irenæus* 1. 1. f. m. 34. sq.
Psychicos appellando, convitiis non abstinens.

§. 17. Accessit fanatici *petulantia* adversus ipsam Ecclesiam,
 cui scriptis petulanter insultavit. Judicium hoc & *Pearsonij* est,
 in *Vindic. Epist. Ignat. P. I. c. 11. f. 337.* notantis de *Tertull.* quod
ab Ecclesia recedens, adversus eam quam plurima acerbè, & petulanter
scripserit; notante etiam *Dupino* l. c. p. 90. quod *contumeliose Ec-*
clesiam tractaverit, postquam fecisset ab eadem secessionem.
 Nec ex imbecillitate defecit sicut *Osius*, *Origenes*, & alii ceci-
 derunt, sed ex *malitia* potius, ex prævia & deliberata ratione.

C

Diu

Diu enim favit Montanistis, antequam ad illos deficeret, aperte malignis scriptis indicto Ecclesiae bello. Patet hoc ex libris ejusdem, in quibus jam fermentum Montanisticum deprehenditur, multum tribuentis Paracletico, antequam ex instituto pro Montani disciplina, ejusdemque supra notatis erroribus, calammum stringeret, ceu ex locis supra allegatis patet. Conjuncta haec fuerunt cum summa hominis *pertinacia*, ceu ex libris contra Psychicos exaratis satis constat. Solent enim si qui alii, atrabillarii, & ex his fanatici, pertinacissime suis inhærere opinionibus. Notat eos hoc caractere *Bateus* in Elench. mot. in Angl. P. II. p. 221. quo *cerebrosos, scrupulis suis contumaciter inhærentes*, appellavit. *Creyghton* in Hist. C. Fl. præf. ad lect. *præter arcana spirituum*, ut *Tertullianus* Paracleti sui, *dictamina nihil eos approbasse* scripsit. Unde *Gesselius* in Hist. f. & Eccles. N. T. p. 299. convenientibus notans caracteribus Tertullianum, eundem *sectarum naturæ suæ austeritatem, severissimam, si non imitem, probasse disciplinam*, ait. Sane manifestum pertinaciæ viri hujus argumentum est, quod *mordicus, quod Catholici improbarent, defendendo*, uti *Baronius* loquitur Annal. t. 2. f. 285. n. 16. undique, nullum selectum argumentorum habens, rationes corraserit, in aquis pereuntibus similis, qui obvia quævis arripiunt, ab interitu se liberaturi.

§. 19. Habemus hic *Characteres Tertulliani lapsi*: Quibus addimus *propriam* Viri confessionem de sua separatione ab Ecclesia in l. advers. Prax. c. 1. Nos, inquit, *agnitio Paracleti, atq; defensio, disjuncta à Psychicis*. Nonnullis interjectis, nos, addit, *Spirituales intelligens, & semper & nunc magis, ut instructiores per Paracletum, deductorem scil. omnis veritatis credimus &c.* Similiter in l. de pudicit. f. 743. lapsum suum ad Montanistas, pœnitentes mœchos & fornicatores recipiendos esse negantes, confessus, erit, ait, *& hic adversus Psychicos titulus, adversus meæ quoque sententiæ retro penes illos societatem, quo magis hoc mihi in notam levitatis objectent*. In sequentibus factum suum, sententiæ scil. mutationem, & ad Montanistas transitum, defendit. In l. de jejun. c. 1. etiam de suo consensu cum iisdem testatur his verbis, quibus aperte se associat idem: *Quomodo protegam castitatem*

tem, & sobrietatem sine taxatione adversariorum, Psychicorum scilicet quinam isti sint semel nominabo, exteriores & interiores botuli Psychicorum. Paulo post: De modo quidem nubendi jam edidimus monogamiae defensionem: nunc de castigatione victus secunda, vel magis prima continentiae pugna est. Satis manifesta est confessio consociationis cum fanaticis Montanistis, quorum dogmatum defensionem in se suscipit à Montanico Paracleto deceptus Afer.

§. 19. Consentit, & deplorat Tertulliani lapsum etiam pia Antiquitas. B. Hieronymus in l. de Script. Eccles. t. I. opp. in Tert. f. m. 129. ita de miserabili Viri lapsu loquitur: Cum usque ad mediam aetatem Presbyter Ecclesiae permansisset &c. ad Montani dogma delapsus, in multis libris novae prophetiae meminit. Annuit B. Augustinus t. IV. opp. de bon. viduit. c. 4. f. 1019. Hinc enim maxime Cataphrygarum ac Novatianorum haereses tumuerunt, quas buccis sonantibus non sapientibus etiam Tertullianus inflavit &c. Alibi ab eodem appellatur disertissimus Cataphrygum, & Novatianorum adstipulator. Addimus his testimonium Vincentij Lirinensis contra haeres. c. 24. qui cum merita Viri contra Haereticos deprædicasset, & tamen hic, inquit, Tertullianus post haec omnia Catholici dogmatis, id est universalis ac vetustae fidei parum tenax; ac disertior multo quam felicior &c. contra Mosis præceptum exurgentes in Ecclesia novellas Montani furias, & illa insanarum mulierum novitij dogmatis somnia veras prophetias adseverando meruit, ut de se quoque, & scripturis suis diceretur: si surrexerit in medio tui propheta. Prima pars hæc est dissertationis.

§. 20. Altera probat Tertullianum ad Montanistas deficiente lapsum esse turpiter, lapsu tanto Doctore indigno, factumque Pietastrum. Arnoldus equidem Hæresiol. t. I. l. 2. c. 4. f. 79. Tertullianum fuisse Montanistam expresse scribit, quem amorem austerioris & strictioris Christianismi movisse notat ad associandum se Montanistis; sed lapsum eundem hoc facto esse in hæresin, & impia fovisse dogmata negat, Montani dogmata contra testimonium antiquitatis, ex pruritu hæreticis patrocinandis, in mitiorem partem explicans, imo probans, l. c. §. 45. sq. Supra sane quæ ex Tertulliano ad mentem Montani producta sunt

dogmata, ita se habent, ut nec à nostratibus, nec à Reformatis, imo nec à Romano-Catholicis probentur; contendat licet *Tertullianus* contra *Psychic.* in l. de Jej. sub init. f. 770. quod *Paracletro* controversiam faciant, & quod propter hoc novæ Prophetiæ recusentur, non quod alium DEUM prædicent *Montanus*, & *Priscilla*, & *Maximilla*, nec quod *Jesum Christum* solvant, nec quod aliquam fidei aut spei regulam evercant, sed quod plane doceant sæpius jejunare, quam nubere. Sed lapsus gravitatem satis arguit impium, & vere hæreticum dogma, quo *Paracletum* istum *Montani* falsarum prophetiarum scripturis contrariarum, & Enthusiasticæ infatuationis, & insanix, imo omnis *Montanisticæ* impietatis autorem, Spiritum Sanctum esse pertinaciter asseruit, ex eodem caractere malignitatem spiritus, qui *Montanum* agebat, agnoscente *Apollinario*, eximio Ecclesiæ ista tempestate Doctore apud *Euseb.* H. E. l. 5. c. 16. aliter licet in gratiam *Montani*, & ejus Prophetissarum, videatur pro more *Arnoldo*, parum magnifice de *Apollinario*, cui non subscribit, sentienti in *Hæresiol.* l. c. f. 78. §. 48. sq. 53. & ex mera præconcepta opinione, & superba de se præsumptione, sine testimonio in multis Antiquitati contradicenti. Merito hinc *B. Hieronymus* Ep. ad *Marcell.* t. 3. f. 58. D. aperta, inquit, est convincenda blasphemia dicentium: DEUM primum voluisse in veteri testamento per *Mosysem* & Prophetas salvare mundum: sed quia non potuerit explere, corpus sumsisse de virgine, & in *Christo* sub specie filij prædicantem mortem obiisse pro nobis. Et quia per duos gradus mundum salvare nequiverit, ad extremum per Spiritum Sanctum in *Montanum*, *Priscam* & *Maximillam*, insanas feminas descendisse, quem *Paulus* non habuerit dicens: Ex parte cognoscimus &c. Peregrinum itaque, & plane alienum fidei principium, imo ruinofum ejuldem fundamentum, cum *Tertullianus* novæ suæ disciplinæ constituit, quin anathema hoc nomine mereatur, non est cur dubitemus ex *Gal.* 1, 8. sq. Non minus quando, sicut ipse confitetur in l. de Jejun. ex imperio novæ disciplinæ; ex DEI imperio l. c. f. 779. non vero indifferenter jejunandum contendit; stationes item plerumq; in vesperam productas, Xerophagias etiam, siccantes cibum ab omni carne & omni jurulentia, & uvidioribus quibusq; pomis, nec quid vinositatis vel edamus, vel potemus,

mus, probat, imo urget; certum est, quod libertatem à Christo partam, quam *multivorantia* elogio exornat l. de Jejun. contra Pauli disciplinam, Gal. 2, 4. sq. c. 2, 16. violenta oppressione, vim inique conscientis inferendo, graviter violaverit, in Christi meritum injuriosus, qui à lege divina, ejusmodi jejunia, & ciborum discrimina præcipiente, qualis hæc Paracleti constitutio fuisse à Montanistis & Tertulliano credita fuit, nos liberavit; improbante etiam Apostolorum Concilio, ejusmodi novi jugi impositionem, Act. 15. seu *novorum solennium, vel solennitatum legalium*, ut in l. de Jej. noster Montanista loquitur, præceptum. De Montano autor est *Apollonius*, apud *Euseb. H. E. l. 5. c. 18.* quod fuerit ὁ *ὑπερβαρὺς νομοθετήσας*, quod *de jejunis leges*, ex Paracleti sc. impulsu præscripserit, & sic Evangelii cum lege commixti, à Paulino diversi, autor fuerit. Ne dicam, fundamentalem fidei nostræ articulum de satisfactione Christi, Montanisticam Tertulliani pietatem evertere, quando in l. de jejun. c. 3. f. 771. explicaturus, *quantum valeat apud DEUM inanitas ista, rationem promerendi DEUM* ei tribuit; nonnullis interjectis ita pergens f. sq. Porro cum & ipse (DEUS) jejunium mandet, & animam conquassatam proprie utiq; cibi angustiis sacrificium appellet, quis jam dubitabit, omnium erga victus macerationum hanc fuisse rationem, qua rursus interdicto cibo, & observato præcepto primordiale jam delictum expiaretur, ut homo per eandem materiam causa satis Deo faciat, per quam offenderat, id est per cibi interdictionem, atq; ita salutem æmulo modo redacenderet inedia, sicut extinxerat sagina, pro unico illicito plura licita contemnens. Cum enim satisfactionem propriam adstruit Tertullianus, merita humana in negotium justificationis coram DEO, & salutis æternæ consequendæ intromittens, plenariam Christi satisfactionem destruit, ceu cui, quod attinet sufficientiam, & valorem in causando, quoad hunc effectum, nihil addere vel adjungere, vel in hoc causalitatis ordine etiam subordinare licet; non secus atque Apostolus Pseudo Apostolos & Judæos, suam justitiam adstruendo coram tribunali DEI, & justitiæ Christi, à Christo præstitæ, quæ eximie ex scripturis explicante B. Dannhavy. Hodof. p. 910. *sola merito perfectissima, infinito valore pretiosissima*, cui proinde addi nil potest, *statione in justificationis foro*

foro dignissima, addendo, justitiam Evangelii, quæ mere gratuita est, destruere pronunciauit Rom. 9. sqq. capp. Conf. B. D. Calov. Syncret. Cal. P. H. post. 3. l. 3. §. 9. p. 349. Similiter quando Pietaster noster Afer *secundas nuptias* in l. de jejun. c. 1. non solum *luxurie*, sed & *multinubentia* convitio impie proscindit, ad quas destruendas in Exhort. ad Castit. ex professo contendit, ita ut parum absit, quin in Montani sui gratiam *pro stupro* easdem habeat, damnatis iisdem, ceu jure divino *Paracleti* prohibitis, in l. de Monogamia aperte, recte ad Dæmoniorum doctrinam, de qua Paul. 1. Tim. 4. 3. id etiam refertur. Et quando orthodoxorum, quos *Psychicos* hoc nomine appellat, *fidem animalem carne totam constare*, & studio *carnis* non destituti, in l. de Jejun. c. 1. f. 770. calumniando criminatur, certum est, *Paracletum*, cujus hanc de Monogamia à se defensam disciplinam esse fingit, & cui eandem in l. de Monog. & de Jejun. refert acceptam, non spiritum DEI esse, qui per Paulum, Ebr. 13, 4. 1. Cor. 7, 8. 9. 39. 1. Tim. 5, 15. aliter docuit, sed spiritum qui non est ex DEO, 1. Joh. 4, 1. Quæ cum ita sint, licet *Georgius Ambianus* Tertullianum ad Montanistas defecisse neget, scriptor non magni ex *Du Pini* etiam sententia judicii; rectius tamen hominem Ecclesiæ petulanter insultantem *Bellarmin.* de Sanct. beat. l. 1. c. 5. §. *habemus, Hæresiarcham* appellavit. Hos, & alios etiam *Tertulliani* errores probet necesse est *Arnoldus*, si ad Montanistas lapsus, & spiritu Montanistico actum orthodoxum permanisse statuere non veretur.

§. 21. Tertulliani etiam, contra lapsus viri hujus assertores, causam agere *Timannus Gesselius* videtur in Hist. sacr. & Eccles. P. I. p. 299. *Quis*, inquit, *horum sibi imaginari poterit, Tertullianum incomparabilis doctrinæ, & ardentissimæ erga DEUM pietatis virum, eo dementiæ venisse, ut hanc tam insanam (Montanistarum) amplecti voluerit hæresin, qui plenitudinem Sacra Scripturæ tam serio commendat, qui nunquam quicquam non Apostolicum admittit, qui tam accurate, tam docte contra hæreticos scripsit, qui ipsos Cataphrygas l. de Præscript. c. 52. blasphemis hæreticis adnumerat?* Sed hæc non impediunt, quo minus lapsus sit, labique potuerit noster Afer, cum fuerit homo, nec semper permanferit idem. Lapsus est ex
Apo-

Apostolorum ordine Petrus, ab ancilla confusus, Luc. 22, 56. qui tam intrepide, tantaque confidentia alio tempore Christum confessus fuerat, cujus etiam gloriam in monte viderat, Matth. 16, 16. Joh. 6, 68. Lapsus etiam est Origenes, non minori doctrina, pietate ardenti, & zelo præditus. Lapsi quoque sunt & alii, quorum lapsus etiam non facile quis sibi imaginatus fuerit. Scripsisse Tertullianum in l. de Præscr. *Cataphrygas esse hæreticos*, nondum certum est, cum *Gesselius* nondum evicerit, Tertullianum autorem esse Hæresiologiæ, quæ ad finem libri de Præscription. legitur, de quo inter Criticos acriter disputari satis notum est. Addit *Gesselius* l.c. *in ejus lectione tam frequentem, tam assiduam fuisse virum sanctissimum Cyprianum, qui illum tam crebro suum appellat magistrum.* Æstimavit nimirum ingenium, & eruditionem Tertulliani gloriosus Martyr, ex quo se contra Hæreticos multa didicisse confitetur; quo vero facto eum à lapsu & erroribus non absolvit, nec istum per omnia seculum statuere, vel cum illo se sentire affirmat. Potest etiam invariata Aug. Confess. addictus *frequens & assiduus* esse in legendis scriptis Reformatorum, quos in communi contra alios adversarios causa, quam strenue sæpe agunt, probat: Num vero hoc facto ab erroribus, etiam fundamentalibus, eos liberos pronunciat? Judicium *Hieronimi* de orthodoxia Tertulliani notum est; & tamen *Nepotianum* celebrans, à *lectione Tertulliani* commendat: vid. *Rhenan.* Præfat. in Tert.

§. 22. Disquiritur etiam de *Separatismo* Tertulliani. Seccessionem fecisse eundem à Catholicis & Orthodoxis, ceu peculiari Secta, & sic malitiose, nos affirmamus. Confessus enim est ipse suum *separatismum*, cum, ceu supra etiam notavimus, in l. adv. Prax. c. 1. scribere non dubitavit, *nos agnitio Paracleti, atq; NB. defensio, disjuncta à Psychicis.* Notamus hic 1. sententiæ divortium, quod Tertullianum distrahit ab Orthodoxis, nimirum doctrinam de Paraceto Montani, quem errorem fundamentalem esse, & blasphemiam Spiritus Sancti, supra diximus. 2. Pertinaciam erroris, quæ ubi perseverat, in schisma & separationem dissentientium exire solet. 3. Disjunctionem actualem, quæ avulsionem & abscissionem unius partis ab alte-

D

ta

ra infert. 4. Separatarum partium diversa nomina, non sine mentis quadam acerbatione à *Tertulliano* usurpata. Nam se atque suos *Spirituales*, Orthodoxos autem *Psychicos* appellavit. Sane non nisi scissionem, & separationem spirant verba nostri, quæ habet in l. de Monogam. c. 1. *Hæretici*, inquit, *nuptias auferunt, Psychici ingerunt. Illi nec semel; isti non semel nubunt. &c. Verum neq; continentia ejusmodi laudanda, quia hæretica est; neq; licentia defendenda, quia Psychica est. Illa blasphematur; ista luxuriat &c. Penes nos autem, quos Spirituales merito dici facit agnitio spiritalium charismatum, continentia religiosa est cum licentia verecunda. &c. Sed Psychicis non recipientibus spiritum, ea quæ sunt spiritus non placent. Sane erexisse Montanistas altare contra altare, & unitatem Christi discordiis furialibus dissipasse, ut Augustini formula ex Ep. 162. utar, certum est; interfuisse autem Tertullianum etiam cœtibus istis Montanistarum separatis, ex l. ejusdem de anim. f. 645. sq. doceri potest. Locus supra §. 5. productus est. Renunciabantur enim homini fanatico, dimissa plebe, à fanaticis revelationes, visiones, præterita colloquia cum Christo & angelis, quæ se habuisse nugivendi crederant; id quod in Orthodoxorum cœtibus neque fiebat, neque locum habebat. Non equidem me latet, B. Cyprianum, qui Tertullianum elogio *Magistri* prosequi solitus fuerat, l. 4. Ep. II. negasse, dissensum circa quæstionem, utrum illis qui post susceptum baptismum in adulterii, & fornicationis crimen incidissent, pœnitentiæ gratia ab Ecclesia esset facienda? inter dissidentes peperisse divulsionem & secessionem, cum antecessores nostri, inquit, quidam de Episcopis istinc in provincia nostra dandam pacem mœchis non putaverunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauserunt, (inter quos ceu ex supra dictis patet, etiam Tertullianus fuit) non tamen à Coepiscoporum suorum collegio recesserunt, aut Catholice Ecclesie unitatem vel duritie, vel censuræ suæ obstinatione ruperunt, ut quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat de Ecclesia separaretur, manente concordie vinculo, & perseverante Catholice Ecclesie individuo sacramento: Sed certo nondum constat, intellexisse h. l. per antecessores suos Cyprianum etiam Tertullianum, hominem utique duri, asperi & obstinati ingenii, ceu constat,*

constat,

constat, & Gesselius l. c. etiam concedit, à Separatismi reatu licet eundem liberatum eat; quanquam sic gloriosum Martyrem explicet B. Durrius de schism. §. 20. sq. Reliquorum etiam Episcoporum alia fuit ratio, quam Tertulliani, qui Montanista & Visionarius fuit, & in Fanaticorum cœtu potius versari maluit, hominum, uti credebat, Spiritualium, quam in cœtu Catholicorum, quos pro Psychicis habuit.

§. 23. Patet hinc, quid de Gesselij l. e. apologia pro Tertulliano habendum sit, quando supra dictis sequentia addit: *Si quid à Montano mutuatus est Tertullianus, non id fidei fuisse existimamus, cujus semper fuit tenacissimus; sed rigida ipsius innocentia, & invicto à cupiditatibus animo tribuendum putamus. Lege ejus scripta, & cum stylo rigido rigidos passim in illis conspicias mores: Gratis nimirum hæc ita dici. Ostendimus enim, utique fidei etiam fuisse, quæ à Montano accepit, & hæctenus ex ejus sunt producta scriptis. Hæc etiam pertinaciter defendendo, hujusmodi culpæ se reum reddidit, ut ab hæresi absolvi non possit, ceu in articulos fidei, & veræ pietatis impingens. Rigor præterea viri reprehendi potius, quam probari meretur, ceu libertati Christianæ, pro qua Pauli exemplo Gal. 2, 4. sq. acriter certandum, inimicus, & proin minime innocens. Uti zelus ἀλογος, ita & rigor talis datur, Jes. 1, 21. Certe ipse Gesselius ita scribere coactus fuit: *Quare ut Montanus crudelissima fuit auctor disciplina adversus lapsos & pœnitentes: sic ille (Tertullianus) rigidi servator honesti, sectatus naturæ suæ austeritatem, severissimam, ne dicam immitem probavit disciplinam, quemadmodum intemperans ager crudelium facit medicum. Verum hic non substitit rigidi hujus Viri Montaninus, qui omnia probavit, quæ Paracletus prætenfus Montano suggestit, ceu in superioribus ostensum. Et cum Hæresiarchæ hujus crudelissimam disciplinam acerrime asseruit, qui innocentia elogio ornari debeat, certe non appareat. Errorem enim de pœnitentia respectu lapsorum cum nullo salutis periculo, multorum etiam hominum, conjunctum esse, nemo jure statuet. Idem notamus contra Jun. in Tertull. f. 490. quando in fide & doctrina nihil, tantum in disciplina mutasse scribit nostrum.**

§. 24.

§. 24. Nec obstat, quod *Hieronymus Tertullianum ad Montani dogma, non autem ad sceleratam ejus communionem delapsum* dicat; & *Augustinus Tertullianistas, quos in Novatianos desisse* opinatur, à *Montanistis* distinguat. *Hieronymum* enim quod attinet, ex subordinatis ille facit opposita, & uno posito alterum citra rationem excludit. Qui enim *Tertullianum ad Montani dogma lapsum* affirmat, non negat hoc ipso ad ejusdem etiam communionem eundem delapsum esse; quod si non ex *Hieronymo*, aliunde tamen sufficienter probatur. Quod *Augustinus* vero *Tertullianistas à Montanistis* distinguat, non probat *Tertullianum ad Montanistarum cœtum non secessisse*, sed duplicis generis errores virum hunc fovisse, quorum alios cum *Montanistis* communes habuit; alios proprios, nec *Montanistis* probatos, ita ut qui hos amplexi sunt, hoc nomine *Tertullianista* dicti fuerint. De quo infra.

§. 25. Denique cum *Tertullianus* *Enthusiasmum* etiam probavit, *Extases, cum Christo & Angelis colloquia, visiones &c.* quid de errore hoc, & consequenter de ipso erroris hujus Patrono haberi debeat, notabimus ex *Articulis Smalcaldicis* P.III. art.8. de Confess. p.333. *Quid multis*, inquit *B. Lutherus, Enthusiasmus insitus est Adamo, & filiis ejus, à primo lapsu usq; ad finem mundi, ab antiquo Dracone ipsis veneno quodam implantatus & infusus, cui etiam omnium hæresium & Pseudoprophetarum originem, vim, vitam & potentiam tribuit, gravissime addens, in hoc nobis esse constanter perseverandum, quod DEUS non velit aliter nobiscum agere, nisi per vocale verbum & sacramenta, & quod quicquid sine verbo & scriptis jactatur, ut spiritus, sit ipse Diabolus.* Ex quo patet, quid de *Tertulliani Paracletis, & quas probavit revelationibus, visionibus, angelicisq;* imò cum ipso *Christo* quæ jactantur colloquiis habitis, cujus generis nugæ hodiè adhuc venduntur, sit habendum.



DISP. VI.
DE
LAPSU TERTULLIANI
ad
MONTANISTAS.

ARTICULI II.
SECTIO III.
DE
CAUSIS HUIUS LAPSI.

§. I.



E causis, quibus motus

Tertullianus ab Ecclesia secessit, Montanistas seculi secundi Pietastros secutus, diversimodè sentiunt scriptores. Varia hoc nomine adferuntur, sed quæ non ejusdem sunt momenti. Dantur enim qui lapsum *ambitioni*, & *invidiæ* hominis adscribunt. Illud fecit *Baronius*

Annal. t. 2. ad Ann. Ch. 201. n. 9. f. m. 281. cum Victoris Papæ emulum fuisse fingens Tertullianum, indigne, addit, fortassis tulit illum sibi honore prælatum, vel quod ab ipso non adeo, ut sibi præsumserat, haberetur honore, vel coleretur officis. Sed huic fortassis, æque facile opponitur non fortassis; cum suum fortassis vix, imo ne vix quidem, Annalium autor probaverit. Concedo non ab omni fastu, & animi elatione liberum fuisse Tertullianum, prout hoc impotentiae genus illis admodum familiare esse solet, qui φιλαυλία, proveniente ex ingenii singularitate, vel

A

ex

ex opinione singularis cujusdam pietatis, temperamento melancholico obstetricante, uti noster, laborant. Quis enim ex lectione librorum ejus, illorum potissimum quos contra Ecclesiam scripsit, factum hujus Afri non facile observaverit? qui petulanter insultando Catholicos abjecte & contemtim tractans, quos *Psychicos* appellavit, ex impotenti animi elatione *Spiritualium* elogium sibi suisque, h. e. Montanistis attribuit; ipso *Gesselio*, de quo supra, in *Hist. sacr. & Eccles. P. I. p. 299.* notante, *quod cum fastu, & fastidio, se suosque Spirituales appeller.* Verum hoc nondum probat, quod fortassis indigne tulerit, sibi praelatum fuisse Victorem, nisi à genere ad speciem affirmative concludere velimus. Idem censemus de *Pamelij* in vit. Tert. sententia, qui credidit, *ob repulsam Episcopatus Carthaginensis Tertullianum ab Ecclesia descivisse*, cum, ut recte *B. Dannhaw. Christeid. p. 362.* monet, hujus conjecturæ nulla extat *vola, aut vestigium.* Ex invidia lapsum ab Ecclesia descivisse vult *Ambrosiaster* in *1. Cor. 13.* & *Novatiano* eundem conjungens, *per invidiam, inquit, & charitatem corrumpentes, scientiam ad nihilum deduxerunt.* Nam & *Tertullianus* & *Novatianus* non parvæ scientiæ fuerunt: sed quia per zelum charitatis fœdera perdiderunt, in schisma versi ad perditionem sui hereses creaverunt. De *Novatiani* lapsu, qui *Romanæ* urbis Presbyter erat, an *Novati* loquatur, qui *Cypriani* Presbyter fuit, & ut loquitur *Eusebius* in *Chronic. Romam veniens Novatianum, & ceteros Confessores sibi sociavit*, incertum, cum multos admodum confuse de his loqui constet; nec hic ad rem multum facit. Utrumque enim invidia præcipitem dedit. Istum invidia erga *Cyprianum*, ad Episcopatum *Carthaginensem* promotum: hunc livor erga *Cornelium*, Episcopum *Romanum*, cujus cathedram sacerdotalem conatus fuerat invadere, memorante *Hieronymo* *Catal. Ill. c. 80.* Videtur tamen pro *Novatiano* pronunciandum esse. Cum de eodem *B. Cyprianus*, qui accurate inter *Novatum* & *Novatianum* in suis *Epp.* distinguere solet, pari fere modo, uti *Ambrosiaster*, fuerit locutus *4. Ep. 2.* *Factet, inquit, Novatianus se, & Philosophiam vel eloquentiam suam superbis vocibus prædicet, qui nec fraternam chari-*

charitatem, vel Ecclesiasticam unitatem tenuit, etiam quod prius fuerat amisit. Cum itaque Novatus & Novatianus lapsi fuerint prævalente invidia, ob prælatos sibi in Episcopatus honore alios, eandem causam lapsus Tertulliani fuisse significare videtur *Ambrosiaster*, quem simili modo ægre tulisse ajunt, quod repulsam Episcopalis dignitatis, sive Romanæ, sive Carthaginensis, passus fuit; cum tamen tam ambitiosum, & invidum hominem eundem fuisse, nondum sit probatum; licet factus veneno eundem infectum fuisse non abnuerim, multos etiam ambitionem & invidiam præcipitasse non ignorem.*

§. 2. Modo laudatus *Baronius* Annal. ad an. Chr. 217. n. 7. inter causas lapsus Tertulliani *remotas*, sive priores reliquis, *contemptum antiquæ Patrum traditionis*, à viro hoc commissum, refert. *Patet, inquit, quanto periculo quis antiquis traditionibus, licet sibi minus probatis, vel fortasse scripturæ divinæ visis aliqua ratione pugnantibus, obniti non curet.* Nam è traditionum firmitate semel alterutro pede convulso, in abrupta hæresium facile quis impellitur, ut miserrimo Tertulliano vidimus accidisse: *cujus enormis excessus hanc priorem omnibus causam extitisse, recte affirmari posse videtur.* Sed vehementer fallitur. Nam errores Tertulliani non solum Montanici, sed & reliqui, qui assertoribus eorundem *Tertullianistarum* nomen dederunt, non solum felicius, firmitus, & facilius ex Scripturis Sacris, quam ex Patrum traditionibus denudantur; sed & doctrinæ Viri inter suos illustris opponimus verba Petri II. Ep. 1, 19. *Καὶ ἔχομεν βεβαίωτον ΝΒ. ἢ λόγον θεοφηνικόν, & habemus firmiorem*, ipsis etiam traditionibus non scriptis, si voce patris è cælis audita, ψ. 18. *sermonem propheticum, cui bene facitis attendentes præ illis, tanquam lucernæ lucenti in loco caliginoso &c.* Cui, ut par erat, cum attendere neglexerit Tertullianus, hunc *verbi scripti contemptum primam omnium causam* ejus lapsus esse contendimus. Nimirum sicut Eva à verbo DEI averfa, cum Sata-næ verbum, Enthusiasmo Diabolico se tradens, audire & probare mallet, horribilem lapsum commisit; ita Tertullianus, cum relinqueret DEI verbum, revelationibusque ἀγγελιαῖς, &

Illaci Paraclete, ejusque Pseudoprophetiis adhæreret, lapsus
 est, quod neglecta luce viæ cœlestis ignes fatuos sequeretur.
 Constat hoc satis ex illis, quæ superiori sectione produximus.
 Testatus ipse de se fuit in l. de anima, quam curiose inqui-
 siverit in revelationes Ecstaticorum, easque audiverit, pro-
 bans per *ecstasim in spiritu existentium conversationem cum Ange-
 lis, imo cum Christo ipso*, qualem ex *Epiphan. hæres. 49. t. I.
 f. 418.* constat jactasse Quintillam, sive Priscillam, Montani
 Prophetissam; quod & Severi Philumenam apud *Augustin. de
 hæres. c. 24.* fecisse constat. Inter errores sane, quos DEUS
 verbi sui contemptum vindicaturus, efficaces esse permisit, ut
 homines *mendacio crediderint*, 2. Thess. 2, 11. etiam fuerunt En-
 thusiasmi Diabolici, quibus præter & contra DEI verbum
 homines adhæserunt, visionum phantasmata, revelationum
 fanaticarum nugas, angelorum prætenſa colloquia, & ra-
 ptuum cacodæmone illudente deliria amplexi, cum ex Pauli
 præcepto Gal. 1, 8. sq. anathema hujusmodi Evangelio dice-
 re debuerint. Et sicut infernalis Proteus varias formas as-
 sumens jam subtilius, jam crassius agit; ita visionibus & En-
 thusiasmis dediti, jam subtiliores, jam crassiores errarunt er-
 rores. Subtiliores fuerunt Montanistæ, quibus se Tertullia-
 nus associavit, & Euchitæ, crassiores insequentibus tempo-
 ribus Anabaptistæ. Enthusiasmus hinc, uti speciem aliquam
 familiarioris apud DEUM admissionis præ se fert, ita quibus
 ingenium est visionarium & fanaticum, quale obtigit Ter-
 tulliano, si verbum DEI non eo quo par est loco habent,
 facile præ hoc, ob singularem erroris hujus efficaciam, propter
 conjunctam pietatis speciem, ejusmodi Satanicis seductioni-
 bus se permittere, & periculossime labi solent.

§. 3. *Causa disponens interna, atque preparans ad lapsum,*
 fuit *imbellicitas*, qua Tertullianus noster, vir *nimis credulus*, im-
 prudenter, & proin zelo quidem minus malo, ἀζύλω tamen &
 minus prudente, neglecta convenienti & necessaria discretione,
 externa pietatis specie Enthusiasstarum seductus, stolide suspi-
 cere non dubitavit, quicquid à fanaticis & Pietastris his ob-
 trudebatur, revelationis aut visionis divinæ nomine, tametsi
 febr-

febricitantium somnium foret. Constat sane ex supra jam dictis, quod, licet vir eruditissimus in sacris & secularibus disciplinis esset, istas tamen muliercularum visionibus posthabuerit, majorem his, & harum deliris & falsis narrationibus, quam veritati, & disciplinarum assertis, fidem habens, vid. l. de Anim. c.9. & Augustin. l. de hær. c.86. *effigiatumq; corpus animam esse inepte contendens*; quod ex fanaticæ cujusdam mulieris phantasmate sibi relato se habuisse loc. cit. iste sic exposuit: *Est hodie SOROR apud nos, qualis nimirum etiam Priscilla fuit, revelationum charismata sortita.* Hanc, cum in spiritu esse desiisset, ait dixisse: *Ostensa est mihi anima corporaliter, & spiritus videbatur, sed non inanis, & vacuæ qualitatis.* Et prout ingenia vehementia, quicquid volunt, etiam vehementer volunt, hæc ingenii vehementia tanto impetu, & vi, Tertullianum abripuit, atque egit, ut inter Christianæ prudentiæ & veritatis metas consistere nesciret, sed utriusque metas transcenderet.

§. 4. Mire ad lapsum in Pietismum hominis ingenium sic dispositum, ulterius non tantum preparavit, sed etiam inclinavit amor fanatici, qui ex pluribus supra patuit indiciis. Notavit hoc etiam Junius in Vit. Tertul. monens, eundem & revelationes singulares, visionesque predicasse insolentius locis quamplurimis, & earum testimonio quasi divino saepe imprudentius usum, etiam in falsi confirmatione. Fanaticas enim has revelationes, atque visiones, instar lucis vialis sequebatur, quas rectius pro igne fatuo habere debuerat, à cacodæmone accenso, quam pro lumine cœlesti, secundum ea, quæ in disert. de Enthuf. Divin. & Diabol. hac de re disputavimus. Impetus vero fanaticus quid possit, & quorsum non repressus tandem abripiat, cum antiquior, tum superiorum temporum, & recentior docet historia Ecclesiastica, & quæ hoc nomine memoriæ prodiderunt Schlüsselburgius in Catal. hæret. l.12. & Hoornbeck. in Summ. Controv. l.5. & 6. Sane quanta fit affectus hujus, Fanatismi sc. à Diabolo inprimis moti, vehementia, & quam violenti ejus sint paroxyfmi, si ad auxilium malum hoc pervenit, ex illis licet cognoscere, quæ in com-

pendio hoc nomine enarravit *Letus* p. 556. Prolixior quidem, memorabilis tamen est locus: *Anabaptisticus furor ad Salam fluvium, authore Nicolao Storck, qui visiones jaëtabat, coepit. Adjunxit se ei Thomas Müncerus concionator Alsteti. Per hos bellum Rusticanum excitatum, quod post à Saxone, Hasso, Brunsvicensi, cæsis 50000. rusticorum oppressum; sed non doctrina Enthustasiastica suppressa, quin imo sparsa. Sangalli Propheta fasciatus à Satana fratrem jugulavit, voluntatem Patris cœlestis se fecisse clamitans, item diem Domini adesse, diem Domini venire. Embda Melchior Hoffmannus, qui stupenda de novo regno, quod somniabat, ejectus, Argentorati, cum prædictam habuisset incarcerationem, incarceratus est. Interea in Hollandia ejus collega, Joannes Matthias, Harlemi & Amsterdami Enochum se jaëtabat. Apostolos (ita emissarios nominabat) in regiones varias dimittebat. In Westphaliam Geritium bibliopegum, & Joannem Leidensem sartorem. Hic sanè Monasterij horrendam Tragœdiam movit. Miserat quoq; Leidam, qui urbis capiendæ consilium etsi frustra iniverant. alios item Amstelrodanum, ubi 7. viri & 5. fœminæ penitus nudi interdium per vicum Salinarium currere ausi sunt vociferantes, vœ, vœ, vœ, divina vindicta! divina vindicta. capti vestes rejiciebant, dicentes veritatem nudam esse oportere; securi percussi. Missi Leovardiam re patefacta in discrimine vitæ fuerunt. In agro Groningano in vico Sande Hermannus quidam umbilicotenus nudus, Prophetam, Messiam & tandem DEUM Patrem se venditabat, affirmans adesse se, ut sibi credentes omnes servaret. Occidite, ingeminabat, occidite Sacerdotes & Monachos omnes, occidite & Magistratus totius mundi, en adest liberatio vestra! quæ dum evomebat, qui se filium DEI & Mediatorem gessit; ô Pater, inquebat, miserere populi, miserere, ignosce, veniam da. Tum is ei cantharum cerevisiæ propinans, bibe, dixit, & hauri Spiritum Sanctum. Matrem, nolentem agnoscere peperisse filium DEI, minis adegit, alium ob id ipsum in stercora conjecit, inquiens, ecce jaces in abyssu inferorum. Hodiernus vero Fanatismus, aliquanto licet remissiores patiatur paroxysmos, nec tam atrociaminari credatur, subtiliori pietatis velo tectus; quid tamen molliatur, & proin quid de illo habendum, conjicere licet ex illis, quæ nuper Dn. D. Spenerus censuit in Judic. Theol. de*

Enthu-

Enthusiasmo & revelationibus cujusdam *Kratzensteini*. Inprimis vero hoc egit Dn. D. *Schelguigi*, in *Sectisch. Pietister. P. II. art. 13.*

§. 5. Inter causas, Tertullianum ad Pietismum Fanaticum *inclinantes internas*, etiam referimus *amorem vitæ austerioris* nimium, & male sanum; de quo etiam supra. Respondebat hæc ingenio ejus duriori, & rigidiori. Et cum eandem penes Montanistas inveniri animadverteret, cum majori autem pietate conjunctam præ laxiori crederet, non placida tranquillitas animo ejus semper constitit, sed vehementioribus vehementioris & pertinacioris ingenii motibus concussa voluntate, successu temporis Montanistis se associavit. Cordate *Baronius Annal. t.2. ad ann.201. n.10. sane quidem*, inquit, *dum attentius accuratiusq; considero hominis ingenium, nihil propemodum est, quod adeo admirer, ipsum lapsum in heresin.* Nimirum cum duri ingenii, austerique animi homo, exactioris disciplinæ arctiorisque vitæ cultu nitens, *Christiana vitæ professionem in severitate nimia tantum collocaret, eo tandem incurrit amentia, ut ex asperioris vitæ cultu de veritate dogmatum judicium faceret, atq; temere sententiam ferret.* Majorem itaque perfectionem, & vitæ sanctitatem, exactiorem & rigidiorum istum vitæ cultum, qui illius ingenio conveniebat, spirare delirans, sororum etiam & fratrum ecstasibus deceptus homo credulus, & Paracleti Montanici spectro territus superstitiosus *Septimius*, sanctioris vitæ inordinato desiderio, & prætextu, in fanaticum incidit Pietismum, pro vera superstitiosam & fanaticam amplexus pietatem, nubem pro Junone. Sic enim ipse l. advers. Prax. c.1. loco sæpius adducto, *nos quidem*, inquit, *agnitio Paracleti, atque defensio disjuxxit à Psychicis.* Diviniorem etiam vitam somniavit idem, ad majorem hominis cum DEO assimilationem, quam sanior etiam veterum Philosophia pro fine hominis olim habuit, ceu alibi id docuimus, jejunia pertinere fingens. Si, inquit l. de jej. c. 6. *DEUS aternus non esuriat, ut testatur per Esaiam, hoc erit tempus, quo homo DEO adæquetur, cum sine pabulo vivit.* Denique non est cur miremur, virum provectoris ætatis amplexum esse montanicum de *Monogamia*

B dogma,

dogma, quem parum æquum matrimonio fuisse constat, cum, Hieronymo memorantel. 1. contra Jovin. jam adolescens librum de *angustius nuptiarum* scripsit, commendatum ab eodem Hieronymo Eustochio, Virgini: Ep. 22. De quo lib. vid. B. D. Bebel. *Antiq. Eccles. P. I. p. 462. sq. & Pamel. Tertull. f. 651.*

§. 6. Etsi vero hæc ita sint, interea tamen non negamus, etiam fuisse *causas externas*, ad lapsum, vel labendum interne, ceu diximus, dispositum, vel etiam ad secedendum à Catholicis dubium, ut quod fecit faceret, *incitantes, impellentes, & permoventes.* Hieronymus sane in l. de script. Eccles. ceu constat, eum refert, *cum usque ad mediam ætatem Ecclesie Presbyter permansisset, invidia postea & contumeliis Clericorum Romanæ Ecclesie ad severum Montani dogma dilapsus esse.* Respiciens, ut apparet, ad verba hæc *Daneus* in Comm. super *Augustin. de hæres. c. 86. p. 367.* *Occasio, inquit, à Clericis Romanis præbita est Tertulliano, qui eum nimis externa illa jejunijs, ciborum abstinentia, virginitatis exercitia extollentem, & admirantem, severius primò tractarunt, & velut plane Montanistam excommunicarunt, cum hæc ille ex immoderato quodam sanctitatis zelo, & regnantis inter multos lascivie odio inprimis commendaret.* Scripsisse hæc ad Hieronymi mentem videtur *Daneus.* Cujus auctoritati cur refragari debeamus, in antiquitate tam venerabili, parum licet magnifice de illa sentiat in *Hæresiol. Arnoldus*, nondum nos permovet *Baronius*, cum 2. *Annal. ad ann. Christi 201. n. 7.* *Tertulliano de seipso narranti, atq; causam huic contrariam afferenti, assentiri se potius cogi affirmat.* Nimirum quod l. *advers. Prax. c. 1.* ita scripserat: *Et nos quidem postea cognitio Paracleti atq; defensio disjuncta à Psychicis.* Infert hinc Cardinalis, non ideo sese in Montani classem conjecisse Tertullianum, quod aliqua passus sit à Clero Romano; sed è contra potius eam ob causam à Romana Ecclesia fuisse ejectum, quod sese Montano conjunxerit, & ejusdem dogmata adversus obnitentes studiosius enixiusq; defenderit. Verum enim vero ex subordinatis *Baronius* facit opposita. Hæc enim simul stare possunt, & irritatum vexatione Cleri Romani ob singularitatem nostrum, ex impatientia, vel superbia, quæ ingenii austerioris & contumacioris hominibus vitia familiaria sunt, fuisse ab orthodoxis

thodoxis

thodoxis alienatum; & cum correctionem æquo animo ferre nesciret, ceu vir duri ingenii & sententiæ tenacissimus, hinc ad asserendam rigidam Montani disciplinam, ceu sanctiorem, & segregandum se à Romana Ecclesia, permotum; & hoc nomine ab Ecclesia ejectum. De *Porphyrio* etiam autor est *Socrates H. E.* l. 3. c. 19. *quod Casarea Palestina, à quibusdam Christianis reprehensus, cum prægravi, qua ardebat, iracundia id ferre non posset, religionem Christianam deseruerit, & præ odio illorum, qui ipsum coarguerant, ad libros conscribendos, quibus Christianos maledice & contumeliose perstringeret, præcepit ruerit.* Deinde id quod vult *Baronius*, ex verbis *Tertulliani* non sequitur. Ex illis enim hoc tantum inferre licet, quod agnitio *Paracleti*, atq; defensio, fuerit in causa, ut discederet ab Ecclesia, de quo quæstio non est: Sed an in Clero Romano montanzantem *Septimium exagitante*, eidemque, quod *singulares revelationes constanter propugnaret, Montani heresin impingente*, ut censet *Junius* in vit. Tert. culpa aliqua fuisse dici possit, quod non fraterne semper, sed contumeliose potius tractando, ceu *Hieronymus* testatur, & ex livore id faciendo, virum etiam sibi aliquid tribuentem, & pertinaciter suæ sententiæ inhaerentem, cedere denique iisdem, ceu se longe eruditione inferioribus, nolentem, atq; sanctitatis majoris, quam ab istis, ceu ventri potius deditis, negligi putabat, ille vero rigore suo affectabat, opinione infatuatum, ad contranitendum potius quam obsequendum, imprudenter irritaverint, mentis quadam vehementia, ut alias etiam fieri adhuc hodie amat, prædominante. Hoc vult *B. Hieronymus*, pro quo & pietas, in Antiquitate dignitas & autoritas, præsumpta etiam fides historica pugnant. Hoc gratis impugnat *Baronius*, longe *Hieronymo* recentior, qui in Clero Romano id tantum improbat, quod in *Tertulliano* montanzante notando, modum excellerit. Consentit nobiscum doctissimus *Ellies Du Pin* in *Nouvell. Bibliotheq. des Auteurs Eccles. D. I.* in *Tertull.* p. 90. *Differens enim, quæ causa fuerit Tertulliano secedendi ab Ecclesia, & Montanistas sequendi, ce qui a, inquit, quelq; apparence, c'est ce qui rapporte par saint Jerome, que l'envie que lui portoient ceux du Clerge de Rome, & la maniere outrageuse dont ils le traiteroient, l'irrita contre l'Eglise,*

B 2

& le

& le porta à s'en separer. Ajoutez à cela, que l'austerité qui paroissoit dans la secte des Montanistes revenoit fort à son genie ardent, & severe, qui lui faisoit porter tout jusques dans l'exces. Add. Junij Vit. Tert.

§. 7. His causis, tam interne ad lapsum disponentibus, quam externe moventibus, & impellentibus, accessit causa promovens, & tandem perficiens, quidam Proculus. In magna apud Montanistas Vir hic fuit existimatione. Cum enim Montanistæ, ceu refert *Autor* appendicis ad Tertull. de Præscript. f. m. 117. in duas divisi fuerint factiones, alterius hic Proculus antesignanus & caput fuit, qui proinde Montanistæ $\chi\theta$, secundum Proclum dicti sunt, cum cæteri Montanistæ secundum Æschinens dicerentur. Inter principes & primipilos horum sectariorum etiam Proculum hunc refert *Theodoret.* hæret. fab. l. 3. c. 2. cui dicitur *Patroclus*, $\tau\acute{\omicron}\ \alpha\upsilon\tau\eta\varsigma\ \alpha\iota\rho\epsilon\sigma\epsilon\omega\varsigma\ \chi\theta\ \Phi\rho\upsilon\gamma\alpha\varsigma\ \omega\epsilon\sigma\alpha\iota\delta\omicron\tau\alpha\varsigma$, qui heresi *Cataphrygarum* præfuit: $\tau\eta\varsigma\ \chi\theta\ \Phi\rho\upsilon\gamma\alpha\varsigma\ \omega\epsilon\sigma\iota\sigma\mu\epsilon\lambda\omicron\theta$, *Patronus* sectæ *Cataphrygarum* audit *Eusebio* H. E. l. 2. c. 25. Ab eodem l. 6. c. 20. H. E. $\tau\ \chi\theta\ \Phi\rho\upsilon\gamma\alpha\varsigma\ \alpha\iota\rho\epsilon\sigma\epsilon\omega\varsigma\ \iota\pi\epsilon\rho\mu\alpha\chi\epsilon\omega\upsilon$, *Cataphrygarum* heresis propugnator appellatur. Scripsit contra hunc, quod, & *Eusebio* memoratur l. 2. Hist. E. c. 25. & *Theodoro* l. c. *Cajus*, $\lambda\omicron\gamma\iota\omega\tau\alpha\iota\theta\ \alpha\iota\nu\eta\epsilon$, doctissimus & eloquentissimus Vir ejusdem elogio, H. E. l. 6. c. 20. $\theta\eta\tau\iota\sigma\mu\iota\zeta\omega\upsilon$ fanaticorum horum temeritatem, & audaciam. Hoc vero non obstante, quod subtilior esset Montanista hic Proculus, intemeratam relinquens de SS. Trinitate doctrinam, quod Æschines cum suis non faciebat; & *Paracleti* revelationibus, quas *Tertullianus* visionarius cupidissime audiebat, & maximi faciebat, cuncta tribueret; ex cujus impulsu etiam se austeriora de jejuniis, de continentia, de non fugiendo, & similibus mandata, eidem gratissima, proponere fingebat, singulari eloquentia ingenio *Tertulliani* austero & rigido se attemperans, tandem effecit, ut in suas eum pertraheret partes, offensum jam ante non parum, imo exacerbatum, Cleri Romani malevolis exagitationibus, quos propterea etiam *Psychicos* appellavit, quod ejusmodi vitæ genus austerum, quo *Tertullianus* gloriam consequi studebat, forte etiam passim hoc nomine æstimabatur, ex invidia, ut *Hieronimus* notavit, riderent, & con-

& contumeliose traducerent, cum sibi ille hoc nomine quam maxime placeret. Procli sane virtutes, uti videbantur, & præsentis pietatis speciem, eloquentiam etiam, quanti aestimaverit *Tertullianus*, patet ex elogio, quo in l. advers. Valentin. c. 5. f. 389. fanaticè pium, sive Pietastrum, fuit persecutus, cum ait: *Proculus nostræ virginis senectæ & Christianæ eloquentiæ dignitas*; pari eundem loco habens cum *Justino Philosopho & Martyre*, cum *Miltiade Ecclesiarum Sophista*, cum *Ireneo omnium doctrinarum curiosissimo exploratore*. Si pro nostræ non legendum noster, quod non displicet *Rhenano* in Annot. h. l. videtur, si non *Proculo* movente, certe probante, *Tertullianus* etiam abstinuisse ab opere conjugali, & quidem, ceu explicat laudatus *Rhenanus*, l. c. ex consensu uxoris, fanatico in homine prævalente Pietismo. Huc nimirum tandem sanctuli hi descendere solent, ut vel non uxores ducere, vel ab eunœa, quam sibi invicem etiam casti conjuges debent, & præstant, ceu carnis opere abstinere malint, hostes conjugii *πυλὸς ἐν πᾶσι*, Eb. 13, 4. facti, & *Enkratitis*, certe *Abelonitis*, de quibus *B. Augustinus* de hæres. c. 87. cui *Danaus* in Comment. p. 372. addendus, se associantes.

§. 8. Denique errorum Montanisticorum usque eo tenax *Tertullianus* fuit, ut in illis ad mortem usque perseveraverit. Falluntur proin, qui ad Ecclesiam, ejusque communionem, eum rediisse fingunt, de quibus *Du Pinus* l. c. cum id neque ex scriptis illius, neque ullo genuino Antiquitatis testimonio probari possit. Nec ab austero, fanatico, & hinc superstitioso, pertinaci denique ad Fanaticos lapsi ingenio, cui visionariorum Montanistarum errores responderant, & respondebant, aliud quid sperari, aut expectari potuit, & debuit.

§. 9. Concludimus hæc de *Tertulliani* lapsu ad Montanistas, ingemilcentes cum *Junio* in vit. *Tertull.* *Ad decrepitam usq; ætatem alienatus ab Ecclesia Orthodoxa vixit, cum exemplum præbens tristissimum humanæ infirmitatis naturæ, ut nobis semper indefinenter discamus diffidere, tum documentum prudentiæ summæ in Ecclesia adhibendæ secundum DEUM, ne præcipites animi in contentionibus se à veritatis, charitatis, aut modestiæ lege patiantur abripi*

quacunq; specie. Hic peccavit Tertullianus, qui ambitione & philautia abreptus, uti austeritate corruit, ita vana & fanatica pietate periit, ex *homine pio*, insignis sui seculi PIETASTER factus, seu PIETISTA, si hodiernus stylus magis placuerit.

ARTICULI II.

SECTIO IV.

quo

USUS DICTORUM DE LAPSU TERTULLIANI
IN CONTROVERSIIS HODIERNIS
PIETISTICIS, ET FANATICIS;
ostenditur.

§. 1.

PRimo omnium sincere testamur, nos ea quæ de *Tertulliano* ex *homine pio* & orthodoxo in *Pietastrum fanaticum degenerante*, ejusdemque *Pietismo* scripsimus, id non ea fecisse mente, quasi vera Pietas quæ DEO cordi est, & *fructus Spiritus* Gal. 5. dicitur, non eo quo debet loco haberi, quotidie inculcari, & cum collapsa sit, prædominante *Indifferentismo*, apud illos inprimis, qui præ aliis *Prudentes* videri volunt, & *Atheismo*, restaurari debeat; impii enim hoc foret hominis, nec Christiani; sed ut ostenderemus, nil novi esse in Ecclesia, si homines fanatici, vel hypocritæ, sub velo Pietatis, à qua vitam austeram non abesse debere multi credunt, veræ pietati, ejusque cultoribus, petulanter insultare non erubescunt; & quod proin in Ecclesia sæpe eadem agatur fabula mutatis tantum personis.

§. 2. Nil de *Anabaptismo*, & qui ex illo exortus est *Quackerismo* dicam, de *Pietismo* frequens hodie sermo est, quem non inter nostros tantum, sed & inter Romano-Catholicos, & Reformatos sub diversa larva nostris temporibus varia molitum esse constat. *Quietista* quales per Theologiæ mysticæ abusum in Italia & Gallia motus animorum excitarint, quodam *Molinoso* autore, *Acta* publica, & scripta amæbæa utrinque hætenus

ctenus emissa docent. *Purissimum enim DEI amorem urgent, qui non modo per se sic justificans atq; purificans, verum etiam consummans atq; perficiens, ac proinde summa perfectionis Christiana, quem sub Orationis nomine commendant; quæ tamen doctrina non solum disciplinæ Pauli de justificatione, & imperfectione, quæ dum vivimus laboramus, penitus repugnat; sed & à tribus Gallia Episcopis, Ludovico Antonio de Noailles, Archiepiscopo Parisiensi; Jacobo Benigno Bossuet Episcopo Meldensi; & Paulo de Godet des Marais, Episcopo Carnotensi, in Declarat. circa libr. ArchiEp. Cameracens. Des maximes des saints, hac censura secundum tenorem hypothesium hujus disciplinæ fuit notata: Nos formam habentes sanorum verborum, sanctorumq; vestigiis inherentes, rebus impossibilibus & absurdis Christianam pietatem & perfectionem minime metimur: nec insolitos affectus, quos pauci sanctorum parce transfereunt, effuderunt, confestim in regulam, & in vitæ statum verti oportere debere credimus. Crederes sane esse hominis plane spiritualis effatum, quando Guyonia, celebris quædam inter Quietistas mulier, in Bossuet. Quietism. rediviv. l. 6. c. 1. p. 400. animam, fingit, resluentem ad DEUM per contemplationem, ita in DEO esse perditam & immersam, ut nulla supersit ejus cognitio distincta, quantumvis tenuis, pridem enim excidisse cujuscunq; perfectionis distinctionem in DEO.*

§. 3. Quid sibi mulieris hujus spiritualis somnium velit, explicat Molinos in Propos. 21. quæ inter propos. 68. Innoc. XI. Pontif. ann. 1680. condemnatas legitur. Nimirum in hujus generis Oratione opus esse fingit, manere in fide obscura, & universali, cum quiete & oblivione cujuscunq; cogitationis particularis, ac distinctionis attributorum DEI, & Trinitatis. Verum enim vero hæc sensuum externorum concentratio, cum fidem quoad actus reflexos impedit in adultis, hoc ipso ceu impedimentum exercitii veræ fidei probari nequit, nec haberi pro actu veræ & genuinæ pietatis, ad quam genuina Theologia mystica tendit. Cæcum & obliviosum hæc contemplatio amorem facit, ut nesciat quid amet, cum verus amor non nisi fide regatur. Inter cujus circa DEUM & Christum exercitia etsi amor referatur, non aliter tamen cor nostrum DEUM amat, quam prout eum
 appre-

apprehendit, & fiducialiter in illo tanquam summo bono acquiescit. Pl. 73, 25. sq. Sane quæ de *fide obscura* garrit *Molinos*, manifeste repugnant verbis Christi Joh. 17, 3. cum ait: *Hæc vero est vita æterna, ἵνα γνώσωσιν σε τὸ μόνον ἀληθινὸν Θεὸν, ut cognoscant te solum verum DEUM, & quem misisti, Jesum Christum*: Eximiè id explicante D. *Dannhau*. Hodol. p. 19. de *cognitione* utique *affectiva, & dilectiva*, quod Ebræis verba sensuum affectum connotent; sed non *obscura*, vel per subtractionem, aut remotionem rei cognitæ ex statu cognoscibilitatis objectivo, vel quod fides quoad actuale cognitionem amoris vehementia obfussetur, sancta quadam ebrietate, uti ebriorum oculi mero fauciari solent, sicut omnia obscurius intueantur, secundum illud *Nonni Dionys.* l. 47. v. 118. *caligo & insuper lumina involvit*: *Ἀκρίτω γὰρ ἀμαλδύνονται ὁπῶπαί, visus enim mero hebetatur*. Charitati sane ubique, & semper, faculæ instar fides ex verbo DEI accensa hac in vita præluceat, & præluceat debet; aberraturæ, & obtenebrato impetu ruituræ, quod hic dicere non licet, ubi Christum confuse, id quod secum fert *obscura* ista fides, intuita fuerit.

§. 4. Cognoscitur vero hinc, hoc genus hominum Pietastrorum de genio visionariorum, qui & Tertullianum egit, atque tandem abripuit, non parum participasse, ita ut ab ecstasi & enthusiasmo, qui & Tertulliani Helena fuit, non multum abhorruerint. Autor sane de illis est *Caracciolus* Cardinal. literis Neapoli d. 30. Januarii 1682. ad Innocent. XI. Pontif. exaratis, quod sensuum quadam concentratione, & ab objectis externis eorum revocatione facta, contemplantes nulli meditationi locum relinquunt, neque preces vocales usurpent; sed durante hujus orationis exercitio in magna se quiete, & silentio teneant, quasi mortui ac muti forent, orationem pure passivam prætendentes. Verba Cardinalis ex Italico sermone in Gallicum traducta ita habent: *Ils (Quietistæ) affectent de prendre le nom des Quietistes, ne faisant ni meditation ni prieres vocales; mais dans l'exercice actuel de l'Oraison se tenant dans un grand repos & dans un grand silence, comme s'ils estoient ou muets, ou morts, ils pretendent faire l'oraison purement passive. En effet, ils s'efforcent d'eloigner*

d'eloigner de leur esprit, & mesme de leurs yeux, tout sujet de meditation, se presentant eux mesmes, comme ils disent, à la lumiere, & au souffle de Dieu, qu'ils attendent, du ciel, sans observer aucune règle, ni methode, & sans se preparer ni par aucune lecture, ni par la consideration d'aucun point. Pari ratione ad quietem se componere solent Quackeri, ad immediatas illuminationes excipiendas. Fanaticis his adjungere licet illud, sive *Quietistarum*, sive *Pietistarum* genus, quod in Oriente aliquando innotuit, de quo egit *Nicephorus Gregoras* Hist. l.ii. f.m. 252. Ὁμφαλοψύχως eos autor vocavit, quasi *umbilicanos*, à modo quo preces suas peragebant. A quiete, & animo imperturbato, Ὑσυχαστῶν etiam eosdem nuncuparunt. De his jam multo ante *Simeon Xerocerci* in opere, quod de sobrietate & attentione scripsit, egit, & qua ratione ad suam orationem se composuerint explicavit. Locum exhibet *Leo Allatinus* de Eccles. Orient. & Occid. perpet. Confess. l.2. c.17. p.830. his verbis: Καθίσαις ἐν μιᾷ γωνίᾳ καὶ μόνως πρὸς τὴν ποιήσας ὁ λέγω σοί· κλίσσον τὸ θῦρον, ἢ ἔπιρον τὸ νῆν σὺ δὲ πᾶντες ματεύει, ἤγαν πρὸς αἰῶνα· εἴτα ἐρείσας τῷ στήθει σὸν πύγωνα, κινῶν τὸ αἰσθητὸν ὀφθαλμὸν σὺν ὄλω νοί ἐν μέσῳ τῆς καρδίας ἤγαν καὶ τὸ ὀφθαλμὸν. ἀγξον καὶ τὸ τὸ ῥινὸς τῆς πνεύματι ὀχεύω, τῆς μὴ ἀδεῶς πνεῖν. ἐρῶνησον ἔνδον ἐν τοῖς ἐγκάτοις ὄρεῖν τὸ τέπον τῆς καρδίας, ἐν τῷ ἐμφιλοχωρεῖν πεφύκασιν πᾶσιν αἰ ψυχικαῖς δυνάμεις, καὶ πρῶτον μὲν σκοτῶ ἀρήσας, καὶ πᾶχῶ ἀνένδοτον. Ἐπιμύνοι δέ σὺ, καὶ τὰς τῆς ἔργων νυκτὸς ἢ ἡμέρας παιγμύνας, ἀρήσας, ὡς τῆς ζωῆματι, ἀληκτον ἀφροσύλω. ἀμα γὰρ ὄρη ὁ νῆς τὸ τέπον τῆς καρδίας, βλέπει πρὸς τὴν ἀ εἰς ποτε ἠπίσαστο. βλέπει γὰρ τὸ μετὰ τὸ τῆς καρδίας αἴερα, ἢ εἰς τὸν φωτῆνον ὄλον καὶ ἀσκελίως ἐμπλεον. Attende, ut facias quod Tibi dico: clausis foribus sedeas in uno aliquo angulo seorsim, mentemq; tuam abstrahas ab omni vanitate, re fragili & caduca. Deinde mentum tuum pectori innexum inhereat, moveasq; sensibilem oculum cum tota mente tua in medio ventris, in umbilicum scil. quin etiam constringe attractionem spiritus narium, ut non facile spires; & inquire intus in visceribus, ut reperias locum cordis, ubi animi facultates morari solent. Et primum quidem invenies tenebras, & crassitudinem minime cedentem. Ubi vero perstiteris, ac dies noctesque in hoc opere consumseris, ὁ rem admirandam! percipies latitiam,

C

que

qua nullo puncto temporis intermittit. Quamprimum enim mens locum cordis repererit, statim aspicit, quæ nunquam sciebat. Siquidem viso aëre, qui inter spatium cordis extat, se ipsa totam lucidam & discernendam præbet. Lumen autem illud, quo ita dispositi circumfundebantur, si interrogarentur, quid esset? post varias ambages respondebant, esse gloriam Deitatis.

§. 5. Cardinalis Cibo in literis Circular. ex mandato Sanct. Congreg. d. 15. Febr. 1687. exaratis, de Quietistis hisce etiam autor est, quod in *societates* jam unius, jam diversi etiam sexus, & *confraternitates* coiverint, & *conventicula* instituerint. *Collegia pietatis* illorum, quæ species sunt hujus generis conventiculorum, quæ ex majoris pietatis studio à Pietatris urgentur, qualia fuerint, idem Cardinalis notanter descripsit. Verba, quemadmodum leguntur in *Act. Condemnat. Quietist.* ex Italico idiomate in Gallicum translata, ita habent: Nimirum *en divers lieux d'Italie on voit s'élever insensiblement, & que mesme il y en a déjà d'établie, des ecoles ou compagnies, des confreries, ou assemblées, & encore sous d'autres noms, dans des Eglises; dans des Oratoires & dans des maisons particulieres, sous pretexte de conferences spirituelles, les unes de femmes seulement, d'autres d'hommes, ou meslées des deux sexes; dans lesquelles certains directeurs sans aucune experience des voyes de Dieu frequentées par les saints, & peutestre mesme malitieux, feignant de conduire les ames à l'oraison &c.* Ad similem, certe confusionem non multo dissimilem, & ejusdem generis tendebat olim, jam montanistico actus spiritu *Tertullianus*, quando fanaticam quandam mulierem, quam appellat *sororem*, in *Ecclesia* inter dominica solennia, per *extasin*, & raptum Enthusiasticum, insanientia deliria proferre permiserat, ceu ex lib. de anim. c. 9. patet; quæ etiam, etsi contra omnem sanam Philosophiam essent, probaverat, ita ut inter errores Tertullianistarum, istæ fanaticæ hujus mulieris, inter Montanistas vel Montanizantes delirantis, *de anima* ineptiæ, postmodum etiam fuerint computatæ.

§. 6. Montanum sequebatur hoc factò *Tertullianus*. Notum quippe est, & prolixius *Eusebio*, & *Epiphano* explicatum, quomodo Montanus cum *Priscâ* & *Maximilla* auctor sectæ

Cata-

Cataphrygarum fuerit. Unde cum ipse ejusmodi destituere-
tur Enthufiasmi beneficio, DEO non permittente Diabolo, ut
hominem ita raperet, fœminas spiritu prophético, quas sic cre-
debat, præditas audire, atque illarum revelationibus se per-
mittere non dubitavit, uti Montanum Maximillam magni æsti-
masse noverat, et si simul cogitare debuërat, ambas à *pravo*
Dæmone etiam incitatas laqueo sibi gulam fregisse, Euseb. H. E. l. 5.
c. 16.

§. 7. Diffundere possemus, occasione hujus *sororis Ter-*
tulliani, si animus foret, fœminarum hæreticis & fanaticis se af-
sociantium, verbum etiam, & Evangelium Hæreticum fanati-
cumque prædicantium, historiam, sed prolixè id non operæ
pretium est, ut præstetur. Satis interim constat, hæreticorum
N. T. antesignanum, atque primum, Simonem magum, ejus-
modi scortum in deliciis habuisse. Tertullianus noster in l. de
anim. f. 670. autor est, *quod de loco libidinis publicæ prostibulum*
hoc redemerit eadem pecunia, quam pro Spiritu S. emendo ho-
mo impius obtulerat. *Helene Tyria* vocatur nostro Polyhistori.
Helena etiam hæc scelerati Simonis socia appellata fuit à *Justino*
Martyre Apol. II. f. 69. *Tertulliano* l. c. *Epiphanio* hæres. 21. &
aliis: Licet & *Selene* audiverit, facili errore unius literæ. Sic
vero legitur apud *Irenæum* hodie, si lectio in antiquissimo scri-
ptore genuina, l. 1. contra hæres. c. 20. & *Augustinum*, qui multum
post vixit, cum error iste jam invaluerat, de hæres. c. 1. Dicta
hinc & *Luna* fuit, Latino vocabulo. *Secum vero meretriculam*
hancce suam circumducebat Simon, *dicens, hanc esse primam men-*
tis ejus conceptionem, matrem omnium, per quam initio mente concepit
angelos facere. *Hanc enim Ennoiam exilientem ex eo, cognoscentem quæ*
vult pater ejus, (Simon sc.) degredi ad inferiora, & generare angelos
& potestates, à quibus & mundum hunc factum dixit. Confirmat
id *Justin. Martyr.* l. c. Carpocrati associant quandam *Marcel-*
linam, de qua etiam *Irenæus* l. 1. c. 24. & *B. Augustin.* de hæres. c. 7.
sectæ illius, inquit, fuisse dicitur socia quedam Marcellina: Conf.
etiam *Epiphan.* hæres. 27. f. m. 108. Nimirum sicut olim Cy-
nicæ sectæ addicta Hipparchia æque impudica fuit, atque ma-
ritus Crates, Cynicus, ita moribus & sceleribus parem sibi asso-
ciavit

cīavit Marcellina Carpocratem, eximie observatura illud πολυ-
 θρυλληθόν: *Apte quando velis nubere, nube pari.* Inter Valentini as-
 sectas fuit quidam Ptolomæus, de quo etiam mentionem fecit
 noster *Tertullian.* l. adv. Valentin. c. 4. cujus Epistolam ad *Flo-*
riam quandam, illius gregalem, ἀδελφῶ, *sororem charissimam*, ex-
 hibuit *Epiphanius* t. I. hær. 33. §. 7. Non minus profundæ ne-
 quitix fraus fuit, qua *Marcus* Valentini sectator cum pudori,
 tum fidei fœminarum insidias struxit, fingens, *si se sibi adapta-*
rent ut sponsa sustinens sponsum suum, fore ut prophetarent. Verbis
 itaque ejus seductæ, atque ob vaticinandi spem elatæ atque
 tumidæ, Διὰ τερμανθείου τὸ ψυχρὸν ἐπὶ τὴν περὶ θεοδοκίας τῆς μέλλειν
 αὐταῖς περὶ φησεύειν, τὴν καρδίας πλεονεξίαν δὲ δέοντι παρὰ πάσης,
animo in-
calescentes ob expectationem doni prophetici, corde plus quam par sit
subfulcante, (uti *Quackeri* in raptu constituti tremere solent,) *in-*
ania & deliriosa loquuntur, τερμανθείαι πνεύματι, *spiritu ca-*
lesactæ, ut loquitur *Irenæus* adv. hær. l. 1. c. 9. *Marcion*, ho-
 mo incontinentens, & ob incontinentiam ex Ecclesia à patre
 ejectus, pro continentissimo licet postmodum haberi volue-
 rit, mulieris opera fuit usus ad decipiendos mortales, memo-
 rante *Hieronym.* in Ep. ad Ctesiph. *Marcionis* allecla fuit *Apel-*
les, qui & ipse à fœmina quadam Δαιμονοπνεύσω seductus, cui
Philumenæ nomen fuerat, mire deliravit. *Philumenæ* hujus
 etiam mentionem fecit *Tertullian.* in l. de Præscr. c. 6. *provi-*
derat, inquiens, *jam tunc Spiritus S. futurum in virgine quadam*
Philumena Angelum seductionis, transfigurantem se in angelum lu-
cis, cujus signis & prestigiis Apelles inductus novam heresim induxit.
 Τὰς περὶ φησεύειν ἐξ ἀντικειμένων λέγει πνεύματι, πρὸς τὸν δόξ-
 οφάντων παρὰ τὴν δαιμόνων, ὄνομα φιλῶμενης, *prophetarum ora-*
cula ex adversario spiritu profecta esse dicit, virginis cujusdam De-
moniacæ nomine Philumenæ responsis inductus, memorante *Rhodo-*
ne apud *Euseb.* H. E. l. 5. c. 13. De cætero *Apelles* hic à so-
 roris suæ *Philumenæ* phantasmatibus dependens, & phari-
 saicus Pietaster, ut sunt fanatici, & crassus Syncretista, imo
 Indifferentissimi Patronus fuit. Sunt enim Pietismi fanatici
 sorores, & Syncretismus, & Indifferentismus. Sic enim de
 hoc *Apelle* rursus *Rhodon.* l. c. refert, quod & τῆς πολιτείας
 ἐσμύθη

σεμνότερον, καὶ τῷ γένει, sanctioris vitæ cultum præ se tulerit, & senectutem; quodque asseruerit, μὴ δεῖν ὅλως ἐξετάζειν τὸν λόγον, ἀλλ' ἕκαστον ὡς πεπίσθηκε ἀγαμέμειν, non esse omnino examinandam fidem, sed unumquemque, in eo quod semel imbibisset, perstare oportere. Audivit hæc ex ore hominis Rhodon ipse; qui & Syncretistica ejusdem principia explicat. Nimirum σωθήσεσθαι οὐδ' ἴππιν τὸν ἐξαιρωμένον ἡλπιότατος ἀπεφαίνετο· μόνον ἐὰν ἐν ἔργοις ἀγαθῶν εὐερίσκωνται, eos qui in crucifixo spem suam collocassent, servandos esse affirmabat, dummodo in bonis operibus deprehenderentur. Ita & hodierni Syncretistæ, & Pietistæ, verborum sensu ambiguo, & justo laxiori, nec satis restricto, sed ad fallendum composito, incautis imponentes.

§. 8. Pari modo, qui interjecto tempore sub pietatis, & reformatioris disciplinæ specie, in Ecclesia turbas excitavit *Montanus*, coadjutrices impietatis habuit fœminas, *Maximillam* & *Priscam*, Pseudoprophetissas à Diabolo actas, prout à piis Ecclesiæ doctoribus fuerunt exploratæ, *Miltiade*, *Apollonio*, *Apollinare Hierapolitano*, & aliis; *Priscam* etiam *Priscillam*, & *Quintillam* appellarunt. Rectius licet credatur, *Quintillam* à *Prisca*, vel *Priscilla* fuisse diversam, vid. Dn. D. *Ittig*. de hæresiarch. f. 2. c. 3. §. 9. p. 117. Fragmenta vero horum virorum conservavit nobis *Euseb.* H. E. l. 5. c. 16. sqq. *Augustin.* de hæres. c. 26. ita scripsit: *Cataphrygum authores fuerunt Montanus, tanquam Paracletus, qui in istum scil. descendisse fingebatur; & duæ prophetissæ ipsius, Prisca & Maximilla.* Ex quibus usque eo infrunitæ & impotentis arrogantia *Maximilla* fuit, ut *Epiphanius* Hæres. 48. t. I. f. 403. memorante, dicere non dubitaverit: *Μὲν ἐμὲ Προφήτις ἐκέπτεσθαι, ἀλλὰ συντέλεια, post me nulla amplius erit Prophetissa: sed finis sequetur.* Quid ergo habendum de sorore *Tertulliani*, ejusque ecstasibus? si *Maximilla* non pro Pseudoprophetissa haberi debet. Fuisse enim sive ipsam *Maximillam*, sive *Priscam*, uti alii opinantur, hanc sororem, temporis ratio non videtur admittere. Et cum notante *Apollo-*
nio in l. contra *Cataphryg. principes hæ Prophetissæ, αὐτὸν ἔξ πνεύ-*
ματός ἐπαρνώθησαν, simulac spiritu impleta fuerunt, viros suos
dimiserint, contra legem conjugii æternam, patet & hinc, quali

spiritu fuerint actæ; impudenter licet Maximilla & hæc eructaverit verba apud Epiphani. l. 6. f. 413. Εμὲ μὴ ἀκούετε, ἀλλὰ Χριστὸν ἀκούετε, *me quidem non audite, sed Christum audite.* At Christi doctrina de matrimonii indissolubilitate longe aliter se habet, quam Montani sororum fanaticarum. Conf. Matth. 19, 5. sqq. c. 5, 32. De altera illarum idem Epiphanius hærel. 49. f. 418. autor est, quod jactaverit, *ad se somno correptam descendisse Christum, ac simul cum ipsa habitu muliebri dormiisse.* Ἐν ἰδέᾳ, dicebat, γυναικὸς ἐξημαλισμένῃ ἐν σοφῇ λαμπρῇ ἦλθε πρὸς με Χριστὸς, καὶ ἐπέβαλεν ἐν ἐμοὶ τὴν σοφίαν &c. *muliebri specie ac veste splendida venit ad me Christus, mihiq; sapientiam indidit &c.* Quid vero de Visionibus Perpetue & Felicitatis Martyrum, quas nonnulli pro Montani asseclis habuerunt, censendum, disquiritur à Dn. D. Itrigio dissert. de hæresiarch. l. 2. c. 13. §. 28. p. 251. Cæterum jam ante hæc deliria etiam Severus, à quo Severiani dicti, scorto suo Philumenæ pueri habitu Christum apparuisse nugatus fuit apud Augustin. de hærel. c. 24. Elcesai, à quo Elcesaitæ, de quibus, quæ Valesius in Not. ad Euseb. 6. 38. observavit, legi merentur, alio affectu hæretico erga fœminas abreptus, ut censet August. l. c. c. 32. etli alii scorta ejusdem appellare maluerint, memorante Dancō Comm. h. l. utrique forte recte, *adorandas tanquam Deas* proposuit. *Harum & pedum pulverem colligebant, medela videlicet gratia, & salivam sputorum similiter in præservativis ac amuletis utentes.* vid. D. Bebel. Antiq. t. I. f. 916. Nec insequentibus etiam temporibus desuit hæc hæreticorum cum sexu sequiori, in propagandis, aut fovendis suis impietatibus, societas & familiaritas, quibus ceu instrumentis ad hunc finem usi sunt. Constantia, soror Constantin. M. à presbytero quodam Ariane sectæ dedito, quem, Socrate H. E. l. 1. c. 19. memorante, sibi intimum habuerat, & Arii causam agente, decepta, moriens fratri eundem commendavit: qui postmodum Imperatori sic imposuit, ut mitiorem erga Arium, duriolem vero erga Catholicos is se gesserit. Impia, & Ariana Valentis uxor cum mystagogo Eudoxio egit, ut maritum baptizandum, ὄρκοις jurejurando obstringeret, *ut in impio dogmate perseveraret,* apud Theo-


Theo-

Theodoret. l. 4. H. E. 11. sqq. Ipsa etiam Justina, Valentiniani junioris mater, cum maritum non potuisset, Arianis gratificatura filium Ariano dogmate infecit; de quo idem *Theodoret.* H. E. l. 5. c. 13. Non minus & de *Prisciliano* auctor est *Sulpicius Severus*, quod & ipse in seducendo fœminarum opera fuerit usus. *Mulieres novarum rerum cupidae, fluxa fide, & ad omnia curioso ingenio catervatim ad eum confluebant.* Pietaster enim simul fuerat. *Unde humilitatis speciem ore & habitu prætendens, honorem sui & reverentiam cunctis injecerat.* Mirum vero non est, hæreticos, & Pietastros hujusmodi sibi associasse sorores, cum & Clerici jam ista tempestate suas *συνεσθίσεις*, socias cœlibatus, & contubernales habuerint. vid. *Bevereg.* Not. ad Can. III. Concil. Nicen. *Spondano* sane scriptore ad ann. 398. n. 10. Chrysoctomi tempore Constantinopoli cum Clerici, tum alii, pietatis quodam intuitu *sacras virgines secum in domibus retinere solebant, Agapeta dictæ ab illis, penes quos habitabant, ceu spiritali amore conjunctæ, quas etiam vocare solebant sorores adoptivas.* Eximius denique locus est *Hieronymi*, ad Ctesiph. adv. Pelag. t. III. opp. f. m. 115. C. quo quæ de mulieribus hæreticorum instrumentis prolixius diximus, in summa enarrantur. *Simon Magus, inquit, hæresin condidit, Helena meretricis adjutus auxilio. Nicolaus Antiochenus, omnium immundiciarum repertor, Choros duxit fœmineos. Marcion Romam præmisit mulierem, quæ decipiendos sibi animos prepararet. Apelles Philomenem suarum comitem habuit doctrinarum. Montanus immundi spiritus prædicator, multas Ecclesias, per Priscam & Maximillam, nobiles & opulentas fœminas, primum auro corrupit: deinde hæresi polluit. Dimittam, pergit, vetera, ad viciniora transcendam. Arius ut orbem deciperet, sororem Principis ante decepit. Donatus per Africam ut infelices quosq; fœtentibus pollueret aquis, Lucilla opibus adjutus est. In Hispania Agape Elpidium, mulier virum, cecam ceca duxit in foveam, successores sui Priscillianum habuit &c.*

§. 9. Dicamus & nos cum *Hieronymo*: *Dimittamus vetera, & transcendamus ad viciniora.* Nolumus vero occasione *Sororis Ecstaticæ*, de qua *Tertullianus*, agere de *Hildegardis*; *Elisabethæ*, *Abbatissæ Schonaviensis*, in seculo duodecimo; *Gerrudis*

rudis atque *Machtildis*, in seculo decimo tertio; *Brigitta*, quæ inter alia etiam *Du Pino* in *Nouvell. Bibliothec.* tom. XI. p. 82. dicitur scripsisse sermones, *l'un de l'Excellence de la Vierge Marie, dicté par un Ange, & quatre autres, qu'elle assure lui avoir été dictée de la propre bouche de JEsus Christ; & Catharina Senensis*, in sec. XIV. aliarumque revelationibus aut visionibus, de quibus etiam *Spanhem.* *Introd.* p. 471. Has cum magni æstimat *Du Pinus Biblioth.* t. IX. p. 185. t. X. p. 83. t. XI. l.c. non invito *Arnoldo*, *Hæresiol.* l. 12. c. 3. §. 8. l. 14. c. 3. §. 12. quibus addi debet *Lettre sur les Principes, & les Caractères des principaux Auteurs Mystiq.* p. 26. sqq. p. 31. p. 47. sqq. contra Autor libri, qui inscribitur: *Traité historiq. sur la Theol. mystiq.* qui *Jurieu* esse fertur, p. 75. fœminas has, & alias scriptori harum literarum enarratas, pro Fanaticis habet. Sic enim loquitur: *Les revelations d'une Sainte Brigitte, d'une mere Julienne de Liege, de Sainte Therese Espagnole; de Sainte Catherine de Genes, & de la Sœur Angele de Foligni, de la Mere Julienne du Pretre de Cressi, & de tant, d'autres sont des fanatismes tout purs.* Utramque sententiam prolixius examinare præsentis instituti ratio non admittit; interim non displicet judicium *Melch. Cani* L. 12. p. 566 cum *nihil*, inquit, *Ecclesia refert, credere, annon, quæ Brigitta, Catharinaq; Senensi visa sunt, nullo certo modo ad fidem illa referuntur;* ita *Alcasar Comm. Apoc.* f. 54. *imprudentiæ illum arguit, qui revelationibus hujusmodi adheresceret.* Præferimus hoc inter suos clarorum virorum judicium commento *Justi Blanckvalti*, editoris scriptorum *Hildegardis*, qui in *Præfat. ad Elector. Moguntin.* ita de illis censuit. *Tam multis in fide errantibus, & in tot heresum & sectarum discrimina distractis, multis in fide nutantibus & vacillantibus, aliis in fide catholica quidem persistentibus, sed in moribus & vita à vero tramite, in utroq; Ecclesiastico pariter ac seculari statu, enormiter devigantibus; ad obviandum ejusmodi malis nihil præsentius esse palam est, quam ea in lucem proferre, quæ ad firmandam catholicam nostram & orthodoxam fidem, & religionem Christianam, & mores in Ecclesia instruendos & emendandos pertinent. Ejusmodi autem esse hæc B. Hildegardis opera, satis ex iisdem relucet.*

Conf. etiam B. *Dannhaw.* H.P. tom. I. p. 62.



Poster. De USU HUIUS CONTROVERSIÆ.

§. 10. Propiora itaque, mulierum quod attinet Fanatismum, quæ malo hoc infatuatæ, luto huic pertinacissime inhæserunt, consideraturi, merito notamus quandam *Huthchinsoniam*, quam, flagrante in Britannia bello civili inter Regem & Parliamentum, & adulto Independentismo in Anglia nova, ab Antinomis seductam, sectæ *Quærentium*, vel *Expectantium* si non matrem, saltem nutricem ac alumnam fuisse, creditum fuit *Georg. Hornio*, H.E. p. 265. Mulier callida, sagax, & contumacis spiritus fuit. Idem de hac *Huthchinsonia* autor est, l.c. p. 275. quod *Cottonum*, & complures in Nova Anglia, ad horrendos errores, & ipsum novæ separationis precipitium abduxerit; quam proin cum Montani Maximilla comparare non dubitavit *Hoornbeck*. Sum. Controv. p. 776. Imo eo usque Independentium indultu provecta est fœminarum licentia, ut potestatem verbi & sacramentorum etiam exercuerint, garrula quadam *Katharina Chidley*, in scripto pro Independentibus edito, *privatis* eandem asserente; Synodo autem NovAnglica non tantum *fraternitatem*, sed & *sororitatem*, subjectum *privatæ clavium potestatis* faciente, eodem *Hornio* memorante l.c. Non mirum hinc est, etiam inter *Quackeros* juxta viros in cœtu fœminas quoque, quas in Ecclesia tacere voluit Apostolus 1. Cor. 14. prophetasse. Innotuit inter alias quædam *Margaretha Fella*, edito ad *Manassen ben Israel* scripto, *den roep der Joden uyt Babylonien*. Celebris etiam in Colluvie horum Tremulorum fuit quædam *Hanna Strangeria*, quæ famosum istum *Naylorum*, literis ad fanaticum delirum exaratis, ceu Messiam venerari non dubitavit. Conf. *B. Lassenij* Histor. Quack. c. 2. Add. nostra *Colluv. Quackeror.* p. 19.

§. 11. Recentiora sunt quæ de *Quietistis* enarrantur, atque novissime contigerunt, apud quos æque Laici, tam mares, quam fœminæ, atque Clerici prophetarunt. Refert sane Illustrissimus Meldensium Præsul, Dn. *Jacob. Benign. Bossuetus* in *Instruct. sur les Etats d'Oraison* l. 1. §. 10. p. 12. inter illos, qui *Quietismum* *Molinosi* promoverunt, quendam *Franciscum Malavallum*, hominem Laicum, Theologiæ expertem, & quandam Mulierem, cui *Guyonia* nomen est, de qua passim idem autor in

D

Quie.

Quietism. rediviv. quam cum Montani Prophetissis non dubitat in eodem collocare Catalogo, in Instruct. l.c. §. 11. Autorem eandem fuisse ait scriptorum inter Quietistas celebratorum, quæ sunt *le moyen court & facile; & l'interpretation sur le Chantique des Chantiques.* In hac etiam, & Molinoso, sepe se fanaticum prodidisse, affirmavit idem in *Quiet. rediv.* sect. 6. c. 5. n. 2. In *declarat. des sentimens* trium Gall. Episcoporum ita mulier hæc describitur, quod sit *une femme, qui sembloit estre à la teste du parti des Quietistes, & quod publicaverit plures libros.* Associari his meretur Fanatica *Antonia Burignonia*, quæ à *Poireto*, ceu quodam *Montano*, tanquam altera *Prisca* seu *Maximilla* celebratur, ceu Prophetissa quædam; quæ cum sacras literas nunquam legit, immediate à DEO se illuminatam atque doctam esse fat Enthusiastice deliravit. Confer *Jurieu* in trait. histor. sur la Theol. Myst. p. 10. Scripsit etiam contra ejus dogmata, ceu impia, *Petrus d'Yvon*, Labadista. *Arnold.* Hæresiol. P. III. c. 16. §. 5. f. 157. qui & de pluribus aliis superioris seculi fœminis fanatico spiritu actis, plura notavit, v. c. de *Anna Hoogwardia*, l.c. f. 170. *Tanneke Dionysia*, ib. f. 171. pluribus Ecstasticis etiam in c. 22. *Anna Vetteria* in primis, l.c. c. 27.

§. 12. Hodierna societas *Philadelphica*, quæ etiam in varias sectas scinditur, similiter ejusmodi sorores *ἑοδιδακτικῆς* jactat, quarum numero præ aliis celebratur *Autor* des ewigen Evangelii der allgemeinen Widerbringung aller Creaturen; cujus defensionem in se suscepit *Ἀποκαταστάσεως Ἄυτορ*, qui *Petersenus* esse fertur (de quo, num ita se res habeat, alii disquirant) im Gespräch von der Widerbringung aller Dinge: De qua etiam *Dn. Wincklerus* in Præfat. ad *B. Horbij* Concion. Passional. prolixè egit. Idem somnium Origenianum fanaticè etiam asseruit in Anglia *Joanna Leade* in l. de Vita Enoch. restitutionem lapsorum, & damnatorum *κακαγγέλων*, tandem futuram liberationem urgens, de qua idem *Autor* *Ἀποκαταστάσεως* l.c. P. I. Ex singulari DEI gratia sibi hoc mysterium de æterno Evangelio revelatum esse, fingere illa non dubitavit.

§. 13. Quales nostro tempore, occasione Pietismi, fanaticismo & Enthusiasmo actæ sorores prodierint in Germania, quæ,

quæ, ut Africa olim, semper aliquid novi, Atheismi, Indifferentissimi, & Syncretismi spiritu juxta DEI, verbi sui contemptum vindicantis, permissione grassante, prolixius referre opus non videtur, cum id solícite jam præstiterit Dn. D. Schelwigius, in *Sectiv. Pietistæ. art. 13.* & Dn. D. Feustking, in *Gynæc. hæret. fanat.* Mirum vero non est, talia sub Pietatis specie fieri, cum comærcium aliquod cum DEO præ se ferant: quæ fraude facilius fœminæ, ceu minus firmæ, quam mares capiuntur; quæ etiam impotentius, & pertinacius delirant quam illi. Id quod potius mire ris hoc est, quod sceleratissimi quique mortalium fœdissimis suis impietatibus *Pietatis* nomen, ad sincere pios decipiendos, prætere non erubuerint, uti *Gnosticos* olim, Carpocratianos imprimis, fecisse constat; quos hodierna nuperrime orta *Nicolaitarum societas*, uti à nonnullis appellatur, quæ fœminam quandam N. autorem habet, æque impudenter libidines atque monstrose exercentem. Fanatismus hujus mulieris satis ex hoc cognoscitur, quando de illa refertur, *daß sie abführe von äusserlichen übungen, gebet und handlungen des gottlichen Worts unter einem guten schein, als wann man darinnen das Christenthum setzte, und sich auffhalte, und weist hingegen die leuthe zur NB. STILLE, darinnen sie den tag über ohne arbeit zubringen.* Simile quid refert *Theodoretus* hæret. Fab. l. 4. c. 11. f. 242. de Messalianis sive Euchitis, & Enthusiasticis, certo Pietastrorum genere, qui se *πνευμαλικὸς*, animales, appellarunt; qui τῆ ἄχῆ ἀΐθεν ἐχολακότες, τὴ ἡμέρας τὸ πλεῖστον καθόδου, ubi orationi vacarunt, diei maximam partem dormiunt. Pergit vero de Neo Nicolaitis relatio: *Und auff das hertz acht geben sollen, was ihnen Gott selbs sage, und wie er sie führe. Und weilen sie die unverständige solcher gestalt von dem äussern Gottesdienst, und der Schrifft abführet, so verführet sie dieselbe nachmals zu allen greueln und übertrrettungen &c.* Non vero Nicolaitarum cynicam impudicitiam tantum, sed & Simonianorum impietatem, atque Gnosticorum extremam fœditatem, superant illa, quæ continentur in *Extractu Actorum Examinis* habiti cum *Aula-Magistra* Witgensteinensi, & quodam *Wintero* d. 9. Dec. 1704. Illa se novam Evam, *Winterum*, autem novum esse Adamum deliravit impudentissime, omnia licet cum prætextu pietatis,

§. 14. Cæterum ut è diverticulo, in quod fanatica Tertulliani soror nos abripuit, in viam redeamus, notamus, quod, cum supra dixerimus, etiam Reformatos inter fuisse, quos *Pietismus fanaticus* decepit, id dictum velimus cum de *Horchio*, tum de *asseclis* ejus, aliisque. Deplorarunt ipsi Reformati Ecclesiæ suæ mala interna, seu *terrores internos*, ut loquitur Cl. *Suicerus*, in orat. de Eccles. Ref. terror. int. *Puritanismus* sane qui, *Læt.* in Com. hist. p. 616. memorante, in Anglia illos autores agnovit, qui cum essent homines rigidi & aulteri, etiam *plus cæteris in religione ac puritate doctrinæ sinceri aut esse sibi persuaserunt, aut videri voluerunt.* Qualis vero horum hominum rigor, quantaque Puritanorum sit fueritque austeritas, explicat B. *Dannhaw.* in Salv. Reform. p. 655. qui solcite, quæ huc pertinent, collegit; id quod ex Reformatis etiam fecit *Hoornbeeck*, Sum. Controv. l. 10. p. 745. Etsi vero non omnes Puritani secessionem fecerint à Reformatorum Ecclesia, alios tamen, præ fanatica pietate turgentes, id fecisse constat; *Brownistas* scil. qui proin etiam *Separatistæ* dicti sunt, qui impudenter jugum Pietisticum collo Christianam libertatem urgentium imponere non dubitarunt. Ex his prodiit *Joh. Robinson*, mitioris, & minus rigidi ingenii Vir, qui *Independentismi* in Ecclesia Anglicana exorti, autor fuit; licet & is schismaticus. Ad Independentismum hunc, tanquam ad sacram anchoram, se receperunt sceleratissimi quique, qui, ut refert *Georg. Horn.* Hist. Eccles. p. 261. *novum lumen sibi denuo illuxisse fanaticæ fingentes, se illum sanctum DEI populum, illos Jesu Christi, & ejus regni, contra omnem Episcoporum & Presbyterianorum tyrannidem, jactabant propugnatores,* sub pietatis specie illusuri simplicioribus, qui nomine, & exteriori pietatis specie, inprimis si sunt bonæ mentis, facillime decipi possunt, præprimis si non observant regulam, & monitum Petri 2. Ep. I, 19. & Johan. 1. Ep. IV, 1. uti Tertulliano etiam accidit. Non solum vero hæc Colluvies Ecclesiis Britannicis gravis & molesta fuit, sed & famosum illud fanaticorum Pietistorum genus, quos *Quackeros* appellant, inter Reformatæ Ecclesiæ *terrores internos* numeratur l.c. p. 51. ab eodem *Suicero.* *Miram* & hi spirarunt spirantque sanctitatem, nil nisi spiritum, & per-

& perfectionem à peccatis jactantes. Cernere id licet etiam in scriptis illorum. *Wilhelmus Catonus* auctor libri, qui dicitur *Allarm* geblasen zu allen Nationen der ganzen Welt/ appellavit se ein Dienstknecht der Wahrheit/ und ein Liebhaber der Gerechtigkeit/ welches Namen nach dem Fleische ist *William Caton*. Alius inter Fanaticos hos, qui edidit einige Eröffnungen des Bauchs der Morgenröthe/*Franciscus Howgillius*, nominavit & ipse se non solum einen Knecht des Herrn/ sed & Einen der den Herrn liebet/ und alle Kinder des Liecht/ und verlanget nach der Seligkeit/ und Wolsarth aller Menschen/ welches ist zur vollkommenen Einigkeit mit allen Creaturen Gottes. Visiones etiam, revelationes, & raptus, motusque Spiritus Sancti internos immediatos jactant, vid. *Catoni* Untersuch. p. 7, II. Vexavit & *Labadistarum* secta Reformatos. Certum *Pietastrorum* genus hi constituunt, autore *Johanne de Labadia* de quo, cum alii varia, sequentia *Cl. Suicerus*, qui familiariter cum illo aliquandiu vixit, l. c. notavit: *Severus erat morum censor, castigatq; omnium, præprimis vero magnatum, & Symmistarum &c. Accessit singularis vitæ modus. Partior quandoq; victus, vestitus neglectior; rarus in publico conspectus; affabilitas delenifica, privata in ades confluentis turba, geminato etiam quotidie labore, institutio; liberalitas facultates excedens. Juvenum ingenio pollentium, quos suo proposito adaptandos cate providit, in familiam receptio; eorum vel nullo, vel modico pretio alitura. Frequentes de Ecclesiæ labibus questus: Quasita sanctioris congregationis laudes, spes felicioris successus, ex insomniis etiam jactata. Inclaudit in horum cœtu etiam soror quædam, *Anna Maria Schurmannia*, alias ob seculares literas jam clara; cujus nota *Ευκλυσία*. Ab Ecclesia Reformatorum, ceu minus pura Ecclesia, hi homines se separarunt; unde ab aliis *Cathari*, ab aliis *Donatistæ* dici meruerunt, de quibus etiam prolixè *Arnold*, in *Hæresiol.* t. 2. l. 17. c. 21. *Dn. Colberg*, in *Christ. Platon.* P. I. c. 11. & alii. *Enthusiasmum, Perfectismum, & Chiliasmum* fovisse censentur: & passim hodie inter Reformatos hoc *Pietastrorum, & puriorum* sc. Christianorum genus, suos habet fautores. *Petrus Yvon*, qui post *Joh. de Labadia* mortem hujus Ecclesiæ curam præprimis in se suscepit, edito scripto Gallico, *l'Impiete convaincue en**

deux traitez, appellavit se Pastorem de l'Eglise Reformée retirée du monde, & recueille maintenant a Wiewert en Frise. Hunc Labadistico-Donatisticum errorem, etiam nuper inter Pietistas, qui novissimas excitarunt turbas apud nos, quidam erravit, qui præ aliis audax & φιλαυτός erat, se atque suos tantum, ceu præ cæteris spirituales, exclusis reliquis communionem sanctorum, & veram Ecclesiam constituere fingens.

§. 15. Spiritus austerior fanaticus etiam inter nostros haud raro tumultuatus fuit, imo & adhuc tumultuatur. Anabaptistæ equidem hodie non usque eo nostris sunt molesti, quamvis non ubique ab hoc mortalium genere simus penitus liberati; superioribus tamen temporibus, sæculo imprimis XVI. satis turbarum sub pietatis, & obsequii DEO præstandi prætextu, hos excitasse, istorum temporum historia memoriæ prodidit; ita ut passim admirata fuerit Germania, setam brevi factam esse fanaticam. Meretur hoc nomine legi post alia, non ἀπυδέντως à Nonneme-nuper editum *Specimen Historiæ Anabaptisticæ*. Melchior Hoffmannus sane sat inquietus Argentorati fuit, licet omnia sub pietatis prætextu tentarent Fanatici. Non abs re etiam *Valentinus Weigelius*, qui ex nostris exiit, sicut ulcus sc. ex corpore, à Cl. *Hoornbeckio* Summ. Contr. l. 6. p. 423. inter illos refertur, qui summam & rigidiorē spirantes pietatem, fallaci hac specie incautos fefellerunt. Satis etiam, ut aliorum mittamus rigorem, constat, quid in nostra Ecclesia passim hæctenus, sub pietatis collapsæ restaurandæ, & Christianismi indies deficientis restituendi prætextu specioso, impotentes nonnulli Pietatis Magistri, quos vulgo *Pietistas* appellant, moliti fuerint, ejecto cum sordibus infante adiaphora etiam prohibere conati. Sane si cum *Salomonis* Ecclesiaste illorum austeritas confertur, multa in fumum abeunt, deprehendunturque esse ingenii duri, pertinacis, melancholici, quod alios etiam justa ex causa ridere ægre fert, deliria potius, quam veræ pietatis, in scripturis sacris commendatæ dogmata. Hi uti sorditiem etiam amant, ita vitæ externæ decorem, à DEO minime improbatum, ceu Legislatio Mosaica docet, & à Christo non prohibitum, quod illorum singularitati & genio non respondet, penitus rejiciunt, nescio quàm sancti-

sancti-

sanctitatem se sectari pharisaice persuasi. Sed idem Tertulliano accidisse vidimus. Certe si Pietastri tales nuptiis in Cana Galilææ interfuissent, vino deficiente, abire potius jussissent convivæ, quam aliunde vinum adferri, uti Christus casu deficientis vini aquam in vinum optimum mutavit. Joh. 2, 19. *Desiderium etiam animæ*, cui indulgere DEUS concessit, Deut. 12, 15, uti ad luxum & luxuriam extendere non licet, ita hac resecta, multo laxius adhuc est, atque hodiernorum Pietastrorum nonnulli concedunt; qui etiam Davidem in honorem Jonathanis *Epicedium* scribere, si penes illos illa tempestate stetisset, non permisissent. 2. Sam. 1, 18. Parum abest quin hi homines, Socinianorum disciplinam secuti, majorem in N. quam in V. T. perfectionem virtutum fingant necessariam.

§. 16. Cæterum quid ab hoc Puritanismo impotenti, & imprudenti, nonnullorum nostratium tandem expectare liceat, haud difficulter conjici potest, ubi de simili simile fertur iudicium. Scilicet periculum est, ne inter nostros Pietismus pariat Separatistum, & dissidium, quale in Anglia peperit Puritanismus. Nimirum, ut *Georgij Hornij* stylo ex H. E. p. 230. sq. rem explicem, quemadmodum facile ab uno extremo ad aliud transitus datur, ita tum quoque, invalescentibus sc. Puritanis, in Anglia multis contigit. Qui cum viderent multos in Ecclesia Anglicana novos, multas superfluas ac inutiles vanas ceremonias, offensi insuper crescente indies fastu Episcoporum & dominatione; eo proruperunt nimio affectu pietatis, ut Ecclesiam Anglicanam, tanquam falsam, Apostaticam & Anti-Christianam condemnarent, atque ab ea secessionem facerent. Parum sane abest, quin & ex hodiernis fanaticæ & hypocritice sanctis dentur, qui novitatis pruritu, crasso rerum in se indifferentium abusu offensi, sub prætextu pietatis, & majoris perfectionis consequendæ, secessionem minentur. Pietatis enim persuasio; etsi omnes veræ pietatis, quæ regenerationis & Spiritus Sancti fructus est, studiosos ex animo, ex *ἰσχύει* esse deceat; ubi non cum vera scientia conjuncta est, indies ulterius grassari pergit, ad ea etiam abroganda, quæ salva pietate tolerari possunt, erroneam suam conscientiam, ejusque dictamina, pro impulsu Spiritus Sancti, quem non extinguere liceat, 1. Thess. 5, 19. Pietastris habent

habentibus. Satis patet id *Brownistarum* exemplo, de quibus legi meretur Cl. *Hoornbeck*, Sum. Controv. l. 10. Autor certe Dissertationis, quæ nuper sub præsidio Cl. J. Cti Dn. *Joh. Samuelis Stryckij*, Halæ fuit habita ex Jure Ecclesiastico, de *Jure Sabbathi* c. 4. quando, si verum fateri velimus, odium licet pariat, hoc spiritu actus, ea quæ in Ecclesia Evangelica invariatae A. C. addicta ex libertate Christiana adhuc recepta sunt, non solum non probat, sed & culpæ successorum Lutheri ad nostra usq; tempora adscribit §. 24. quod cœptam reformationem non continuaverint; referens hoc nomine §. 62. sqq. inter ea quæ tolli debent, ornamenta templorum, altarium, & suggestum, imagines, probato Carolstadii furore, statuas ligneas crucifixi, templorum turres, campanas, organorum in templis pneumaticorum usum, musicam Ecclesiasticam, cantiones pastorum coram altari; & taxans insuper vestitum sacerdotum, & ministrorum Ecclesiæ, consuetam etiam receptamque explicationem pericoparum Evangelicarum, & Epistolicarum, singulis annis factam, & complura alia, æque pietistice atque Brownistice; facile catis subodorari licet, quid hi elevatorum sub pietatis furore in Ecclesia moliantur, & quorsum tandem evasurus sit iste nimius pietatis affectus etiam in Germania, & quid iste novandi pruritus nostris minetur Ecclesiis. Nescio an autor hic sequi voluerit disciplinam *Johannis Higgij* cujusdam, Quackeri, qui scripsit *eine Bestrafung an alle, die da sitzen, singen, und lehren das Volck singen, die Psalmen David: seine Gebet und prophceyen, in reymen und auff noten gestellt: und dasselbe einen Gottesdienst nennen.* Templum idem vocat *edes acuminatas*. Similiter etiam *Tertullianum*, imaginaria sanctitate turgidum, à Psychicis tandem secessisse, supra Sect. II. §. 22. vidimus, cum suis prius Montanisticis pietatis artibus indulgens, tandem sanctitatis & spiritualitatis opinione infatuatus, Psychicorum cœtum relinquere satius, quam in eodem permanere censuit.

§. 17. Urgebat *Tertullianus* olim fidei unitatem; hac salva, de disciplina, & sic de pietate, & majori perfectione, cujus Christiani studiosi esse debent, litigari fingens. Sic enim locus, alibi etiam ex l. de jejun. c. 1. f. 770. productus, habet: *Psychici Paracletum controversiam faciunt, propter hoc novæ prophetiæ recusant*

recusantur, non quod alium DEUM prædicent Montanus & Priscilla, & Maximilla, nec quod JESUM Christum solvant, nec quod aliquam fidei autem spei regulam evertant, sed quod plane doceant sæpius jejunare, quam nubere. Ita hodierni qui ex nostris exorti sunt pietatis magistri, quos ob perversum pietatis collapsæ restituendi modum *Pietistas* appellant, ad libros Ecclesiarum Evangelicarum Symbolicos, *Formulam Concordiæ* imprimis, provocare solent; ab hac se non abire, sed sanctificationem, & renovationem in eadem ex scripturis præceptam, *Pietatem* etiam tantum urgere contendentes: Etsi constet dari inter illos quoque, qui de *libris Symbolicis* non usque adeo magnifice statuunt. Istorum licentiam fidei articulis insultandi cum hi coërcent; nec Eclogismum, & Indifferentissimum eorundem libere grassari permittunt, vim conscientiæ illorum usu inferri clamant. Confer. etiam nostra *Suñna Jur. div. p. 496. sq.* Montanistas vero quod attinet, ipsumque Montanum, etsi ab initio, quod fidei dogmata attinet, puriores fuerint, vel certe tales, quales revera erant, nondum detecti apparuerint, in sequentibus tamen temporibus ut in pejus mentem mutarent, omnino fieri potuit, *Tertulliani* testimonio non obstante, ceu cui de suis tantum temporibus testari licuit. Licet etiam negari non possit, quod *Theodoretus* seculi V. imperante Theodol. II. scriptor, *Hæret. Fab. l. 3. c. 2.* expresse scripserit, quod Montanus, τὸ εἰς τὴν θείας λόγον οὐκ ἐλυμῆνατο, *doctrinam de divina Trinitate non corrupit*: Etsi hoc vix cum illo componi posse videatur, quando idem memoriæ l. c. prodidit, quod idem τὸ ἁγία κλητὸν ἑαυτὸν προσηγοῦντο, *Paracletum seipsum appellavit*. Interim cum B. *Hieronymi* Epistol. ad Marcell. & aliorum, Montanum cum Sabellio jungentium, major sit autoritas, quam ut ita crude contemni possit; non male hic dissensus videtur conciliari posse, si crassi illi errores, qui Montano tribuuntur à nonnullis, Montanistarum insequentium temporum esse asseruntur. Conf. *Baron. Annal. ad Ann. 173. §. 25.* ex nostris Dn. *D. Ittig. de hæresiarch. p. 220. sq.* & B. D. *Bebelius, Antiq. Eccles. t. 1. p. 394.* Similiter & hodie inter crassiores Pietastros haud facile quis invenerit tales, qui inordinato pietatis affectu, ejusdemque propagandæ studio perverso laborantes, ab omni errore

E rore

fore religionis immunes sint, orthodoxiam licet callide præ se ferant. Vid. Dn. D. Schelguig. in Synops. Controv. sub piet. præf. motarum, & in Sectiv. Pietist.

§. 18. Cæterum id imprimis commemorari meretur, quod Montanistæ, seculi sui Pietastri, specie sanctitatis, quam præ se ferebant, complures primo diu infatuaverint. Cumque essent detecti, qui vita optimis moribus composita, abstinentia præsertim exulta, pridie Ecclesiæ imposuerant, ejecti quidem sunt ex cœtu vere sanctorum, sed, uti eximie hoc explicavit *Baronius* Annal. t. 2. ad Ann. Chr. 173. n. 3. *non id fuit parvi negotij opus. Tantam enim sibi apud plurimos æstimationem & gloriam comparaverant, ut nec jam detecti exciderint ab opinione multorum: Imo & qui de eis aliquando recta sensissent, atq; damnassent, postea fraude pellekti, eorundem facti fuerint accerrimi defensores, exemplo Tertulliani, viri utique in Ecclesia magni; quem lapsu suo magnum dedisse scandalum, non est cur dubitemus. Vincentius Lirinensis certe in l. advers. hæc. c. 24. singulari diatriba id docuit, quod Tertullianus mutata sententia magna in Ecclesia fuerit tentatio. De Montano autem Pietastrorum horum Patriarcha ita Baronius l. c. censuit: Magna certe Montani fraus tentatio in Ecclesia fuit, cum non hic vel ille inanis homo, & facilis ad credendum ab ejusmodi composita larva deceptus sit, sed & qui magna præditi videbantur sanctitate atq; doctrina. Pergit vero Cardinalis n. 7. & ostendit, quod perfacile fuerit à Montano, & sociis ejus decipi, quippe qui in omnibus speciem pietatis præ se ferebant; idque eo magis, cum ista tempestate charisma propheticum nondum desisset. Hoc à Paracleto sibi singulari, & extraordinaria quadam ratione concessum fingens Montanus, antequam spiritus hic sufficienter esset probatus, secundum Joh. præceptum 1. Ep. 4, 1, sanctimonix pallio tectus, & pellibus ovinis lupum induens, multos in suas partes pertraxit. Idem alias factum legitur, ut sub specie pietatis, & commercii arctioris cum Deo, errores fidei & morum, æque noxii atque fœdi, invaluerint. Nil de Anabaptismo dicam, variisque qui ex illo pullularunt sectis, idem de hodierno Pietismo dicas, qui sane magna est in Ecclesia DEI tentatio, quo multæ etiam sincere piæ animæ decipiuntur, secundum suum genium de aliis, subdolis sc. hypocri-*

tis

tis judicantes. Negari sane nequit, in corruptissima nos incidisse tempora, profligata ubique fere vera pietate, de quibus Christus locutus est Luc. 18, 8. Non male *Didacus Stella* Enarrat. in Luc. h. l. t. II. f. 195. *Quamvis DEUS sic zeletur pro suis electis, tanta tamen erit tunc malorum multitudo, ut apud paucos vera fides inveniat. Pii itaque gementes, & suspirantes super abominationibus, cum applausu & zelo ἀζήλω excipiunt haud raro inconsiderate ea, quæ ab ejusmodi pietatis restauratoribus infrunitis, jam callidè, jam imperite proponuntur; quos proin etiam, cum in omnibus speciem pietatis præ se ferant, Pharisæorum exemplo, de quibus Matth. 23. majoris æstimant, quam genuinæ pietatis, quæ ex fide per Spiritum Sanctum oritur, assertores, & meliora suadentes. Applicare huc licet, quæ de Macedonianis hæreticis memoriæ prodidit *Nicephorus Callistus*, Hist. Eccles. l. 9. c. 47. *Vita, inquit, & moribus, quos potissimum multitudo spectare solet, probatis erant. In publicum cum gravitate quadam veneranda prodibant --- Et sermo affectata quadam sanctimonia mistus, vim ad per persuadendum satis accommodatam præferbat.* Interim erant occulti, dolum & heterodoxiam quam fovebant tegentes, uti illis objicit *Athanasius* t. II. Dial. I. contra Maced. f. m. 267. Egregie hæc cum in novatores nostros cadant, hodie etiam; artibusq; his cum melioribus monitis neglectis mortales decipi velint, etiam certo decipientur, deceptique admirabuntur aliquando, se Fanatismo tam cito esse deceptos, atque infectos. Dantur præterea etiam hypocritæ, qui nil minus quam vere pii sunt, qui tamen ut tales videantur, omnia quæ ab ejusmodi male piæ pietatis architectis eruçantur, probant; scripto etiam & consilio illos juvant. Unde non parvi negotii opus est, ut callido huic & subdolo mortalium generi sic obicem ponas, quo illi, quibus vera pietas curæ cordique est, mulieribus imprimis, quorum favorem variis artibus sibi conciliare tentant, non offendantur, nec impii occasionem inde sumant, ad ruendum in pejus, quasi cum superstitiosa pietas notatur, illorum impietas probetur, ab uno extremo ad alterum delapsorum. Tam similia hodierna tempora brevi facta sunt seculo Montanistarum & Tertulliani, qui ad illos defecit.*

§. 19. Ex his inferre licet, quod *caute & provide negotium Pietisticum tractari debeat*, ne cum zizania eradicare quærimus, ipsum triticum eradicemus. Omni studio etiam cavendum, ne simpliciores, & veræ interim pietatis studiosi, dum Pietismo & Donatisticæ pietati obex ponitur, scandalo intempestive accepto offendantur, ne veram pietatē sufflaminare velle videantur, qui adulterinæ & fictæ se opponunt. Indigni sunt Christianorum nomine, qui veræ pietatis hostes facti talia moliuntur. Interim per DEI gratiam nondum tam male cum Ecclesia DEI agitur, quasi vera pietas à falsa non possit distingui, quam fallaci etiam specie appareat, & cantus dulcedine ipsos Sirenes superet. Vera pietas origine est divina, ex cælo, fructus Spiritus Sancti, nata ex fide, quæ est ἐνεργημάτων δι' ἀγάπης, *per dilectionem operans*, uti bene vertit B. D. Sebast. Schmid. Gal. 5, 6. Etsi enim vera Pietas secundum utramque tabulam Decalogi, & bona opera æque interna atque externa, non sint de definitione atque essentia justificantis fidei, sed tantum inseparabile ejus consequens in justificato, ipsum tamen principium generans bona opera, & sic etiam veram pietatem, quæ fructus fidei est, esse de essentia & definitione fidei salvificæ & vivæ, negari nequit, & docetur etiam à B. Mülfemanno ex Jacob. II. in Harmon. Apost. Paul. & Jacob. §. 91. Falsa pietas primas agnoscit origines Dæmonem, *in Angelum lucis se transformantem*, 2. Cor. 11, 14. Adulterino hujus fulgore alii decepti, alios etiam, verum à falso non satis provide dijudicantes, decipiunt. De quo loco peculiari egimus dissertatione. Exemplo sunt Montanistæ, de quibus autor est Eriphanius hæres. 48. quod πρῶτον πνεύμασι πλάνης, καὶ διδασκαλίαις δαιμόνων λέγουσιν, ὅτι λέγει ἡμᾶς καὶ τὰ χαρίσματα δέχονται, *attendentes spiritibus erroneis, & dogmatibus Diabolorum dicant, quod oportet nos etiam dona recipere.* Tertullianus etiam Paracleto, quem impie Spiritum Sanctum esse statuit, Montani errores, & fanaticæ pietatis dogmata tribuit. Afferuerunt Montanistæ etiam, B. Augustin. de hæres. c. 26. memorante, quod adventus Spiritus Sancti promissus, *in se potius, quam in Apostolis fuerit.* Unde etiam Veteres, ceu Euseb. H. E. l. 2. c. 16. ex antiquo quodam observat scriptore, Montanum

appel-

appellarunt ἐνεργημάτων, καὶ δαιμονίων, καὶ ἐν πᾶσι πνεύματι
 ὑπαρχόντων, *abreptitium & demoniacum, spiritus, erroris actum.*

§. 20. Vera pietas summe de hoc sollicita est, ne fidei
 doctrina corrumpatur, & quo charitas sincera maneat. Fidei
 enim doctrina corrupta per errores fundamentales, non genui-
 na pietas, sed pietatis larva, & spuria pietas inde nascitur. Et
 ubi non datur fidei consanguinitas, ibi non dari potest fraterna
 charitas. Quis nescit, pessimos etiam hæreticos, hæriodæmo-
 ne afflatos, nescio quam præ se tulisse pietatem? Summa impu-
 dentia Ebionitæ sane, teste *Epiphano*, qui hæreticorum horum
 errores, præ aliis accurate notavit hæres. 30. etsi de DEO &
 Christo, de vera etiam pietate, satis impie statuerint, præ aliis
 tamen sancti videri volebant. Et notari meretur, quod cum
 Ebionismus sit fœdus quidam Syncretismus, illa quæ sanctita-
 tem aliquam spirare videntur, ex lacunis Pythagoricis sint ab
 Hæresiarcha desumpta. Prohibuit Ebion carniū esum, ita
 ut *Epiph.* hæres. 30. l. 1. t. 2. f. 139. memorante, *ab animatis omni-
 bus & carnibus, reliquosq; omni quod carne constet, abstinerint* Ebio-
 nitæ. Interrogati autem quare id facerent, aliud nil responde-
 runt, quam se ideo non velsci, *ὅτι τὸ ἐκ συνουσίας καὶ μιξεως σωμάτων
 εἶναι αὐτὰ*, quod illa è corporum coitu concubitusq; gignantur. In
 libro qui *Περίοδοι Πέτρου*, *circuitus Petri* dicitur, docuerunt,
 quod ad illius exemplum ἀγνισμὸς ἐνεκεν, *castimonie causa*, καὶ
 ἡμέραν βαπτίζειν, *quotidie lavare se deceret.* Cum fallaci hac
 pietatis imagine uti persæpe mendax charitatis species conjun-
 cta est, ita sub hujus prætextu Syncretismi studiosi sunt falsæ
 Pietatis sectatores. Hinc de studio controversiarum Theolo-
 gicarum parum honorifice statuunt, ad pietatem, & Pietatis ex-
 exercitia, non ad rixas Theologicas homines esse manuducendos,
 urgentes, quasi Christus, qui est ipsa charitas, hujus regulas non
 observasset, quando in Phariseos, & Pharisaicam pietatem
 convenienti zelo fuit invectus. Hinc si quando simul in una
 sede pietas, & amor, studiumque Syncretismi, Indifferentismi,
 Eclogismi, & similia morantur monstra Theologica, ista quæ
 sic vocatur, & videtur esse Pietas, non pro vera, sed ficta, falla-
 ci, & mendaci haberi debet.

§. 21. Vera pietas *constans* est & una. Una enim est fides, cuius fructus est vera pietas, *μία πίστις, ἐν πνεύμα, ἐν βασιλεία,* unus spiritus, quo vere pii aguntur, Rom. 8, 14. unum baptisma, & proinde apud omnes eadem *ζωὴς καὶ νότης, vita novitas,* Rom. 6, 4. Ast fatua pietas rectius igni fatuo, quam veræ constantique luci, qualis est Solis, assimilatur. Ita multum variant pietatis larvæ, quibus olim hæretici suas impietates commendatum iverunt. Montanus suis pietatibus, ut sæpius hæctenus dictum, Paracletum à Christo Apostolis promissum, prætendit, concedens monogamiam, urgensque jejunia inordinate; quem secutus est Tertullianus. Sed crassior Pietaster Tatianus, qui ante Montanum, mitigatum Encratitam, deliravit imaginaria sua pietate, nuptias plane damnavit, atq; omnino pares eas fornicationibus, aliisq; corruptionibus fecit, memorante Augustin. de hæres. c. 25. & Epiphan. hæres. 46. f. 391. sq. De Tatianis ulterius & hic autor est, quod non receperint in suorum numerum conjugio utentem, sive marem, sive fœminam. Et licet etiam Tatianus, quod de illo Clemens Alexandr. refert 3. Strom. f. 461. monogamiam permiserit *Ἄφ' αὐτοδοκίαν, καὶ τὴν ἑὸν κνδεμονίαν, εἰς τὸ βοηθῆς ἐδόθη ἡ γυνή,* propter liberorum procreationem, & domus curam gerendam, ad quam data est mulier adjuatrix; addidit tamen, eum tamen qui talem duxerit, non implere perfectionem Evangelicam. Crassius Encratitæ nuptias, scriptore Epiphanio hæres. 47. Satanae tribuunt. Etiam, rursus explicante Augustino l.c. carnibus non vescuntur, easq; omnes abominantur. *Πᾶσαν ἀπὸ τροφῆς ἐμψυχοφάγαν,* ab animatorum omnium usu abstinendum esse sentiunt Encratitæ, ait Epiphanius in Synops. t. I. l. 2. f. 396. Add. hæres. 47. quod tamen Montanistæ non fecerunt, licet eos de radice Tatiani crescere affirmaverit Hieronymus in Agg. c. 1. Conf. Dallæus de jejun. & quadr. l. 2. c. 2. Ita vero fieri amat, si suis imaginationibus indulgentes mortales pro sua phantasia, plus minusve delirante, extra DEI verbum sibi quandam fingunt pietatem, atque formant Helenam, quæ illorum oculis placet. Apud alios, Severianos sc. Valesios, Apostolicos, alia imaginariæ pietatis capita fuerunt recepta, desumpta ex scriptis adulterinis, v. c. Actibus Andrea, Thomæ, &c. ceu ex Clemente Alexandrino, Epiphanio &c. constat.

§. 22.

§. 22. Superiorum temporum Pietastri Fanatici, similis inconstantiae & dissensus, non in capitibus fidei tantum, sed etiam in articulis pietatis, quam præ se ferebant, specimen dederunt. Anabaptistas sub specie majoris Pietatis grassatos multis ab initio imposuisse, ex historia Anabaptistica constat. In l. cui *Restitutionis* titulus præscriptus est, inter alia nugantur, *in Anabaptistarum Ecclesia nullum impium inveniri: omnes sanctos esse.* In complures vero uti findebantur sectas, ita variabant fanatici quoque quoad τὰ πρῶτα. Dissenserunt enim non solum tempore primæ Periodi Anabaptisticæ à Monasteriensibus & Batenburgicis Ubbonitæ, seu Mennonitæ, de quo inter alios D. *Hoornbeck*. Sum. Contr. l. 5. p. 352. sed ipsi Mennonitæ etiam atroci inter se dissensu super doctrina de *disciplina Ecclesiastica*, quæ ab aliis non absque scandalo justo rigidius exercetur, laborant, de quo *Hoornbeck*, l. c. p. 355. sq. Dn. *Benthem*. de Stat. Eccles. in Holland. c. 19. §. 8. p. 829. comendantur licet ab hoc etiam ob *humilitatem, ἀντάφραξιν, temperantiam, & beneficentiam erga pauperes insignem.* Et quamvis hodie à seditiosa majorum doctrina recesserint, acta tamen istorum temporum fati explicant, quomodo seditiosi isti omnibus suis furoribus pietatis speciem prætenderint; mereturque hoc nomine legi etiam recens *Autor Speciminis Historiæ Anabaptisticæ.* De cætero à laudato Dn. *Benthem*. l. c. c. 18. §. 3. p. 825. memorabili hoc caractere notantur, daß sie allesamt in der Lehre von der Tauffe der Erwachsenen überein kommen/ da sie in übrigen Stücken ein Babel machen. Similiter in Anglia *sectarij*, qui sub *Independentium* nomine, prævalente Parlamento contra Regem, & tyrannidem exercente Cromvvello, Ecclesiam Anglicanam vexarunt, professi sunt, *Hornio* in Hist. Eccles. p. 270. memorante, *scepticismū cum mutabilitate in opinionibus, & se pios, bene affectos & sanctos vocare soliti sunt.* Quam vere, ostendit *Thomas Edoard* in *Gangræna*; in qua ostenditur, quam mire novæ hujus lucis homines, etiam quoad capita pietatis, non fidei tantum, inter se dissentiant. Imo quicquid errorum, & heresium ista tempestate in Anglia fuit, id omne *Hornius* l. c. p. 333. ait à *sectariis* titulo novi luminis, *mysteriorum, evulgari*, cui rectius elogium ignis fatui competit.

§. 23.

§. 23. Idem *dissensus* quoad capita *Pietatis in hodiernis Controversiis Pietisticis*, & non nisi *Babel* observatur, cum non solum non omnes idem statuunt, sed alii aliis rigidiores, imo superstitioniosiores sint, quoad adiaphora inprimis, quæ ad vitam externam pertinent; alii etiam ex majoris perfectionis studio indies superstitioniosiores reddantur, ita ut improbent mox id, quod aliquando probarunt. Sane sicut hodierni circa *Pietatem*, & ejus exercitia novatores in multis inter se dissident, ita *Chilias*ti qui sunt ex illis non placent diversæ cantiones, in nostris receptæ Ecclesiis, v.c. *Es ist gewißlich an der Zeit. Item: Gott hat das Evangelium.* Hinc novissime, mense Januario 1705. detecti apud nos *Pietistæ*, eo audaciæ provec̃ti sunt, ut peculiarem libellum cantionum, sub pietatis prætextu, & ex *Separatismi* studio, fallaciter inprimi curarent, quem cum inter suos, tum inter alios, quibus pietatis larva imponere voluerant, distribuerunt, edituri eundem cum auctario, nisi impia consilia DEUS manifestasset. Licet vero non omnes idem statuunt; si verbis illorum, quibus de dissensu testantur, fides tuto habenda, id quod tamé sine formidine oppositi fieri non debet; & fidei unitas inter illos non detur, omnes tamen *Pietatem*, ejusque studium in ore habent, id quod ad societatem *Philadelphicam* apud illos conservandam satis. Diversa sunt hujus sectæ capita, cauda non nisi una, *Pietas* nimirum prætensa. Interim boni ordinis ergo, considerantes lapsum *Tertulliani*, ejusque initia, profectus, & consummationem, distinguimus *Pietastros* in *incipientes*, *Proficientes*, & *consummatos*, seu *perfectos*. De plurimis tamen, *Proficientibus* inprimis, & *Perfectis*, verum est quod *Maresius* in *dedic. Chiliasm. enerv. p. 3.* peculiariter de *Chilias*ti monuit, quod sc. hujus generis homines infatuati in *nosocomio incurabili* decumbant. Locum etiam hic habet illud *Epiphani*j hæres. 47. de *Encratitis*, seculi II. *Pietastris*, quorum surculum *Montanistas* esse non abs re dicitur, cum ait: *Ἐξω μὲν τῆ ἀληθείας ὄντες, μόρφωσιν ἢ μάλλον κεκτημένοι, τὰ ἢ δύναμιν αὐτῆς τῆ ὁσιείας ἠρημένοι, quod cum à veritate longius absint, nihil præter e mentitam illius speciem ostentent, vim ipsam sinceræ pietatis abnegantes.*



DISP. VII. ET ULTIMA
DE
LAPSU TERTULLIANI

Ad
MONTANISTAS.

ARTICULUS III.
DE
TERTULLIANISTIS,

ad August. l. de hares. c. 86.

§. I.



Tertullianista dicti sunt ita à

nostro *Q. Septim. Flor. Tertulliano*, cujus ad Montanistas, Fanaticos, lapsum hactenus consideravimus. Fovit enim ille non solum Montanistarum, quos supra notavimus, errores Pietisticos; sed & circa alia non recte statuendo, vel de iis non recte, nec cum Ecclesia lo-

quendo, aliis errandi occasio fuit, qui exinde ceu erroneorum dogmatum *Tertulliani* sectatores, ejusdemque nævorum propugnatores, dicti sunt *Tertullianista*, non abnuente *B. Augustino* l. de hares. c. 86.

§. 2. Sufficit hæc *B. Præsulis Hipponensis* autoritas ad affirmandum, fuisse aliquando *Tertullianistarum* sectam, licet ejus apud veteres scriptores rarior occurrat mentio, cum & primis Græcis incognita fuerit, *Epiphanius* etiam, quem invito *Arnoldo*, Hæresiologo Patribus parum æquo in *Hæresiol. Josephus Scaliger* πείσης τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἀρχαιολογίας τιμῆιον, *universæ antiquitatis Ecclesiastica promtuarium*, probante *Casaubon. Epist. Mart.*

A

Mart.

Mart. præfix. appellare non dubitavit, in prolixo de hæresibus opere ejus non meminerit. Id quod inde factum videtur, quod in Africæ angulo, Carthagine nimirum potissimum, viguisse, nec in Asiam usque se extendisse credere liceat. Testatur hinc *Baron. Annal. t. 2. ad Ann. Chr. 216. n. 18. quid post lapsum ad Caraphryges Tertullianus egerit, nullam extrare memoriam, præter id quod apud Augustinum l. c. legitur, qui diu Carthagine vixit literarum elegantiorum cum discendarum, tum tradendarum gratia, vel aliis ex causis, explicante Dupino in Nouvell. Bibliotheq. des Auteurs Ecclesiast. t. 3. p. 158. sq. quæ sedes horum sectariorum præcipua fuit. De illis ad QuodvultDEUM idem sic scripsit: Tertullianistæ à Tertulliano usq; ad nostrum tempus paulatim deficientes, in extremis reliquiis durare potuerunt in urbe Carthaginensi. Errores etiam horum quod minus turbarum in Ecclesia fecerint, toleratique videri potuerint omissa censura rigidiori, alias contra hæreticos adhiberi solita, inde factum credere liceat, cum quod benigniorem partim admiserint interpretationem, ceu Augustinus l. c. hoc nomine Tertullianum ab hæresi absolvit, de quo deinde; tum quod ob eruditionem, & merita in Ecclesiam, passim majoris fuerit habitus, ab ipso etiam Cypriano Magistri elogio, Hieronymo de script. Eccles. in Tertull. notante ornatus, quam ut ob nævos nonnullos, & opiniones incommodas, nec satis intellectas, vir omnium Ecclesiarum ore celebratus, ut de illo Eusebius in Chron. ad Ann. 208. loquitur, ceu hæreticus penitus rejiceretur. De eo sane non dubitandum videtur, quod ob Fanatismum, & lapsum ad Montanistas pejus audiverit, quam ob errores peculiare, quos alii illius asseclæ, qui Tertullianistæ hinc audiverunt, postmodum probarunt. Credere etiam liceat, Tertulliani & Tertullianistarum suo tempore similem fere fuisse rationem, quæ superioribus in Ecclesia temporibus fuit Flacj, viri cætera doctissimi, & meritissimi, & Flacianorum. Quicquid vero sit, cum Augustinus l. c. expressis testatur verbis, quod Tertullianus post lapsum ad Montanistas, qui reliquos ejus errores minime probarunt, ab illis etiam postmodum divisus sua conventicula propagaverit; simul & cætus hos qui constituebant Tertullianistas vocatos fuisse significat, à Magistro*

gistro qui in illis docebat, & ejusmodi Collegia Pietatis fucatae & fanaticae instituebat, quae B. Praesul *Conventicula* appellare non dubitavit, ita dictos, ceu certam sectam constituentes.

§. 3. Caeterum fovisse *Tertullianum* errores, à Montanistarum etiam haeresi diversos, ex scriptis ejus perspicue doceri potest. Nil de hoc dicam, quod nimio rigore erga lapsos in libr. de *Pudicit. usus, Pietastorum* more, *Novatianorum errorum materiam suppeditasse* dicitur *Timann. Gesselio Hist. Sacr. & Eccles. N.T.P.I. p. 298.* qui etiam non absurdum judicat, si in *Novatianos Tertullianistas desisse* creditur. Inter errores, certe plane incommodas, nec tolerandas de DEO loquendi formulas, illa merito refertur, quando esse corporeum DEO tribuit. Sic enim loquitur l. advers. Prax. f. m. 409. *Quis negabit DEUM corpus esse, & si DEUS Spiritus est? Spiritus enim corpus sui generis in sua effigie.* Quae posteriora imprimis notanda sunt verba. In loquendo enim potius, quam in credendo *Tertullianum* notandum censet *B. Augustinus*, quod corpus vocavit substantiam. Sic enim B. Praesul. ad *Quodvult. c. 86.* loquitur: *ipsum etiam DEUM corporeum esse dicit Tertullianus, licet non effigiatum. Nec tamen hinc haereticus creditur factus. Posset enim quoquemodo putari, ipsam naturam substantiamque divinam corpus vocare: Non tale corpus, cujus partes aliae majores, aliae minores, valeant, vel debeant cogitari, qualia sunt omnia, quae proprie dicimus corpora: quamvis de anima tale aliquid sentiat: sed potuit, ut dixi, putari, corpus DEUM dicere, quia non est nihil, non est inanitas, non est corporis vel animae qualitas, sed ubique totus, & per locorum spatia nulla partitus, in sua tamen natura atque substantia immutabiliter permanet.* Et sic est. Sic enim ipse *Tertull.* de carn. *Christ. c. 11.* *omne, ait, quod est, corpus est sui generis, nihil est incorporale, nisi quod non est.* *Augustinum*, secuti sunt alii cum *Rhenano*, virum in eloquendo difficilem, minusque comtum, imo multum obscurum, ex *Lactantij critica, l. 5. Inst. c. 4.* benigne explicantes. Et quis credat, *Tertullianum*, ex *Montacutij* judicio, *P. II. Annal. §. 15.* *curiosissimum, & solertissimum omnis doctrinae indagatorem, & usque ad miraculum eruditum, veteris moris & scientissimum & tenacissimum, tam crassum, & non revelatae solum, sed & naturali Theologiae*

contrarium errorem, quem in Audianis *Danaeus* in Comm. ad *August.* l. de hæres. c. 50. *monachica stupiditatis fœtum* appellare non dubitavit, errasse? Certe uti *B. Augustinus* ex æquitate, ut par erat, rem æstimans, quod saniozem nostri mentem quam linguam esse credebat, ab hæresi eum quoad hoc caput absolvere non dubitavit; ita *Epiphanius*, hæres. l. 3. tom. 1. de Audianis agens, eis pepercit, ne dicerentur heretici, ut loquitur l. c. *Augustinus*, ἰσομορφῶν tamen illos accusans, statueret Audæus licet ἀνθρώπινον ἔθεον, καὶ τὰ ἐν σώματι αὐτῶν μέλη, *Deum humana forma esse, & corporis illi membra tribuens*, memorante *Theodoro Fab.* hæres. l. 4. c. 10. Etsi, si hunc erravit errorem, non apparet, qui, quod de Audianis rursus affirmat *Epiphanius* l. c. f. 812. ἰωμερικῶς ὡς ἔχει ἡ καθολικὴ Ἐκκλησία, *cum admiratione, ex Ecclesia Catholica prescripto, de Patre Filio, & Spiritu Sancto statuere potuerit noster.* Merito itaque hic horridiorem *Tertulliani* stylum benignius explicari patimur, modo & alibi, v. c. in l. advers. Prax. c. 9. & 8. ubi de reali Personarum differentia agit, eandem experiatur benignitatem, cum ipsum Trinitatis mysterium exacte asseruerit contra Monarchianos: de quo etiam *Pamelius* in not. ad *Tertull.* l. adv. Prax. c. 8. & 9. ex nostris *B. Dannhau.* in *Christeid.* p. 366. *B. Calovius* in *Confess. Martyr.* §. 50. licet nec hic negatum iverit §. 48. *Tertullianum peculiare dictiones, & multa habuisse propria;* quo tamen non obstante, fidem ejus de SS. Trinitate probavit, & contra *Slichtingij*, petulantis *Sociniani* κωδείων defendit §. 43. sqq. Quid quod *Anonymus Autor Gallicus des Eclairciss. sur l'histoire Ecclesiastiq. des deux prem. siecl.* sect. 6. non solum p. 107. contendat, *Tertullianum idem cum B. Augustino sensisse quoad doctrinam de SS. Trinitate;* sed & eum *Scholasticorum* de venerabili hoc mysterio disciplinæ multum præferat, contendens, p. 78. quod *scriptorum Ecclesiasticorum ante Nicænum Concilium, & sic etiam Tertulliani maniere de parler sur la Trinité, & sur le verbe est même plus pure, plus nette, & moins broüillée, que celle de Scholastiques, & de Theologiens modernes,* in *Andream Martinum* *Orator. Theolog.* Id quod sane non absque ratione dicitur, & ulterius cognosci potest ex illis, quæ
à D. B.

à B. D. Dorscheo nostro hoc nomine cum in *Interv. pro myst. Trin.* atque *Detect. mal. fid. contra Wolfg. Herman. Jes. Spir.* tum in *Anti Corneo* disputantur; quorum ulterior disquisitio hujus loci non est.

§. 4. Cæterum unde Tertullianus hunc de DEO corporeo sive errorem, sive erroneam loquendi formulam, acceperit, num à Melitone Sardensi; num, quod aliis probabilius videtur, Stoicorum stylo seductus ita scripserit, non immerito disquiritur. Sane quod attinet Melitonem Sardensem, virum inter Scriptores Ecclesiasticos, Eusebio præprimis in *Chronic.* ad ann. Chr. 171. & in H. E. l. 4. c. 26. atque Hieronymo in *Catal. Vir. illustr.* celebratum, quem etiam eodem notante, Tertullianus noster magni fecit, dicitur hic Melito inter alia quæ scripsit, autor quoque libri *Ἐν ἑσώματι Θεῶν*. Hoc cum non eodem modo explicatur, de mente Melitonis etiam non idem fuit omnibus relatum. Cum enim de incarnatione DEI id intellexerit Valerius, alii de DEO corporeo id explicare maluerunt, accusantes hinc errorem Melitonis de DEO corpore constante, idem ex Origene, Theodoro, Pico, contra Sixtum Senens. *Biblioth. l. 5.* ostendente Petavio *Theol. dogm. t. 1. l. 2. c. 1. §. 4.* apud Bebel. *Antiq. Eccles. Sec. II. p. 188.* Valerium secutus est Dupin *Bibliotheq. t. I. p. 63.* in Meliton. qui Græca *ἑσώματι Θεῶν*, reddidit *de Dieu incarné*, addens: *d'autres expliquent ce passage autrement, & ont crû qu'il avoit tenu, que Dieu estoit corporel, mais la propre signification du mot Grec est celle, que nous lui avons donnée.* Verum Græcè docti Doctissimo Du Pino id non, certe vix, concedent, quod propria significatio vocabuli *ἑσώματι* hæc sit, ut idem sit quod *incarnatus*: quibus rectius reddi dicitur Latine per τὸ *corporeus, corporatus*; uti apud Ciceron de *Univ. P. 195. b.* *mundus undiq; corporatus esse dicitur.* Et cum *ἀσώματον* & *ἑσώματον* sint contraria, ut *ἀσώματον* significat *incorporeum*, ita *ἑσώματον* recte *corporeum* notare dicitur. Consentit contra Dupinum non minus celebris suo tempore Sorbonicus Theologus Cotelierius, in not. ad Pseudo Clement. *Homil. 17.* in edit. P. P. ævi Apostol. t. I. f. 734. Licet vero hæc vocis *ἑσώματι* acceptio retineatur, B. Theodoretus etiam t. I. opp. f. m. 21. quæst. 20.

in Genes. (non in Exodum, uti non ἀνὸς σφάλλεται, quod corrector non observavit, apud Dupinum l.c. legitur) ex Origene testetur, quod Melito συγγράμμα, commentarios scriptos reliquerit ἐὶ τὸ ἐν σώματι εἶναι τὸ Θεόν, de eo quod DEUS sit corporatus; exinde tamen nondum sequitur, quod ipse Melito ita statuerit, sed, quod etiam B.D. Dorscheus in Pentad. Disp. XIII. §. 19. p. 448. sq. notavit, quod alios ita docentes patefecerit, & confutaverit, ita ut inscriptio libri hæc fuerit: *De DEO corporato: vel de eo quod dicitur DEUM esse corporatum.* Sed cum Origenes, qui librum hunc procul dubio legit, Melitonem iis associet, qui vera membra DEO affingendo imaginem DEI in homine ἐν σώματι, in corpore potius, quam in anima locarunt, aut in medio res relinquenda, aut Melitoni hic error Stoicus, etiam à nobis invitis erit tribuendus. Sane si hoc certum fuerit, quod hunc errorem de corporeo DEO erraverit Melito, etiam Tertullianum hujus autoritate inductum, idem, non obstante benigniori Augustini interpretatione, cum eo statuere non dubitasse, non invitatus fatebor. Laudans enim ejus elegans, & declamatorium ingenium Tertullianus in septem libris, quos scripsit adversus Ecclesiam pro Montano, dicit, eum plerisque nostrum Prophetam putari, explicante Hieronymo Catal. scrip. Eccles. Unde & Gennad l. de Eccles. dogm. c. 4. Melitonem & Tertullianum, ceu ejusdem erroris socios conjungens, nihil, inquit, in Trinitate credamus corporeum, ut vult Melito & Tertullianus.

§. 5. Ante Melitonem, corporatum DEUM, corpusque eundem esse, etiam Stoicorum fuit error, ipso id agnoscente Tertulliano, cum in Apologet. c. 47. ita scripsit: *Alij DEUM incorporalem esse asseverant; alij Corporealem, ut tam Platonici, quam Stoici: Id quod ceu hæcenus vere dictum à Septimio nostro agnoscit Lipsius, Phys. Stoic. l. 1. diff. 8. quatenus Stoici ipsum mundum faciunt DEUM; quo nomine etiam DEO rotundam formam tribuit Seneca Ep. 94. exagitan Epicuræos, qui ἀνθρωπομορφον, h. e. humana forma preditum, dignum sane hoc genere impiorum hominum DEUM, fingeant.* Ut vel hoc nomine digna sit observatio, unde Anthropomorphitarum error, cui etiam Apocrypha Clementin. Homil. 17. à Corelerio edita favent, originem

ginem duxerit, nimirum ex cæno Epicuræorum. Sic enim *Plutarch.* de Placitis Philos. l. 1. c. 7. t. 2. opp. f. m. 882. *Epicurus* ἀνθρωποειδῆς μὲν πάντας οὖτ θεῶς, λόγῳ ἢ πάντας τέττας θεωρητικῶς, omnibus Diis humanam formam tribuit, solaq; eos ait cerni ratione. Cæterum Stoicorum de corporeo DEO disciplinam quod attinet, idem *Plutarch.* l. c. 6. illos τὴν ἑ θεῶν εἶσιν, DEI naturam sic definire ait, nimirum quod sit πνεῦμα νοερόν καὶ πυρῶδες, ὅτι ἔχων μὲν μορφῶν, μεταβάλλον ἢ εἰς ἄ βέλεται, καὶ σιμωξομοιῶμενον πᾶσιν, Spiritus intelligentia præditus, igneus, formæ expers, & in quam velit speciem se mutans, ac rebus quibusvis assimilans. Inter Stoicos hos etiam *Posidonium* fuisse usum iisdem fere verbis, ex *Stobæo* doceri potest. Rem ipsam autem quod attinet, si DEUS igneæ substantiæ esse dicitur, hoc ipso corpus esse statuitur; idque subtilissimum, & non nisi mente apprehendendum; quo nomine etiam Spiritus audivit, quod ad esse spirituale, quantum concipere liceat, proxime accederet. Unde cum *Plato* apud *Justinum Martyrem* in Cohortat. ad Græcos f. m. 6. ἐν τῇ πυρῶδῃ εἶσιν θεὸν εἶναι, ignea substantia DEUM esse statuisse dicatur, & *Platonicos* & *Stoicos* DEUM esse corporalem asseverasse, dixit *Tertullianus*. Stoicorum etiam grandiloquentia, & austera tristitia, cum ejusdem ingenio, & aspero sermonis stylo responderet, placuisse etiam viro πολυμαθεσῆτα, & quod *Dallai* de eo est iudicium l. de jej. & *Quadr.* p. 246. in causis agendis callidissimo, cum iisdem DEUM appellare corpus, non abs re inferre licet.

§. 6. Cæterum etsi mens *Tertulliani* minus mala fuerit: Cum enim, ut *August.* l. 10. de Genes. ad lit. c. 25. etiam observavit, quodam loco dixerit: Esse corporale passibile est, non arbitror cum B. Præsule, eum ita desipuisse, ut etiam DEI naturam passibilem crederet: incommode tamen de DEO locutus est, ita ut impia hæresis sub formula ista, quasi DEUS corpus habeat, latere potuerit. Si enim corporeus statuitur DEUS, non solum summa DEI simplicitas & immutabilitas violatur; sed & substantialis ejus infinitas, & immensitas labefactatur; id quod vere est hæreticum. Evertitur quippe hoc dogmate id, quo non posito, fundamentum fidei consistere nescit. DEUM enim in
ido-

idolum mutat dogma hoc, & hominem in DEUM corporeum credentem, æque idololatram facit, atque dogma de DEO monypostato id facit, de quo B. Calov, in Epimetr. contra Calixt. in Syncret. Cal. p. 357. sq. quod idololatra habendi, non creatura solum cultum exhibentes divinum, sed etiam DEI essentiam sibi fingentes aliam, quam revelata est. ib. p. 366. A B. Nicolao Hunn. in Diasceps. §. 267. 284. dogma quod DEUS sit Spiritus, refertur inter necessario presupposita fidei.

§. 7. Tolerandum hinc in Ecclesia cum simpliciter non sit dogma de DEO corporeo, etiam in nemine tolerari debet formula, quod DEUS sit Corpus, quæ ceu hæretica ex Ecclesia proscribenda est; cum orthodoxos cum Ecclesia matre non solum pie sentire, & credere, sed & loqui deceat. Nec est quod controversiam hanc tandem in λογομαχίαν desinere nugentur. Nam non solum scandalosa, non necessaria, & periculosa, sed & impia, & proin simpliciter illicita est assertio; nec ejusmodi vocabulorum extensio, qua quidvis quod vis dici potest, citra confusionem Babelicam introducitur. Unde cum, qui nimio Tertulliani amore ebrii olim erant, non solum hæretica sonantem phrasin de DEO corporeo usurparint contra ἑπιτόπωσιν τῶν ὑγιαίνοντων λόγων pertinaciter, sed etiam ipsum dogma crassius, quam ipse Tertullianus admiserint, uti superioribus temporibus crassius Flacianos Flacio statuisse constat, ob pertinaciam suam, cum ad B. Augustini usque tempora secta ita loquentium durarit, ut Catalogo hæreticorum insererentur, sunt meriti. Recte etiam Conradus Vorstius, insignis novator, & Neo Tertullianista, notatus fuit superiori seculo, quod in not. ad disp. 3. de DEO & attrib. asserere non dubitavit, si vocabulum corporis in latiori significatione sumimus, nil vetare, DEO etiam corpus adscribere, ita se Tertullianum excusare posse existimans; nec observans, non tolerandam ob rerum & specierum diversitatem confusionem à se introduci: de quo B. Gerhard. in Exeges. Loc. II. §. 115. Dorsch. in Pentad. disp. 13. §. 20. p. 449. Non sic Augustinus excusandum putavit Tertullianum, ut ipsam phrasin non improbaret.

§. 8. Errabant II. Magistri disciplinam secuti etiam *Tertullianistæ* quoad doctrinam de *Angelis & Spiritibus*, quos plane *ἀσώματα* esse negatum ibant. Dubitare quidem de eo non dubitat *Pamelius* in *Paradox. Tertull. 2.* an senserit is, *corporeos esse angelos & demonas*, imo in illorum inclinatur sententiam, qui *incorporeos* faciunt, eo potissimum motus, quod in *Apolog. c. 22.* & *l. de carn. Chr. 6.* eos *substantias spirituales* faciat. Negari etiam nequit, quod *B. Augustin.* in *l. de hæresibus c. 86.* alios licet errores *Tertullianistis*, & *Tertulliano* tribuat, de hoc tamen taceat; faciat quanquam ejusdem in *Coment. ad l. c.* mentionem *Daneus p. 369.* Sed de eo nos non dubitare sinunt verba, quando in *l. advers. Prax. c. 7. f. 409.* edit. *Rhen. invisibilia quæcumq; sunt habere apud Deum contendit & suum corpus, & suam formam, per quæ soli DEO visibilia sunt.* Verbis sane his *Tertullianus* aperte esse aliquod corporeum angelis adscribit, quod & qualecunque etiam fuerit. Nec secundum eundem *τὸ esse spiritum* omne negat esse corporeum, cum expresse *l. advers. Prax. l. c. spiritum esse Deum* dicat, eique attribuat *corpus sui generis.* *Quis, inquit, negabit Deum corpus esse, etsi DEUS spiritus est? spiritus enim corpus sui generis in sua effigie.* Corpus ergo esse, & esse substantiam spirituales, gratis *Pamelius* sibi invicem opponit, unumque per alterum tolli contendit, cum secundum disciplinam *Tertulliani* non sint opposita, sed subordinata. Non esse corporeum simpliciter, cum *natura substantia spiritualis* stare posse is negat. Sic enim rursus noster *Afer* satis perspicue in *l. de Carn. Christ. c. 6. f. 26.* seipsum explicat: *Constat, inquit, angelos carnem non propriam gestasse, ut puta nature substantia spiritualis, & si corporis alicujus, sui tamen generis. Quando vero in carnem humanam transfigurabiles ad tempus eos fuisse dicit, ut videri & congregari, h. e. conversari, cum hominibus possent, non de conversione substantiæ angelicæ in humanam, sed de humani corporis ad certas edendas functiones applicatione loqui illum, censendum. Non vero privata hæc est, fuitque Tertulliani opinio, ceu quæ & aliorum Patrum jam ante fuerat, & postea quoque fuit; ipsius etiam Augustini, de quo Ludovic. Vives super Augustin. de Civit. DEI, id quod prolixè docere hujus loci non est. Acceperunt autem hunc errorem à Platonicis partim, quorum doctor Plato in Conviv. f. 327. mediam, quæ tenuissi-*

B

nuissi-

nuiffimæ & non nifi mente conceptibilis fit materiæ, illis *naturam inter DEUM & homines tribuit*; partim à Stoicis: Illis aëreum, his igneum corpus iisdem adfcribentibus. Hic vero error, quod angeli habent corpora, licet fui generis, peperit errorem de generatione Diabolorum; quem, ceu in fequenti notabitur §. etiam nostri foverunt Tertullianiftæ, certè illorum magifter, de quo in l. de habit. mulier. f. 505. fq.

§. 9. Refertur III. inter *Tertullianiftarum* errores etiam *Dæmonum generatio*, propter verba Tertulliani, quæ in Apologet. c. 22. leguntur. Sic enim *Magdeburgenfes* Cent. III. c. 4. inclinationem doctrinæ hoc feculo factam explicantes, loquuntur: *De Diabolorum generatione Tertullianus in Apologetico loqui videtur: Quomodo de Angelis quibusdam fua fponde corruptis, corruptior gens dæmonum evafert, damnata à DEO cum generis autoribus, & cum eo quem diximus principe, apud facras literas ordine cognofcitur.* Verum uti ex homine non corrupto evadere corruptus potest per mutationem ejufdem fuppositi moralem, fine generatione aliqua phyfica; ita nil impedit, quo minus hæc verba Tertulliani etiam de mutatione aliqua morali, & degeneratione bonorum angelorum in malos, non vero neceffario de phyfica malorum angelorum generatione intelligamus. Aft cum Tertullianiftæ etiam *fuo modo* corpus tribuerint Angelis, *vaporata itidem libidinum momenta*; non fine ratione verba *Seprimij*, cum ait, quod de quibusdam Angelis, *fua fponde corruptis, gens dæmonum evafert corrupta*, de Diabolorum generatione, quam crediderit, accipiuntur.

§. 10. Explicatur nimirum, & explicari debet locus Tertulliani, qui legitur in Apologet. c. 22. ex loco qui legitur in libr. de habit. Mulierum c. 2. quo *Angeli*, inquit, *ad filias hominum ruerunt de cælo, &c. qui ne fordidi, & per gratuitum ufum contumeliofi amatores viderentur, fi nihil fæminis in connubium allectis contuliffent, pro mercede libidinis mundum muliebre qua ratione conficerent, etiam illis monstrarunt.* Conf. l. de cult. fæm. c. 10. **Ad dit:** *Eofdem angelos interdum cogitantes, unde cecidiffent poft libidinum vaporata momenta, cælum fufpiraffe.* In l. de Idolol. c. 9. ita loquitur: *Unum propono, Angelos effe illos defertores DEI, amatores fæmi-*

foeminarum, proditores curiositatis Astrologicae. Incidit in hæc deliria noster, cum ob Pseudhermeniam loci, qui extat Gen. 6. v. 2. tum plus justo indulgens Philosophiæ Platonicae & Stoicæ; deceptus denique aliorum magnorum in Ecclesia doctorum iudicio. Locum Genes. 6. v. 2. quod attinet, ille sic habet: וַיִּרְאוּ בְנֵי הָאֱלֹהִים אֲרָת בְּנוֹת הָאָדָם כִּי טֹבֹת הֵנָּה וַיִּקְחוּ לָהֶן נָשִׁים
 h.e. ex versione *Sebast. Schmidj*, *ur viderent filij DEI filias hominis quod pulchræ essent, & ducerent sibi uxores.* Hic cum filij DEI sint homines pii, ex Sethi sanguine prognati, licet seducti, & à majorum pietate delapsi: filiae hominis autem mulieres impiæ, impiorum & idololatricorum patrum, stirpis Cainiticae potissimum, de quo ex nostris *B. D. Sebast. Schmid.* in annot. ad h.l. *Varen.* in Decad. Mosaic. Genes. p. 422. sq. ex Pontificiis *Augustin. Torniel.* Annal. V. T. f. 79. Versio Græca LXX. vetus, cui Patres priorum post natum Christum seculorum multum tribuebant, verba בְנֵי הָאֱלֹהִים vertit οἱ ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ; sicut & versio Itala, ex Græco facta, qua Ecclesia Occidentis ante Hieronymi tempora fuit usa, quam & *Augustinus* cæteris anteponendam esse censuit, ceu verborum tenaciorem cum perspicuitate sententiæ, de qua vide, quæ nuper scripsit *Johannes Martianay*, Presbyter *Benedictinus* Parisiensis, editor Italae versionis Evangelij secundum *Mattheum*. Non enim aliunde, quam ex ista versione habuerunt Patres, quod isti בְנֵי הָאֱלֹהִים fuerint ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ. Cum quibus sentiens *Tertullianus*, qui & ipse quoque istam versionem magni fecerat, ceu ex *Apologet.* c. 18. constat, etiam de *Angelis* Mosen intellexit. Hujus à se circa explicationem hujus loci commissæ Pseudhermenia, & inde in quod incidit exorti delirii portentosi, ipse *Tertullianus* etiam mentionem fecit in l. de veland. virgin. c. 7. f. 495. Cum angelos legimus, inquit, à DEO & caelo excidisse ob concupiscentiam foeminarum, quis praesumere potest quales angelos, maculata jam corpora, & humanae libidinis reliquias desiderasse, ut non ad virgines potius exarserint, quarum flos etiam humanam libidinem excussat. (Ita rectius *Pamelius*, quam *Rhenanus*, qui legit excusat: quod non admittendum.) Nam & scriptura sic suggerit: Et factum est, inquit, cum cœpissent homines plures fieri super terram, & filiae natae sunt eis. Conspica-

ti autem filij DEI filias hominum, quod pulchrae essent, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerunt.

§. 11. Ne vero, qui angeli generare possint considerans, ceu ineptum rejiceret, incorporeos corporis praestare munia, non solum corpora sui generis angelos & daemones esse statuit, sed & nugis his indulgens ulterius etiam genituram his tribuit, Platoniorum & Stoicorum ineptiis inebriatus, quos eandem Geniis suis adscripsisse constat, secutos Aegyptiorum, Theurgiae quondam Studiosorum disciplinam. Autor enim de illis est Plutarchus in Numa t.1. opp. f.m. 62. quod statuerant, ὡς γυναικὲ μὴ ὅτι ἀδύνατον πνεύμα πλησιάζει Θεῶ, καὶ τινὰς ἐντεκεῖν ἀρχαῖς ἡμέσεως, nihil prohibere, quin halitus DEI appulsus mulieri, principia infundat generationis. Platonis autem, & Tertulliano proin non improbabilem simul etiam Philosophiam explicans idem in Symposiac. l.8. q.1. t.2. Opp. f.718. sq. περὶ τῆς λεγομένης ἐν Θεῶν ἡμέσεως, de his quos Dij genuisse dicuntur, de quo Plato in Cratyl. f.m. 263. ubi de amore Deorum erga mulieres humanas agit; ἔτι ἀπὸ σπέρματος, non seminis emissione id fieri ait, sed quod alia quadam vi materiae principium genitabile, quod afficiat & mutet eam, inserat Deus generans. Probat autem hanc & Platonis & Aegyptiorum Philosophiam, nec rejicit eandem Cheronensis laudatissimus his verbis: Καὶ ἔδεν ὁμοίᾳ δεινὸν, εἰ μὴ πλησιάζων ὁ Θεός, ὡσπερ ἀνθρώπων, ἀλλὰ ἐτέροις πρὸν ἀφ᾽ αἰσ δι' ἐτέρων καὶ ψαύσει τρέπτ, καὶ ὑποπίμπλησι ἡστέρας γονῆς τὸ θνητὸν, neq; existimo absurdum esse, DEUM non humano more coeuntem, sed aliis quibusdam ansis per alias res contactibusq; mulierem mortalem divino implere semine. Non incognita fuit haec disciplina Tertulliano, quam etiam ad seducendum illum, non parum valuisse, & ad inhærendum erroneae sententiae de angelis corporeis, & illorum generatione, eundem multum movisse, non immerito censetur; cum & illius principiis responderit, illiusque erroneam disciplinam, quantum licuit, illustraverit; qui & in hominis generatione animae quadam, ceu corporeae, distillationem statuit, in l. de an. c.27. de quo infra. De caetero, quid de ipso dogmate habendum, vid. apud Torniiell. l.c. f.77.

§. 12. Denique pro se habuit *Tertullianus*, quantum ad errorem hunc attinet, consensum Patrum doctissimorum, ita ut *Tertullianista* ad doctissimos quosque Patres, & doctores Ecclesiæ provocare potuerint. Sic enim, seu amore, sive autoritate Platonis, quem etiam de amore Deorum erga mulieres humanas nugatum esse constat, seductus *Justinus Martyr* gloriosus, in Apol. I. f. 44. fingit ex Scripturæ sacre loco perverse intellecto, quod οἱ ἀγγελοὶ ὡρῶσαντες τινὲς τινὲ τὰξιν γυναικῶν μίξεσιν ἠτήθησαν, καὶ παῖδας ἐτέκνωσαν, οἱ εἰσιν οἱ καλέμενοι δαίμονες, *angeli divinam ordinationem transgressi, cum mulierum concubitus causa amoribus sunt victi, tum filios procrearunt eos, qui Dæmones sunt dicti.* Idem error *Athenagora* Platonizantis fuit, ex eodem Gen. 6. loco perverse intellecto & applicato, statuentis in Legat. pro Christian. p. 226. sqq. edit. *Rechenberg.* Angelos ordinem & principium nature contumeliose tractantes, & εἰς ὄπιθιμίαν πεσόντας παρθένων, καὶ ἠτις σαρκὸς ἐρεθίστας, virginum amore captos, atq; imbecillitate carnis victos; ex quo concubitu οἱ καλέμενοι ἐγγυνηθῶσι γίγαντες, nati sunt ἢ, qui vocantur Gigantes, quorum animas malos Dæmones esse credidit. Sic enim nonnullis interjectis rursus p. 230. loquitur: Αἱ τῶν γιγάντων ψυχαὶ, οἱ περὶ τὸν κόσμον εἰσὶ πλανώμενοι δαίμονες, *gigantum animæ ἢ dæmones sunt, qui circum mundum oberrant, studium his nocendi tribuit pro ea constitutione quam acceperunt.* Vid. Dn. D. *Rechenberg.* not. h. l. *Athenagora* disciplinæ addo *Tatiani* Assyrii Philosophiam, qua *Tertulliani* & *Tertullianistarum* placitum de generatione dæmonum non parum illustratur. Sic vero ille in Orat. contr. Græc. f. 151. Ὅμως ἢ ἐν καὶ οἱ δαίμονες, (ἐς ὑμᾶς ἔτε φατέ) σύμπηξιν ἐξ ὕλης λαβόντες, κτησιμέθυσιτε πνεῦμα τὸ ὑπὸ αὐτῆς ἄσωτοι καὶ λίχνοι γέγονασιν, οἱ μὲν πνευ ἀυτῶν ὅτι τὸ καλύτερον τρεπέντες, οἱ ἢ τῶ ὕλης ὅπιλεξάμενοι τὸ ἐλαίτον, καὶ τὸ ὅμοιον αὐτῆ πολιδόμενοι, *quin etiam Dæmones, ut vos vocatis, ex materia concretæ, & spiritu ex ea sumto luxuriosi & delicati evaserunt, alij quidem ex illis ad puriorem vitam conversi, alij vero vilioris materia ratione assumta, & pro ejus modo agentes.* Alibi, quæ de Dæmonibus ex materia concretis asseruit, idem sic explicavit f. 154. δαίμονες ἢ πάντες σαρκίον μὲν ἐκἐκτίωται, πνεύματικὴ ἢ ἐσιν αὐτοῖς ἢ σύμπηξις ὡς πυρὸς, ὡς ἀέρος,

demonēs omnes, non carnea, sed spiritali concreione constant, qualis est ignis & aëris. Eandem cum filiabus hominum commixtionem Angelorum transgressorum etiam statuit Irenæus contr. hæres. l. 4. c. 70. Proinde non est cur miremur, etiam Tertullianum communem errasse errorem, cum & *συγγεγόνας*, v. c. Clemensi Alexandrino is non displiceret, qui de eadem Angelorum erga mulieres incontinentia egit in Pædag. l. 3. c. 2. sub fin. Stromat. l. 3. f. 450. & l. 5. f. 550. & compluribus aliis post Tertulliani tempora; cum & inter Græcos & Latinos fuerint, usque ad Augustini tempora, imo ulterius, qui errori huic patrocinaerentur. Inter Tertullianistas autem, & qui quoad hoc dogma cum Tertulliano potius, quam cum aliis consensisse creduntur, merito refertur Cyprianus, Carthaginiensis, in qua urbe etiam Tertullianista, Augustino de hæres. c. 86. memorante, sedem habuerunt, cujusque Ecclesiæ fuit Episcopus, Tertulliani amore ita captus, ut Magistri elogio eum prosequi non dubitaret. In libro enim de habit. virg. in quo complura imitatus est, quæ in Tertulliano etiam leguntur, f. m. 157. eadem quæ de mundo muliebri iste l. de habit. mul. c. 2. & de cult. fœmin. c. 10. docuit, inculcans, Magistriq; sui disciplinã secutus, *omnia*, ait, quæ ad mundum istum sc. pertinent, & à glorioso martyre exposita fuerunt, *peccatores & Apostatæ angeli suis artibus prodiderunt, quando ad terrena contagia devoluti, à cœlesti vigore recesserunt.* Expressius hoc explicans in l. de singul. cleric. f. 402. *novimus*, inquit, *& angelos cum fœminis cecidisse.* Ne de aliis dicam, ubi Cyprianus Tertullianizare visus fuit. vid. Dannhau. ex Chemnit. Exam. Concil. Trid. P. 1. in Christeid. p. 393.

§. 13. Error Tertullianistarum IV. est de anima, quod sit Corporea. Sic enim Augustinus in l. de hæres. c. 86. Tertullianus, sicut scripta ejus indicant, animam dicit immortalem, sed eam effigiatum corpus esse contendit. Nonnullis interjectis, quomodo hoc intelligat Tertullianus explicaturus Præsul, negat tale DEUM esse corpus, cujus partes aliæ majores, aliæ minores, ex ejus mente; quamvis de anima tale aliquid sentiat. Prolixius hæc explicat in lib. de anima. Tria hic ad mentem Tertullianistarum notat Augustinus. 1. quod anima sit immortalis. 2. quod sit corporea. 3. quod

3. quod sit *effigiata*. Recte primum asseritur. Id ut ex animæ testimonio probabiliter scivit *Tertullian.* vid. l. ejus de Anim. testim. f. 637. ita ex scripturis certissime credidit. vid. *Hulsem.* Brev. c. 16. §. 1. non abnuente nostro, ut patet ex l. de anim. c. 6. *non omnium, sed Christianorum esse immortalitatem animæ credere,* dicitans. Sane si cum Stoicis, quos alias lubens etiam in hac de anima quæstione sequitur, ei statuendum fuisset, *mortales* animas potius esse cum *Zenone & Seneca,* quam *immortales* dixisset, vel certe cum *Seneca,* prout hic non idem fuit, dubitasset, cum *Platonis* de anima Philosophiam non adeo magni æstimaret, l. de anim. c. 9, 23, sq. Alterum vero quod attinet, satis crasse Philosophatur in l. de Resurrect. c. 17. *nos,* inquit, *animam corporalem & hic profitemur, & suo volumine probamus, habentem proprium genus substantiæ, soliditatis, per quam quid & sentire & pati possit.* Rursus: *Quæ habet corpulentiam propriam, de suo sufficit ad facultatem passionis & sensus.* Remittit vero ad l. de anima, in quo ex instituto de substantia animæ, & an corporalis? disquisivit, Philosophos & Medicos, ipsam denique Theologiam & Scripturam sacram in subsidium vocans; laudans etiam hoc nomine *Soranum* quendam, *methodicæ medicinæ instructissimum auctorem,* c. 6. hominem gentilem, quod plenissime super animam commentatus quatuor voluminibus, & cum omnibus Philosophorum sententiis expertus, corporalem animæ substantiam vindicavit, etsi illam immortalitate fraudavit. Cæterum ex discursu satis prolixo per aliquot cap. continuato, c. 5. sc. 6. 7. sqq. potissimum cap. ix. evidenter cognoscitur, quod animæ sensu plane diverso esse corporeum tribuat, quam DEO. Corpus nimirum vere & propriè tale, *propriæ licet qualitatis, & sui generis;* l. de anim. c. 9. f. 645. §. adv. Marc. c. 15. etsi non carneum, præ subtilitate ita tenue, ut de fide corporalitatis periclitetur l. de anim. c. 9. invisibile. l. de carn. Christ. c. 11. de Anim. c. 14. 15. non inconstanter professus, solenniora quæq; & omnimodo debita corpulentia, adesse animæ quoq; ut habitum, ut terminum, ut illud trifariam distantium, longitudinem dico, & latitudinem, & sublimitatem, quibus metantur corpora Philosophi. in l. de Anim. c. 9. Proinde licet non repugnet Spiritum dici animam, quod nimirum in corpore carneo spiret,

spiret, proprie tamen spiritum esse pernegat, in l. de anim. c. 11. ubi hæc leguntur verba: *Sed ut animam spiritum dicam, presentis questionis ratio compellit, quia spirare alii substantiæ adscribitur: hoc dum animæ vindicamus, quam uniformem & simplicem agnoscimus, spiritum necesse est certa conditione dicamus: non status nomine, sed actus, nec substantiæ titulo, sed operæ, quia spirat, non quia spiritus proprie est.* Unde cum ex Tertulliani mente tenuitate potius corporis, quam substantiæ immaterialitate spirituali anima sit spiritus, mirum non est, eum de animæ semine, & semine etiam animali, in l. de anim. c. 27. esse locutum, nec dubitasse definire, quid ex corporali substantiæ, & quid ex animali in semen totius hominis despumet, ex animæ destillatione, & corporis defacatione. Præterea quam crasse corpoream statuerit idem animam, exinde etiam cognoscitur, quod illam tertio dixerit esse effigiatam, quo corpulentiam animæ diversam esse doceret à corpore, quod DEO tribuit, etiam Augustino de hæres. l. c. observatum. Effigiatum itaque corpus quod ad Tertulliani mentem anima sit, non solum ex Tertullianæ animæ definitione patet in l. de anim. c. 22. f. 658. & disputatione in seq. c. 24. contra Platonem, qui ineffigabilem illam esse docuerat; sed & in c. 9. ejusdem l. de Anim. Autor confidenter ita scripsit, f. 645. *Quid quod nunc & effigiem animæ damus, Platone nolente.* Et nonnullis interjectis fanaticæ Montanizans pergit: *Sed nos quoque corporales illi inscribimus lineas, non tantum ex fiducia corporalitatis per estimationem, verum & ex constantia gratiæ per revelationem;* provocans ad visionem mulieris cujusdam furore Enthusiastico correptæ, quæ ostensa mihi est anima, dixerat, *corporaliter, & spiritus videbatur, sed non inanis & vacua qualitatibus, imo quæ etiam teneri repromitteret tenera & lucida, & ætherii coloris, & forma per omnia humana.* Quæ de effigie animæ notaverat, quod humana ea sit, paulo post sic illustravit: *Effigiem de sensu jam tuo concipe, non aliam animæ humane deputandam præter humanam, & quidem ejus corporis, quod unaquæque circumtulit.* Non contemnenda est Lipsii Physiol. Stoic. l. 3. c. 13. observatio: *Nota, inquit, circumtulit: Ergo & post mortem talis.* Recte: nam non de circumferente anima tantum, sed & de ea, quæ corpus circumtulit, loquitur Septimius. Reddit hujus

hujus rei rationem desumptam ab insufflatione, qua DEUS animam corpori Adami inspirasse dicitur Gen. 2, 7. qua spiritum & flatum inspiratum densatum, & omni intus linea expressum esse deliravit. Locus ita habet in l. de anim. l. c. *Recogita enim, cum DEUS flasset in faciem hominis flatum vitæ, & factus esset homo in animam vivam, totum utiq; per faciem statim flatum illum in interiora transmissum, & per universa corporis spatia diffusum, simulq; divina aspiratione densatum, omni intus linea expressum esse, quam densatum impleverat, & velut in forma gelasse. Inde igitur & corpulentia animæ ex densatione solidata est, & effigies expressione formata.* Usque eo verum est, quod vulgo dicitur: Dato uno inconvenienti sequuntur plura. Nescio an Tertullianus etiam crediderit, quod postmodum Eugubinus & Oleastrius somniarunt, formam nimirum humanam hic induisse, atque sic forma humana assumpta apparuisse DEUM, animamq; ex pulmonibus inspirasse. Hoc certe delirium, quo minus cum Tertullianæa flatus divinitus inspirati condensatione, & condensati effigiatione amice componatur, nil obstat. Rectius per ἀνθρωποποιῆσαι DEUS insufflasse animam dicitur, ut natura animæ indicetur, quæ Spiritus est, ut monet etiam B. D. Calov. in Comment. & Bibl. Illustr. contra Grot. h. l. Placet etiam hic, ut alias, B. noster Brentius in Com. super h. l. *Non imaginemur, inquit, hic gestus, aut insufflationes corporales, quales sensu nostro sunt comprehensibiles: sed cogitemus, hæc geri spirituali, sive cœlesti modo.* Non vero ita delirasse satis visum fuit Montanizanti Tertulliano, etiam colorem ei tribuit credulus, deceptus Enthusiasmo cujusdam sororis fanaticæ, cui in ecstasi anima visa fuerat lucida, & αἰρῆς, ut legit Pamelius, vel ut legit Rhenanus, *atherij coloris*; prior licet lectio, coincidat quanquam cum posteriori, præferri mereatur ob verba Tertulliani, cum sic loquitur l. c. *Proinde & coloris proprietas omni corpori adheret, quam igitur alium animæ æstimated colorem, quam aërium ac lucidum? non ut aër sit ipsa substantia ejus.* Sed tali tantoque viro, qualis fuit alias doctissimus hic Afer, indignius, imo & ineptius dici nil potuit, qui fanaticæ cujusdam mulieris phantasmatibus deceptus, de phantasmate, quod animam esse credidit, sine ratione philosophari maluit, merito hoc nomine etiam notatus ab Augustino, qui in l. 10. de Gen.

C

ad

ad lit. in ult. capp. censens *Tertulliani* de anima errores, hoc imprimis improbavit, quod & *coloratam* & *effigiatam* animam esse docuit.

§. 13. Haussit vero errores hos noster ex lacunis Stoicorum, quos ob tristitiam, ingeniique austeritatem, & asperitatem, præ Platone & Platonice æstimavit, suo id expertus exemplo, quod in l. de Præscript. c. 7. de Philosophis, & illorum Philosophia confiteri non erubuit, *hereses sc. à Philosophia subornari*. Erroneæ enim istæ ad mortalitatem animæ per se tendentes, & proin periculosa opiniones, subministratæ illi sunt à Philosophia Stoica potissimum. Et sane complures Philosophos statuisse animam esse corpoream, ipse *Tertullianus* l. de Anim. c. 5. f. 652. notavit, vir Historiæ Philosophicæ scientissimus. Add. c. 9. f. 546. & *Macrob.* I. in somn. Scip. c. 14. Quod præ aliis tamen Stoicos æstimare se quique maluerit, haud obscure significat, quando l. c. c. 5. *etiam Stoicos*, inquit, *allego, qui spiritum prædicantes animam pene nobiscum, quæ proxima inter se status & spiritus, tamen corpus animam facile persuadebunt; Zenonis, Cleanthis & Chrysippi argumentis allatis ad probandum, quæ à Platonice subtilitate potius, quam veritate turbari ait*. Dubitare tamen *Seneca* videtur, magni & ille æstimatus à *Tertulliano*, in Ep. 88. & l. 7. c. 24. Vid. etiam locus *Claudian. Manut.* in *Lips. Phys. Stoi.* 3. 13.

§. 14. Male præterea etiam passim audit *Tertullianus*, quod animam ex traduce esse statuerit, spiritumq; traducem appellaverit l. de anim. c. 9. Notat hoc in illo *Augustinus* de hæc. c. 86. in fin. *statum animæ credit per traducem propagari*. Sed hoc recte, & frustra suggillatus à *Pamelio* in *Paradox.* 4. & 6. Ex instituto vero quæstionem hanc tractavit *Tertull.* l. de anim. c. 19. ubi *anima nostra* velut *surculus quidam ex Matrice Adam* in propagationem deducta, & genitalibus fœminæ foveis commendata cum omni sua paratura dicitur. Inprimis tamen cap. 22. seqq. Maxime omnium c. 27. ex quo nonnulla supra sunt adducta; quibus sequentia addimus, cum reliqua apud autorem legi possunt, f. 664. *Cum, ait, in primordio duo diversa atq; divisa, limus & flatus, unum hominem coëgissent, confusæ substantiæ ambæ jam in uno semina quoq; sua miscuerunt, atq; exinde generi propagando formam tradiderunt, ut & nunc duo*

duo licet diversa, etiam unica pariter effluant, pariterq; insinuata sulco & arvo suo, pariter hominem ex utraq; substantia effruticent, in quo rursus semen suum insit secundum genus, sicut omni conditioni genitali præsstitutum est. Sufficiant hæc ad Tertulliani mentem, de origine animæ per traducem, sive propagationem, cognoscendam. Ita vero nemo hodie philosophatus fuerit ex nostris, qui animæ rationalis originem ex divina ordinatione, maris item ac fœminæ coordinatione, ad integram essentiam generationis actu communicandam, ad parentes referimus. Unde licet, ceu eximie explicat *Dorsch.* in *Pentad. Auct. diss. 4. §. 3 1.* statuamus, quod tota natura humana propagetur à parentibus, non hæc, vel ista, vel illa naturæ portio separatim; parentes tamen in generatione non considerandi sunt, ut duo individua distincte, sed ut sunt una caro, sive unum specificum. Neq; anima generatur ex materia, sed cum & in materia; neq; generatur ex nihilo, sed ex homine; neque per translationem alicujus particule ab animabus parentum decerptæ, id enim generationi vel propagationi corporum competit, sed ex illa vi prolifica, quæ toti homini, adeoq; etiam animæ, ex divina benedictione indita est. Vocent itaque dissentientes nos Traduciariorum; injuriam tamen faciunt, cum Tertullianistas nos appellare non verentur, quibus cum hoc modo propagationis humanæ Tertullianæo nihil est commercii, ceu qui in animam partibilem, consequenter materialem & mortalem, à quibus monstris nos abhorremus, cadit. Meliorem licet mentem etiam Tertulliani, quam verba, in re inexplicabili fuisse credere liceat.

§. 15. Alium adhuc errorem Psychologicum Tertulliano & Tertullianistis tribuit l.c. *Augustinus*; nimirum animas hominum pessimas post mortem in Dæmones verti. Verum ubi in scriptis Tertulliani id invenire liceat, versatissimi quique in scriptis ejus nondum ostenderunt. Hoc *Danaus* in *Comment. ad Aug. de hæres.* observavit, quod Tertullianus in l. de anima contendat, nullam esse animam sine Dæmone comite; non tamen asserat vertendam esse in Dæmonem. Errorem autem inter alios in libb. *ἐὶ ἀρχῶν* Origenis & hunc fuisse, autor est *Hieronymus* t. 3. *Opp. Epist. ad Avit. f. m. 68. C.* cuncta scil. variari, ut & qui nunc homo est, possit in alio mundo Dæmon fieri; & qui Dæmon est, & negligentius egerit, in crassiora corpora relegetur, id est, ut homo fiat. Quicquid ta-

men sit, five hic error Tertulliani etiam fuerit, five non; certum est, non multum illum abhorrere à dogmatibus Stoicorum, quibus alias multum virum indulgisse constat. Sic enim *Arian. Epictet. l. 3. d. 13. p. 293.* εἰς αἴδη, εἰς Ἀχέρων, εἰς Κωκυτός, εἰς πύρφλεγεθων. Ἀλλὰ πάντα Θεῶν μισαὶ καὶ Δαιμόνων, *nullus orcus est, nullus Acheron, nullus Cocytus, nullus Pyriphlegethon, sed omnia plena sunt Deorum & Daemonum.* Ergo, inferes secundum hanc disciplinam, anima scelerata post mortem erit aut Deus, aut Dæmon; sed non DEUS; relinquitur ergo quod *Dæmon.* Si itaque non pro errore Tertulliani assertum hoc, de animarum sceleratarum statu post mortem, habendum, ob Augustini συγγράμματος auctoritatem *Tertullianistarum* dogma fuisse recte censetur.

§. 16. Propria hæc fuerunt *Tertulliani, & Tertullianistarum* dogmata. Non vero sola hæc in conventiculis suis docebat, sed & Pietistica, seu Montanistica, de quibus in superiori art. prolixè fuit actum, addebat. Sic enim *Augustinus* notat, quod, cum *Tertullianus* prius *ad Cataphryges transisset,* & quæ *PseudoParacletus* fanatica *Montano* inspiraverat dogmata etiam amplexus esset, *Pietaster* factus, ab horum hæreticorum colluvie, ingenii sui duri & pertinacis petulantia atque singularitate abreptus vir sententiæ suæ pertinacissimus, forte quod videret, reliqua sua dogmata *Montanistis* parum probari, postmodum secesserit, & cum suis, qui *Tertullianistæ* hinc dicti sunt, ut supra notatum, se separans, *sua conventicula propagaverit,* quæ *Tertullianistarum* appellata sunt, & rectius sic appellari poterunt, quam *Montanistarum.*

§. 17. Iisdem verbis notatur à *B. Augustino,* quæ fuerit ratio & modus *Tertullianistarum* virus propagandi, & ad posteros transmittendi. Nimirum institutis hoc nomine *conventiculis* usus fuit *Tertullianus;* cujus exemplum secuti a seclæ idem fecerunt. *Conventicula* dicuntur Græcis *Ἰσχωράξεις,* & pravam potius, quam bonam, vel etiam mediam, vox hæc habet significationem. Unde de rebellium, & hæreticorum conventiculis passim legitur, contra quæ etiam l. 3. C. de hæret. severa extat sanctio. Latebras nimirum solent quærere hi lucifugæ, male sibi, malæque causæ conscii, secundum verba Christi Joh. 3, 20. ita ut merito suspectæ esse debeant ejusmodi
con-

congregationes *Separatistarum*, qualemunque etiam præ se ferant sanctitatem. Talia etiam *Tertullianistarum* fuerunt conventicula, hominum *Pietastrorum*, quæ uti *Augustinus* memoravit, qui hic omnino fidem meretur, *Tertullianum*, *Pietastro-*rum principem, autorem *Carthagine* habuerunt. Et cum ejusmodi conventicula *sanctæ fidei Catholica, & Apostolica Ecclesia*, ut loquitur *Justinian*. *Novel. 132. præfat. noceant*, laudatæ *novellæ Constit. legitur hæc inscriptio facta: De interdictis Collegiis hereticorum.*

§. 18. Ad impium quoque *Pietismum* propagandum, fanaticæ hujus superstitionis homines utuntur etiam *conventiculorum* beneficio, quo tacite & in occulto grassari, virus suum aliis instillare, suumque *Separatismum* corroborare possint, instituto & continuato actuum *Separatisticorum* exercitio. Commodissima enim ad *Separatismum* via datur, si, qui præ aliis ob pietatem & puritatem, ejusque perfectionis consequendæ studium ἀσκησον, imo fanaticum, in privatos cœtus, atque conventicula potius separatim confluunt, quam si in cœtu vocatorum publico, quod hypocritæ, imperfecti, & psychici homines illis admixti sint, malint cum aliis congregari. Sic enim à reliquis separati liberius suo novandi pruritu, & fanaticis mentis agitationibus indulgere, & in angulis latere possunt; ita ut utilitatis inde speratæ, & damni quod ex hujusmodi conventiculis, quæ religionis gratia ut haberentur invaluerunt, provenit instituta comparatione, cum hoc longe majus, certius & periculosius fuerit atque illa, *absolute* loquendo, ubi plantata jam Ecclesia libero religionis suæ gaudet exercitio, rectius & tutius ceu noxium aliquod institutum, quod vix intra terminos, imo ne vix quidem, contineri possit, improbantur & merito prohibeantur, quam defendantur, & permittantur; imo omni jure improbari, nec tolerari, hominibus etiam ob religionis puritatem, & Fanatismum suspectis sub acri pœna prohiberi debeant. Nec ego contradixerim, si quis crediderit, & factioni illi *Anabaptistarum*, qui *Collegiati* hodie dicuntur, & *Donatismo Johannis de Labadie*, quem *turbam in ades confluentem privatim instituisse*, memoravit *Dn. Suicerus* in *Orat. de Ref. Ecc. ter.* illa conventicula privata, & colloquia religionis, pietatis gratia nuper institui inter nostrates

tes

tes incepta, suas debere origines, meliori intentione, quæ minime sufficit, quam successu passim introducta. Hac mente prodiit *Electoralis Hannoveranum* Edictum d. 20. Febr. 1703. contra illos, die auß einer eingebildeten Vollkommenheit so gar höchst ärgerlicher Weise/ von dem Hauffen unsrer Evangelischen Christlichen Kirchen/ von dem öffentlichen Gottesdienst/ und dem Gebrauch der H. Sacramenten sich absondern/ und besondere Conventicula unter sich halten. Idem *Cassellis* factum mens. Sept. an. 1702. contra illos, die allen äußerlichen Gottesdienst &c. und den Gebrauch der Sacramenten/ als unnöthig verwerffen/ sich der öffentlichen Versammlung zum Gottesdienst ärgerlicher Weise entziehen/ hingegen absonderliche Conventicula, und verdächtige Winkel-Zusammenkunfften halten. Etiam *Holmiæ Suecorum* 1694. ut & alibi. Cumque jam à Reformationis inceptæ temporibus spiritus Fanaticus varias Argentorati movere turbas conatus fuerit, hujusque generis homines, *Anabaptistæ* sc. & *Suencoseldiani* sua privata conventicula tam in urbe, quam extra urbem, religionis gratia instituerent, inclytus Civitatis nostræ ista tempestate Magistratus, Edictis hoc nomine promulgatis, licentiam hanc & petulantiam fanaticam coercere non omisit. Etiam in *Policey-Ordnung* der Stadt *Strasburg* tit. 1. §. 7. ita legitur: Wir wiederholen auch das in An. 1605. verfaßte Mandat wider die gefährliche Conventicula, und heimliche Zusammenkunfften/ NB. Gespräch/ und andere Verrichtungen in Glaubens- und Religions-Sachen. In seq. §. sanctio seria habetur contra Anabaptistas, Suencoseldianos, Weigelianos, Enthusiastas, & omnes Fanaticos, quibus *Pietistæ* nuperi Weigeliano, & Donatistico, Labadistico item & Quietistico Spiritu acti, merito sunt addendi; licet hic ab illo furore fanatico, malitia, & pertinacia superetur. Legi hic merentur quæ de *Collegiatisimo*, & *jure colligendi* scripsit B. D. Schomerus.

§. 19. Ejusmodi *conventiculorum* propagatorum usu, & beneficio, *Tertullianistarum* secta duravit usque ad tempora B. *Augustini*, cujus ætate defecit. Sic enim sua sponte mendacia tandem exspirare solent. Digna autem sunt B. *Augustin.* de hæres. c. c. verba, quibus interitum *Tertullianistarum* descripsit: *Tertullianistæ usq; ad nostrum tempus paulatim deficientes in extremis reliquiis durare potuerunt in urbe Carthaginensi. Me autem ibi posito ante aliquot annos, omni ex parte consumti, sunt. Paucissimi etiam, qui remanserunt, in Catholicam transierunt, suamq; Basilicam, quæ nunc etiam notissima est, Catholicæ tradiderunt.*

F I N I S,

SATANA IN ANGELUM
LUCIS TRANSFORMATO;

Ex 2. Corinth. XI, 14.

§. I.



Abula est, quod de Proteo,

de quo etiam inter Ægypti reges *Herodotus* 2. c. 112. sqq. nonnulla memora-
vit, Poëtæ cecinerunt, quod in varias se
formas vertere solitus fuerit, ut jam
animal, jam arbor, jam ignis videretur.
Sic enim *Ovidius* de art. Am. l. 1. *levis*
Proteus modo se tenuabat in undas: Nunc

leo, nunc arbor, nunc erat hirtus aper. Et *Virgilius* 4. Georg. Ubi
corruptum (Proteum sc.) *manibus, vinculisq; tenebis, tum varia illudent*
species, atq; ora ferarum. Fiet enim subito *sus horridus, atraq; ti-*
gris, Squamosusq; Draco, & fulva cervice Leana: aut acrem flammæ
sonitum dabit, atq; ita vinculis excidet, aut in aquas tenues dilapsus
abibit. Fabulæ hujus occasionem hanc ex *Diodoro Siculo* retu-
lit *Paulus Marsus*, Com. in Ovid. I. Fast. Mos, inquit, erat Ægy-
ptiis regibus, leonis aut tauri, aut Draconis priorem partem in capite
ferre, insignia principatus: quandoq; arborem, ignem, & redolentia
super caput unguenta. Hæc tum ad decorem & ornatum spectabant,
tum stuporem atq; superstitionem quandam aspicientibus injiciebant:
Hancque consuetudinem Græcis fingendi occasionem præbuis-
se affirmat. Quæ de Proteo per fabulam circumferunt, re-
ctius de Diabolo ex vero dicuntur, qui varias, etiam angeli lu-
cis formam induens, dolose fallere studet. Inter varias quip-
pe ejus *μυθοδείας*, & hæc à *Paulo* 2. Cor. 11, 14. refertur, quod
dolose in angelum lucis se transformare soleat, quo incautioribus
imponat. Meditabimur versutiæ hujus cognoscendæ ergo
nonnulla, Colloquii Academici gratia, ad hunc Apostoli lo-
cum. DEUS ausa secundet.

A

§. 2.

§. 2. Locus Apostoli, in cujus explicatione nostra decurret Dissertatio, ita habet: *Αυτὸς γὰρ ὁ Σατανᾶς μετασχημαλίζεσθαι εἰς ἄγγελον φωτὸς.* *Vulgatus* ita reddit: *Ipse enim Satanas transfiguratur se in angelum lucis.* *Transfiguratur se velut angelum lucis*, redditur apud *Cyprian.* de *Simplic. Prælat.* f.m. 163. An versione illa *Itala*, an alia usus fuerit, an vero ipse gloriosus Martyr ita reddiderit, non disquiro. Pro *transfiguratur* *B. D. Seb. Schmidius* utitur τῶν *transformat*; ita Latine textum vertens; *Ipse enim Satanas transformatur se in angelum lucis.* Cui respondet versio *B. Lutheri*: *Dann er selbst / der Sathan / verstellet sich zum Engel des Lichts.* *Erasmus* ita: *Quandoquidem ipse Satanas transfiguratur in angelum lucis.* Rationem versionis suæ in *Annot. ad 2. Cor. 11.* reddidit, *Græce*, inquit, *est transfiguratur.* Græce etiam sic legerunt *Chrysostomus*, *Theophylactus*, *Theodoretus.* Nec *Oxonensis N.T. editio*, *variantes Lectiones ex plus 100. MSS. Codicibus*, & *antiquis versionibus collectas exhibens*, aliter legit, nulla Lectionis diversitate notata.

§. 3. Sensum vero horum verborum quod attinet, ex *Patribus B. Chrysostomus*, *Homil. 24. in Epist. Paul. ad Corinth. 2.* ex versione *Wolffg. Musculi*, ad nostrum ita notat locum: *Quid autem est angelus lucis? dicit eum qui habet fiduciam loquendi, & DEO assistit.* *Sunt enim angeli tenebrarum, Diaboli tenebrofi, ac feroces.* *Et multos Diabolus sic decepit, persona in se suscepta, & non factus angelus lucis.* *B. vero Theophylactus* super h. l. *Angelum lucis eum*, inquit, *asserit esse Apostolus, qui fidens illi splendori assistit, denunciatque, & profitetur DEUM lucem esse, cum ipse lux sit.* *Transfiguratur itaq; in hujusmodi angelum Diabolus ipse, non tamen talis efficitur.* *Addimus Theodoretum*, cujus t. III. opp. in *Comment. in hunc locum* hæc est explicatio: *Mos est Diabolo divina μιμεῖσθαι, imitari, & prophetis quidem Pseudopphetas opponere, angelorum autem figuram imitari, ἀγγέλων ἢ τὸ εἶδος μιμεῖσθαι, & homines decipere.* Satis patet, ex Græcis hisce *Patribus* pressius inhærere *Theodoretum* verbis *Apostoli*, ad vim illorum exprimendam; *Chrysostomum* autem & *Theophylactum*, ad rem verbis notatam explicandam intentos potius esse.

§. 4.

§. 4. Subjicimus his nostrates. *B. Lutherus* t. III. *Jenens.* Latin. in *Operat.* in *Pl. 6.* f. 75. ita locum nostrum explicat: *Dæmones vere sunt callidissimi incitatores animarum ad inobedientiam sub specie obedientia, quando proprium est eis se transfigurare in angelum lucis, tum maxime, quando minime oportet, id est in tribulatione.* Idem in *Comment. de bell. advers. Turc. gerend.* t. IV. *Altenb.* f. 532. *etiam Diabolus, inquit, quarit quo tegatur, & bonus esse vult angelus, quoad δόξα sc. tanquam angelus lucis; unde & aliqua opera, seu opera lucis præterdit, & præ se fert.* Item in *Explicat. Decal.* t. IV. *Altenb.* f. 606. *Novit, ait, Diabolus artem transfigurandi se in angelum lucis, & Pseudoprophetas atq; sectarios falsam inspirat doctrinam, sub specie doctrinae salutaris.* *B. Ægidius Hunnius* in *Comment. super h. l.* cum prius exposuisset, qua ratione falsi Apostoli in Christi Apostolos se transformantes, externa quadam pietatis larva se commendent hominibus, ut non Satanæ, sed Christi videantur esse ministri & Apostoli, addit, hoc illos didicisse à Satana, cui solenne sit, hunc in modum μεταμορφωθῆναι, & in angelum lucis transformari, ne si citra speciosum illum habitum sanctimonie in medium procedat, repulsam patiatur ab iis, quos circumvenire satagit. Addimus *B. Balduinum Com.* super h. l. ita differentem: *Respicit, verbis nimirum loci nostri, Apostolus procul dubio ad historiam primi lapsus in Paradiso, cujus supra quoq; mentionem faciebat, v. 3. Tunc enim vere se transfigurabat Satan in angelum lucis, quando blanditiis verborum animum Eve dimovebat à simplicitate mandati divini. Et nonnullis interjectis, Diaboli, addit, suam corruptionem ac malitiam abscondunt, magnamq; sanctitatem, (quæ in Scriptura luci comparatur, Joh. 3. Luc. 6.) simulant, quoties piis ad lapsum tendiculas ponunt.* In *Quæstionibus Parti capitis*, quo locus noster continetur, secundæ subjectis, q. 7. prolixo discursu explicat, qualis sit hæc Satanæ transfiguratio, & quomodo fiat, quibusq; in rebus spiritus ille malignus angelo lucis se similem faciat. De quo in sequentibus erit dispendium.

§. 5. Verum & quid Romano-Catholicis de hoc loco videatur, audiamus. Ex his *Cajetanus* in *Enarrat. Ep. II. ad Cor.* ad locum nostrum ita notat: *Ipse Satanæ transfiguratur se in an-*

gelum lucis, tam invisibiliter suggerendo quandoq; bona, ut inde ducat ad malum aliquod: tum visibiliter quandoq; mentiendo, se esse angelum DEI, & hoc pluries videtur facere in visione Imaginaria, ut in multis personis delusis apparet. Consentiant hæc cum Commentario, prolixiori licet, & exemplis ex vitis Patrum desumptis referto; quod & ex nostris B. fecit Balduinus l. c. celebris inter suos interpretis, Cornelij à Lapide, qui nostrum tractans locum ita loquitur: Dicit, Apostolus sc. *lucis*; solent enim angeli boni, utpote beati, lucidi & gloriosi apparere, cum se ostendunt hominibus. 2. *Lucis*, id est veritatis, justitiæ, pietatis. Hæc præ se fert Satanas, hæc promittit hominibus, quorum vel oculis visibiliter apparet, vel phantasia se suaq; consilia insinuat, ostendit, imprimit, cum vere sit angelus tenebrarum: Quia non nisi peccata, errores, dolos suggerit. Nec abeunt hæc à Collatione Claud. Guillaudi in II. Ep. ad Cor. l. c. Cum artes, inquit, Satana paucis perstringit Apostol. sc. Transfiguratur se in angelum lucis, vel quum speciem sumit angeli boni & lucidi, ut decipiat: vel cum tenebras suas suis coloribus sic ornat, ut à luce distare nihil videantur.

§. 6. Ex Reformatis Zvinglii discipulus, Bullingerus, in Comment. ad nostrum locum ita notat: Transfiguratur se Satanas, inquit, Apost. in angelum lucis, vel cum speciem sumit angeli boni, & lucidi, ut decipiat, vel cum tenebras suas suis coloribus sic ornat, ut à luce distare nihil videantur. Decepit hisce artibus multos. Eva apparuit sub specie serpentis. Aliis imponit Angeli specie, & forma. Omnia vero sua tanquam summe bona proponit hominibus. Paraphrasis Vorstij in Comment. in 2. Ep. ad Corinth. p. 229. ita verba nostra explicat: Ipse etiam Satanas in angelum cœlestem se transformare solet, quoties sc. sub prætextu zeli & pietatis hominibus imponit. Unde Calvinus Inst. l. 4. c. 12. n. 12. redarguens Anabaptistarum furorem, qui nullum cœtum Christi esse agnoscunt, nisi in quo omni ex parte reluceat angelica perfectio, sub prætextu sui zeli, quicquid est ædificationis subvertentes; & quæ in scripturis salva dilectionis sinceritate, & custodia pacis unitate, ad corrigenda fraterna vitia moderatiori cura fieri jubentur, ad sacrilegium schismatis, & occasionem præcisionis usurpantes: Ita, inquit, se transfiguratur Satan in Angelum lucis, 2. Cor. 11, 14. dum per occasionem, quæ justæ severita-

tis,

tis, crudelem sevitiam persuadet, nihil aliud appetens, nisi ut corrupat atq; dirumpat vinculum pacis & unitatis. Et in Præfat. ad Francisc. I. Franc. Reg. hanc esse artem Sathana, in angelum lucis se transfigurantis, ait, ut miraculis, prestigia licet sint magis, quam vera virtutes, imprudentes & imperitos deludat. Addimus, ut alios mittamus, cum prolixior allegatio plurium Interpretum & scriptorum, qui locum nostrum tractarunt, cordi nobis non sit, verba Jacobi Acontij, de Stratagemat. Satan. l. i. p. m. 36. hunc μεταχηματισμὸν inter veteratorias Diaboli artes referentis. Si te quidem jam docuerit DEUS, tantum etiam addiderit lucis certitudinisq; ut hesitationi nullus sit relictus locus, tantum cavendum est, ne tibi fucum faciat Satanas, meminisse oportet, quantus ille veterator sit: quam belle sub angeli lucis persona imponere noverit.

§. 7. Nos quo convenienti ἀναλύσει locum apostolicum pertractemus; 1. ex connexionione nostrorum verborum cum antecedentibus, Apostoli indagabimus Scopum. Est enim monente B. Hilario l. 4. de Trinit. intelligentia dictorum ex causis dicendi haurienda. Manifestum autem est ψ. 12. & 13. capituli nostri XI. quod Apostolus in PseudoApostolos invectus, quam versipelle hoc genus hominum sit, monere intendat, cum, quo minus cautis, & qui fallendi artes parum intelligunt, imponant, personam Apostolorum Christi assumere non dubitant. Sic enim loquitur ψ. 13. præcedenti: Οἱ ψευδοῦντες ἑαυτοὺς ἄγγελοι τοῦ φωτός, μεταχηματίζονται εἰς ἀγγέλους φωτός, nam ejusmodi falsi Apostoli, operarij dolosi, transformant se in Apostolos Christi: Se nimirum Apostolos vocantes, & Apostolicæ pietatis larva dolose assumpta se Corinthiis commendantes, Gloriam hanc veteratorum horum non solum inanem reddere Paulus studuit, sed & ne genuinæ γνώσεως, cap. hujus ψ. 6. jactantia, vel fallaci isto μεταχηματισμῶ, Corinthiis imponant, non esse docet, cur hoc nomine illi moveantur, nec mirum, quod hi versipelles homines tali veteratoria arte utantur, quando quidem & ipse Satanas cujus, uti ψ. 15. loquitur Apostolus, illi sunt ἄγγελοι τοῦ φωτός, ministri, μεταχηματίζονται εἰς ἀγγέλους φωτός, transfiguratur in angelum lucis, quem tanquam magistrum, & dominum imitantur, ad ejus se componentes exemplum. Munire ergo adversus PseudoApostolorum

ftolorum callidam & veteratoriam seductionem fideles Corinthios intendit Apostolus, ne illorum pietatis larva, ut illos audiant, decipiantur; & admonitionis suæ hanc rationem reddit, quod ipse etiam Diabolus, qui in illis efficax est hac arte, in angelum lucis se transfigurans, tali larva fideles deceptum eat. Unde subjicit *ψ. 15.* ἡ μέγας ἐν, εἰ καὶ οἱ Ἀγγέλοι αὐτοῦ, Satanæ sc. μεταχρημαλίζοντες οἰς Ἀγγέλοι δικαιοσύνης, non magnum est igitur, si etiam ministri (illi *ψ. 13.* ἑρτάται δόλιοι, de quibus *ψ. 13.*) illius se transformant, quasi (essent) ministri justitiæ. In his enim ὁ Θεὸς ἔτι αἰῶν ὁ τῆς ἐτύφλωσε τὰ νοήματα τῶν ἀπίστων εἰς τὸ μὴ αὐγάσαι αὐτοῖς τὸ φῶς μὲν ἔτι εὐαγγελίῳ τῆς δόξης ἔτι χριστοῦ, *DEUS* hujus seculi excæcavit sensus infidelium, ut non spendeat illis illuminatio Evangelij gloria Christi, *2. Cor. 4. 4.*

§. 8. Nec PseudoApostolorum tantum hæc olim erat fraus, sed derivata fuit hæc versutia dolosi hujus μεταχρημαλισμοῦ etiam ad alios, similiter ἐρτάται δολίους, operarios dolosos, hæreticos nimirum, Gentiles etiam, vere credentium, & Christianismi alicujus externi speciem assumentes. Sic enim *B. Irenæus, Vir Apostolicus, l. 3. advers. hæret. c. 19. f. m. 281.* hæreticos similia fidelibus locutos memoravit; de Simonianis *l. 1. c. 30.* affirmans, quod quamvis non confiteantur nomen magistri sui ad seductionem reliquorum, attamen illius sententiam docuerint, Christi quidem Jesu nomen tanquam irritamentum præferentes, Simonis autem Impietatem introducentes. Simili μεταχρημαλισμῶ cum uli fuerint *Valentiniani, autor de iisdem est idem B. Irenæus l. 3. c. 15. f. m. 273.* quod questi fuerint de nobis, quod cum similia nobiscum sentiant, sine causa abstinemus nos à communicatione eorum, & cum eadem dicant, & eandem habeant doctrinam, vocemus illos hæreticos. Applicat hinc gloriosus Martyr *Cyprianus de simplicit. Prælat. f. m. 163.* locum nostrum ad hæreticos, qui cum Evangelio Christi, & cum observatione ejus, & lege non stantes, Christianos se vocant, & ambulantes in tenebris, habere se lumen existimant, blandiente adversario atq; fallente, qui secundum Apostoli vocem transfiguratur se velut Angelum lucis, & ministros subornat suos, velut ministros justitiæ, afferentes noctem pro die, interitum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub pretextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi, ut,
dum

dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustrentur. Gentiles etiam, quo eo facilius in suas partes pertraherent Christianos, vel eo minus illos offenderent, nonnunquam externam aliquam Christianismi speciem atque larvam leguntur induisse. Callidissimus sane persecutor Julianus, memorante Paulo Diacono hist. Miscell. l. 11. c. 33. restitutus ejecto Christianismo Paganismum, studuit ubiq; templa Paganorum, instructione & ordine Christianæ religionis, ornare sedibus atq; processionibus, festinans, ut Pagani Christianorum consuescerent officiis. Inter alia ab Aquilegensi Diacono enarrata, & hoc fuit, quod Paganorum dogmatibus atq; monitionibus lectores suæ superstitionis instituerit, ad instar Clericorum, ut horas certas, & dies, & orationes solenniter observarent. Mirum, tale quid factum esse, & adhuc fieri posse, negaturus Apostolus, dat rationem, particula ἡδ̄ insinuatam, probatque, αὐτὸς ἡδ̄, inquit, ὁ Σατανᾶς μεταχρημαλίζεται εἰς ἄγγελον φωτός, ipse enim Satanas transfiguratur in angelum lucis.

§. 9. Constat hæc propositio, rationem asserti probantem continens, *subjecto & prædicato*. Illud notatur voce Σατανᾶς. De hoc enim dicitur, quod in angelum lucis transfiguretur. Ipsum aliàs nomen Σατανᾶς dicitur ita Græca inflexione ab Ebræorum שָׂטָן, quod Petrus 1. Epist. 5, 8. reddidit ἀντίδικος, quod significat *adversarium*, quod per ἀντονομασίαν perpetuo humani generis adversario, Diabolo, tribuitur, & in eundem singulari quadam ratione cadit. Venerabiles Ecclesiæ quidam Doctores de nominis hujus origine aliter censent. Irenæus l. 5. c. 21. f. m. 469. *Satana verbum, inquit, Hebraice apostatam significat*. Eadem *Justini Martyris* in Dial. cum Tryphone f. m. 331. est *Philologia*. *Diabolus, inquit, à Jesu Satanas appellatur; Nomen cum rebus ipsis, quas egit, congruens, indeq; compositum, obtinere indicante*. Nam Sata, *Judæorum & Syrorum voce apostata est, & desertor*: Nomen autem nas, unde interpretatione etiam *serpens vocatur, idem est, quod Sata, Ebræorum ex positum sermone*. Εξ ὧν ἀμφοτέρων ἔειρημάων, ἐν ὀνόματι γίνεται Σατανᾶς, ex quibus utrisq; unum compositum nomen *Satanas*. Verum etymologiam, & rationem nominis hujus impositionis, quam Spiritus S. dedit, merito præferimus. Quod vero rectius à שָׂטָן, *adversatus est* quam

quam à *שָׂטָן* *declinavit*, *Σατανῶς* Græcorum derivari dicatur, ex *Zachar. 3, 1.* patet. Dicitur enim ibi *שָׂטָן*, & *Satan* stetisse ad dextram *Josue* sacerdotis magni, *שָׂטָן* ad adversandum illi, ut sc. in judicio litigans actor adversatur reo. Tales hinc à Græcis ἀντιδικῶντες dicuntur. Conf. *Platon. l. 12.* de LL. Ineptit vero *Ramban* Præf. in *Hiobum*, contendens, apud *B. D. Seb. Schmid.* Comment. in *Hiob. c. 1. p. 23.* *Satan* esse angelum creatum à DEO ad adversandum; qui rectius à Theologis sua sponte factus malitiosus DEI & piorum adversarius dicitur. Ebræos etiam *Sammaelis* nomine absolute de *Satana* uti, ex *Maimonidis Mor. Nevochim P. II. c. 30.* docet *Ludovic. de Dieu Animadv. in 2. Ep. ad Cor. c. 11. v. 3.*

§. 10. Singulariter vero pro uno Diabolo, an vero Collective, pro multitudine spirituum malorum, vox *Satan*, accipi debeat, prolixa caret difficultate. Certum id est, quod æque in plures, atque in unum cacodæmonem, callidus hic μεταχρηματισμὸς εἰς ἀγγελὸν φῶλος cadat. Non sane unius tantum Diaboli, sed complurium spirituum malorum insidiis obnoxii sumus, ita ut jam hic, jam ille, arte hac in nostri perniciem utatur. Et sicut filii hujus seculi non omnes uni Diabolo serviunt, sed diversis, ita nulli fraudulentis hujus μεταχρηματισμῶς usurpatio, DEO permittente, deneganda videtur. Nam ad hoc nequitiae genus nulli videtur deesse versutia necessaria. Transfiguravit se in angelum lucis serpens Evam decipiens, cujus Apostolus mentionem facit *ψ. 3.* nostri capit. Fecit idem *Satanas*, in medio Filiorum DEI, h. e. bonorum angelorum, veniens ad tribunal DEI ad *Hiobum* accusandum. *Hiob. 1, 6.* Fuisse enim utrinque unum eundemque numero spiritum cacodæmonem, parum recte judicari censemus. Quod vero ex filiis tenebrarum nonnulli, Magi sc. quorum etiam numero est *Marcus* ille apud *Pfellum*, de Operat. Dæmon. p. 82. Dæmonum, quoad vires phantasiæ, usque eo insignem introduxerint diversitatem, ut alios ἐμπυρῆεις, ἢ ἀερίεις, igneos & aërios, varia imaginatione præditos; alios aqueos & terrestres, minori phantasia valentes statuerint, id figmentum est, notante ipso *Porphyrio*; qui memorante *Eusebio* Præparat. Evangel. l. 4. c. 6. f. 143. μάλιστα φιλοσόφων δοκεῖ ἢ δαίμοσι, ἢ οἷς φησι θεοῖς ὀμιλεῖναι, videtur
inter

inter Philosophos, maximam cum demonibus, & quos Deos vocat, habuisse consuetudinem; quod mali genii, δαίμονες κακοποιοὶ & κακοεργοί, sint πλήρεις πίσεως φαντασίας, καὶ ἀπειθήσων ἰκανοὶ διὰ τὴν πρᾶξις, omnigena imaginatione abundantes, & ad quemvis prestigis suis fallendum idonei, l. 2. de abstin. §. 42. p. m. 85. Quæ vel plagio, vel μετασχηματισμῶν alicui eis ἀγέλαον φῶλος, quo Βαταναοῖ Diabolus imposuit, tribuere liceat.

§. 11, Additur *subjecto* pronomen αὐτός. Sic enim Apostolus: αὐτός ὁ σατανᾶς. Notum est, quod pronomen hoc & demonstrativum, & relativum sensum, diverso licet respectu, admittat. Hoc vero loco demonstrativus rectius creditur obtinere, cum non præcesserit in antecedentibus Satanae mentio, quem pronomen αὐτός proin referat, & ad quem sua significatione respiciat: sed monstrat potius, & ostendit voce hac Apostolus, quis ille sit, qui PseudoApostolis exemplo præivit, quemque illi, personam Apostolorum Christi assumendo, sequuntur, Satanas sc. quasi sic dicere velit Paulus: *Non mirum est, quod PseudoApostoli sumta Apostolum Christi larva, hac specie fallere & imponere querant, cum ille ipse Satanas, cujus sunt ministri, etiam larvam angeli lucis assumat.* Cæterum, quod de hoc pronomine demonstrativo αὐτός à viris Græce doctis alias etiam observatur, quod, apud Græcos præprimis, quandoque etiam idem sit ac *ultroneum, spontaneum*, seu qui ultro, & sponte aliquid facit, quod non solum ex Homero, & aliis scriptoribus probant, sed & ex N. T. à B. Glassio Philol. f. l. 3. t. 2. p. 513. al. 188. docetur, ita & hoc loco non male id hanc habere dicitur significationem, ut sensus proin, & connexio cum antecedentibus sic institui debeat: *Non mirum sc. est, PseudoApostolos assumere figuram, & larvam Apostolorum Christi; ille ipse enim Satanas, cujus sunt ministri, proprio etiam motu, quo ad decipiendum prurit, in angelum lucis transfiguratur.* Hoc modo pronomen αὐτός legitur Johan. 16, 27. αὐτός ὁ πατήρ φιλεῖ ὑμᾶς, ipse enim Pater amat vos. Ubi connexionem hanc facit Glassius l. c. *Non dico, me rogaturum pro vobis patrem, ut vobis faveat: ipse enim sponte sua & ultro vos diligit, quia vos me amastis: Non dissimile est loquendi genus, quo in nostro loco Apostolus utitur.*

B

§. 12.

§. 12. *Prædicatum Propositionis Apostolicæ absolvitur verbis: μετασχημαλίζεται εἰς ἀγγελον Φωλός, transfiguratur in angelum lucis.* Hoc est quod de Satana Cacangelo enunciatur, & in alios pravos angelos etiam cadit, qui, quod versutam eorum malitiam, & inimicitiam erga genus humanum concernit, omnes ejusdem sunt indolis, Gen. 3, 15. ut πάντα περιττοντες μετ' ὄλης, nihil non vase factitantes, à semita nos abducant, ut loquitur D. Athanasius in vit. Anton. t. 2. opp. f. m. 468. Μετασχημαλίζειν vero quod attinet verbum, quod *transfigurare, transformare, in aliam figuram traducere & convertere, immutare, personam transferre in, per figuram transferre*, Lexicographi significare ajunt; etiam alibi in N. T. id legitur. 1. Cor. 4, 6. ταῦτα μετασχημαλίσαι, inquit Apostolus, εἰς ἐμῶν ἢ Ἀπολλῶν, hæc, quæ in superioribus scil. dicta sunt, *transfiguravi in me & Apollo*; ut reddidit B. D. Schmidius noster. Erasmus ita: *Hæc autem per figuram transtuli ad meipsum & in Apollo, per accommodationem sc. ad suam, & Apolli personam*; conf. Chrysof. h. l. & *schemate quodam sermonis*, ut cum Vorstio loquitur Eduardus Leigh, Critic. Sac. p. 394. Ast Philipp. 3, 21. dicitur, quod Christus μετασχημαλίσας τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν, εἰς τὸ γένηται αὐτὸ σύμμορφον τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτῆς, *transfigurabit corpus nostrum humile, ut conforme reddat corpori suo glorioso.* Satis patet hunc μετασχημαλισμὸν, transfigurationem, diversi generis esse à priori. Ille enim est verbalis, & consistit in dicendo, & certa dictorum accommodatione ad Pauli & Apolli personam, ad quam etiam in versione B. Lutherus respexit, ita Græcum reddens textum. Solches aber habe ich auff mich und Apollo gedeutet: Hæc vero transfiguratio fiet per physicam quandam, virtute licet Θεανδρώως infinita faciendam, & realem, quoad qualitates, immutationem, quæ in corpore nostro, quando ex humili, vili, gloriosum fuerit factum, diversæ sunt futuræ, salva ipsa substantia ejusdem. Relinquitur hinc, verbum μετασχημαλίζειν non certum quandam μετασχημαλισμὸν, nec definitam quandam conversionem ex una in aliam figuram, formam & speciem, ejusque certum quandam & determinatum modum, ex vi vocis præcise significare; sed ejus significationem tam late patere, ut ad diversas transfigura-

gura-

gurationes notandas adhiberi possit, ita ut qualis μετασχηματισμός intelligi debeat, ex circumstantiis textus, & natura subiecti, quod ejusmodi transfigurationem patitur, explicandum sit, cum talia etiam sint prædicata, qualia permittuntur à subjectis. Dicimus proin, quod μετασχηματισμός ille, quando dicitur, quod Satanæs μετασχηματίζεσθαι εἰς ἄγγελον Φωτός, neque *grammaticus*, neque *Physicus* sit, vel quoad substantiam ipsam Diaboli, uti *Ovidius* in libris *Metamorphoseon* ejusmodi transmutationes substantiarum, & conversiones ex una specie in aliam, ex Poëtica cecinit licentia; vel quoad qualitates, quasi diversas, & vere angelicas ita transfiguratus consequatur; sed *moralis* potius, assumtis boni angeli moribus, dictis, factis, persona, & specie externa, nulla quoad ipsius substantiam, & qualitates facta immutatione: **Er bleibt der alte böse Feind.** Consentiant *Chrysostomus*, *Theophylactus*, *Theodoretus*, quos supra audivimus. Nimirum qualis μετασχηματισμός Pseudo Apostolorum, callide μετασχηματίζομένων εἰς ἀποστόλους χριστοῦ, personam Apostolorum Christi assumptum, talis & μετασχηματισμός, transfiguratio Satanæ: Hunc enim illi ceu ministri & discipuli imitantur, & ei hoc facto similes redduntur. At illorum transfiguratio est moralis, ratione personæ, & morum Apostolorum Christi, quos assumerunt imitando. Ergo & Satanæ, sanctos angelos, illorumque mores imitando, fucum facientis, non naturam aut qualitates suas immutantis.

§. 13. *Terminus* hujus transfigurationis significatur verbis, εἰς ἄγγελον Φωτός; *in angelum lucis*. In omni mutatione, cujus species est μετασχηματισμός, duo dantur *Termini*, à quo, & ad quem. Illum appellamus *schema* & habitum Satanæ verum, ut est angelus tenebrarum, quem fallaci hac transfiguratione occultare, & tegere quærit, assumpto *schema* angeli lucis, quod est *terminus ad quem*. Docet hoc præpositio εἰς, quæ uti alias motum ad aliquid significat, ita hoc loco terminum ad quem transfigurationis dæmoniacæ, de qua Apostolo sermo. connotat, qui est *schema angeli lucis*. Prolixiori res non indiget *explicatione*.

§. 14. Ἄγγελος φωτός itaque quis sit, & dicatur, potius dispiciendum. Officii vero, non naturæ nomen esse vocem ἄγγελος, notum est. Mittuntur enim ad nunciandum id, quod angelorum Dominus iusserit. *LUC. 1, 26.* Nomen naturæ est *spiritus. Ebr. 1, 14.* Quanquam vero frequentius in sacris de creaturis usurpetur, falluntur tamen, qui solis creaturis nomen hoc in scripturis tribui existimant; nostro licet loco de spiritu creato intelligi debeat, sic ferentibus circumstantiis, quæ non monent, ut à frequentiori significatione abeamus; licet nomen ἄγγελος, cui respondet Ebræorum מַלְאָכִים, nullam inferat inferioritatem, sed aliunde ad illam restringi debeat, ceu alibi disputatur. Conf. B. D. Seb. Schmidij Colleg. Bibl. V. T. Loc. 4. D. 1. §. 10. p. 196. Quemadmodum & cum de angelis bonis & malis nomen hoc dicitur, additæ limitationes & restrictiones ostendunt, num de his, an de illis sermo sit. Sic in nostro loco addita determinatio ὁ φωτός, non alterius κακαγγέλων, sed boni speciem angeli Satanam assumere hoc dici loco, sat convincit.

§. 15. Caterum quid sibi τὸ φῶς, h. l. velit, & cur boni angeli ἄγγελοι φωτός dicantur, supra Interpretes audivimus. *Chrysostomus angelum lucis opponit Diabolis tenebrarum;* quod bene quidem, sed nondum satis dici videtur. Plus loquitur *Theophylactus*, cui φῶς est genitivus objecti, ita ut *angelus lucis* sit, qui *denunciat & profitetur DEUM esse lucem, cum ipse lux sit.* Per *lucem* etiam DEUM intelligi debere, non displicuisse credimus *Theodoreto*, quando Diabolo angelorum σχῆμα imitanti, *morem, ait, esse divina imitari:* quem hoc facere censet, quando *angeli lucis, h. e. angeli DEI σχῆμα* induit, & talem imitatur; cum qui angelum DEI, & divina imagine præditum imitatur, *divina imitari* dici queat. Et sane DEUM lucem esse, & dici, certum est. Ὁ Θεὸς φῶς ἐστὶ, *DEUS lux est,* dicitur *1. Joh. 1, 5.* Cujus significationem non satis exprimit *Oecumenius*, in *Explicit. h. l. Lux, inquit, spiritualis, φῶς νοερόν, DEUS* dicitur, *agrans animæ nostræ oculos ad sui susceptionem, & ab his omnibus materialibus avertens, atq; ad solum sui desiderium amatorio affectu urgens.* *Varia alias Lux* notat in scripturis, ceu *Flacius* in *Clav. f. 603. sq. & B.*

& B. Dorsch. in Pentad. Prælim. Confid. §. 28. p. 19. observant; et de DEO usurpata, ut 1. Joh. 1, 5. proprie & primo de illo dicitur, minimeque figurate, cum primus ejus conceptus sit τὸ αὐτοφῶς, monente B. Dannhæwero Hodol. p. 190. & prolixius explicante B. D. Sebast. Schmidio, in Auctar. ad Formul. Concord. Repet. Disp. VII. §. 14. Significatque essentiam DEI sapientissimam, omnisciam, purissimam, sanctissimam. *Lux dicitur DEUS*, ait D. Hunnius Comment. in 1. Johann. 1, 5. *hoc est, sincerissima plane, purissimaq; essentia, cui nihil vitij, nihil ignorantia, malitiaq; sit admixtum: lux sc. h. e. sapientia absq; ignorantia, veritas sine mendacio, innocentia sine labe criminis, justitia & sanctitas absque ulla iniquitate.* Ἀὐτοφῶς autem loquitur scriptura, quando DEUS in luce inaccessa habitare dicitur 1. Tim. 6, 16. *vel lumine sicut vestimento amictus*, Psalm. 104, 2. *Secundario* autem dicitur de luce rerum creatarum, tam spiritualium, quam corporalium; quanquam lux spirituum creatorum præstantior sit luce corporum. Luce solis, atque reliquarum facularum mundi in firmamento scintillantium, nil pulchrius; quod Thales etiam apud Plutarch. in Conviv. f. 153. intelligens, *quid pulcherrimum sit interrogatus; respondit: Lux: superatur tamen illa luce spirituum.* Nec censendum est, quando spiritibus lux tribuitur, ita ut lux alia corporalis, alia spiritualis dicatur, æquivoce id fieri, vel factam lucis divisionem esse æquivoci in sua æquivocata; sed univoce hæc fit attributio, specie licet lux corporum à luce spirituum differre censerì debeat, inferioris etiam ordinis illorum lux, quam horum sit, imo tantum imago quædam lucis spirituum. Ex rebus enim sub sensus cadentibus nulla datur, quæ illam spirituum pulchritudinem atque perfectionem sic repræsentat, quam lux. Unde quanquam vocabulum lucis à corpore lucido desumptum videri queat, res tamen luce notata, vere, & proprie, & nobiliori quadam ratione in spiritibus, quam in corporibus datur: eminentissime vero, & potissimum in DEO. Conf. Dorsch. l. c. §. 30. & B. D. Seb. Schmid. l. c. Sicut itaque corpora lucida, & tenebrosa dantur, ita quoque dantur spiritus lucidi, & spiritus tenebrofi. Illi dicuntur spiritus lucis, hi spiritus tenebrarum, per Ebraismum, alias etiam Paulo in Epistolis frequen-

tatum, quo inter duo substantiva in statu regiminis posita modo prius, modo posterius, ut h.l. adjectivi loco est; de quo *Glass. Phil. S. l. 3. t. 1. p. 33. qq. al. p. 400. sq.* Hoc modo *angelus lucis* in nostro loco notabit *angelum lucidum*, angelo tenebrarum, qualis est *Satanas*, oppositum. Quanquam vero contra fidei analogiam non sit, si, quando de *angelo lucis* sermo, per τὸ φῶς, *lux*, DEUS intelligatur, cui καὶ ἐξοχλῶ, & significatione maxime primaria hoc prædicatum competit, ita ut *angelus lucis* sit *angelus DEI*, prout etiam *Cajetanus* explicavit; & *angelum lucis* imitari, sit μιμεῖσθαι τὴν θεῖαν, *divina imitari*, *angelum DEI* sc. quod *Theodoretus* velle videtur: Nihilominus cum & angeli boni propriam suam lucem habent, à qua vere, proprie, & simpliciter etiam lucidi, & angeli lucis dicuntur, magis propria etiam, atque simplex, atque naturæ rei convenientior est interpretatio, si *lucem* de propria angelorum luce explicamus, de luce angelica, ita ut ab hac potius angeli lucis, seu lucidi denominentur, quam si per *angelum lucis* in sensu literali intelligimus *angelum DEI*, etsi in sensu identico is, qui angelus bonus est, etiam *DEI angelus* sit. Consentiant plures etiam interpretes supra allegati.

§. 16. A propria hac luce, & subjective angelis inexistente, dicuntur à *Hiobo c. 38, 7. stellæ matutinæ*, ceu contra *Mercerum & Diodatum, B. D. Sebast. Schmid.* cum in *Comm. h. l. tum in Colleg. Bibl. V. T. Loc. VI. de Ang. d. 2.* Contra *Grotium* autem, *stellas proprie dictas, & astra lucidissima*, cum illis intelligentem, *D. Calov. Bibl. illustr. h. l. probavit*; ob sanctitatis sc. sapientiæ, puritatis, spiritualis simplicitatis, & pulchritudinis splendorem, propter quem lucidissimarum stellarum elogio notantur. Annuit ex *Reformatis Essenius Theol. Dogm. c. 7. §. 12. p. 196.* Cæterum lux hæc angelica, unde lucidissimi hi spiritus angeli lucis appellantur, est ipsa divina imago, in qua ab initio fuerunt creati, quamque sibi concreatam retinuerunt, & cujus splendore tenebris peccatorum nunquam exciderunt. Derivata proin eadem angelorum lux est, & lucis summæ primæque quædam participatio, atque imago, in intellectu, voluntate, & affectibus etiam angelicis existens, quoad sapientiam, sanctitatem, justitiam atque puritatem, in angelis pleno jubare, finita

finita tamen, & accidentaria quadam ratione resplendescen-
 tem. Quemadmodum itaque imago DEI in creaturis sapien-
 tiam plenam & perfectam, justitiam & sanctitatem, puritatem
 item, & integritatem infert, *Colof. 3, 10. Ephes. 4, 18. 23. 24.* ita quo-
 que lux spirituum creatorum, angelorum, in quibus divinæ lu-
 cis imago refulget, dicit sapientiam errori oppositam, veritatem
 fraudi contrariam, sanctitatem à peccato immunem, puritatem
 omnis fœdæ labis nesciam, justitiam iniquitatis expertem, inte-
 gritatem denique incorruptam. *Uno verbo, ut loquitur B. D.*
Seb. Schmid. Auctar. ad F. C. diss. 7. §. 18. lux spirituum creatorum
est bonitatis pura sine malitia participatio. Consentit his quæ di-
 ximus, ex venerabili Patrum choro *Greg. Nazianz. Orat. in sanct.*
Baptism. f. m. 238. Θεός, inquit, μὲν ἐστὶ φῶς, τὸ ἀκρότατον, καὶ
ἀπερίσπυτον, καὶ ἀρρήτῳ. φῶς δὲ λέγω, τὸ ἐν πατρὶ, καὶ υἱῷ, καὶ ἁγίῳ πνεύ-
ματι θεωρούμενον. Δεύτερον ἢ φῶς ἀγγέλῳ, τὸ πρῶτον φῶς ἀπορροή-
τις ἢ μελυσία, τῇ πρὸς αὐτὸν νόσῃ καὶ ὑπεργίᾳ τὸ φωτισμὸν ἔχουσα,
DEUS lumen est sublimissimum, inaccessible, ac ineffabile; lumen in-
quam, quod in Patre, Filio, & Spiritu Sancto, contemplabile. Secun-
dum lumen angelus est, primi illius luminis defluxus quidam, ac
dependentia, cujus intuitu & ministerio splendorem obtinet.

§. 17. Talem vero boni angeli speciem assumere, talem
 angeli lucidi, & splendore lucis divinæ imaginis fulgentis habi-
 tum, σχῆμα, induere cum solet Satanas, puritatem, veritatem,
 sanctitatem, & integritatem, ac si vere de illa participaret, di-
 cendo & agendo præ se ferens; quarum μεθοδειῶν beneficio,
Eph. 6, 11. id præstet, quibusque modis in angelum lucis se transf-
 figuret, Scriptura sacra, & historia Ecclesiastica docet. Non re-
 petimus, quæ supra commentatores de hac Satanæ versutia sa-
 tis bene dixerunt, diversimode illam notantes. Varii nimirum
 modi sunt, quibus sanctitate, integritate, veritate, & benigni-
 tate simulata, malitiam, inimicitias erga genus humanum, &
 nocendi studium, mendacia etiam, it occultatum nequam Pro-
 teus, tenebris suis aliquam lucis speciem addens, & externa pie-
 tatis larva, assumptoque fictæ sanctimonix habitu se commen-
 dans; quos omnes enarrare, cum βῆθ nequitix Diabolicæ-
 tum prolixior justo futura versutis hujus, & ex se feracis ver-
 sutix explicatio prohibet. Quid filiis tenebrarum hic videatur
 & quo

& quomodo malorum Dæmonum ὑπερβολὴν ἢ θῶρον, *subdolum ingenium & morem* accusent, vide apud *Porphyr.* de abst. l. 2. §. 39. sqq. Quamquam & quæ de *bonis Dæmonibus* garrit virulentus *Bataneotes*, vel pro plagio quodam, vel pro σχήματι, quo mali Dæmones huic suo tenebrarum filio imposuerunt, habenda esse censuerim, ceu supra dictum.

§. 18. Legitur tamen fecisse hoc Satanam primo *visibiliter*, seu potius *sensibiliter*, uti occupato serpente singularem præ se ferens erga Protoplastos benevolentiam, & commiserationem, ob DEI malevolentiam, ceu nequiter calumniatus est, & θεοτύπτῳ ἐλπίδα, *divinitatis speciem* faciens, *miserum fefellit hominem*, uti *Damasceus* loquitur 2. de Orth. Fid. c. 30. quod etiam exemplum ante oculos habuisse videtur *Paulus*, locum nostrum exarans, ψ. 3. c. 11. 2. Cor. Varias hoc nomine exponere solent apparitiones Satanæ *Cornel. à Lap.* Comm. ad l. nostrum, & alii, ex *Palladio*, *Sulpicio Severo*, & vitæ PP. scriptoribus, quas suo loco relinquimus. Simius DEI Satan est. Unde sicut divinæ variarunt apparitiones, & revelationum Propheticarum modi, ita & variis modis in angelum lucis, ejusmodi apparitionum & revelationum modos imitando, se transformavit Stygius Proteus. *Audibili* hinc etiam voce sæpe fuit usus, *Phantasia* quoque non minus varie illudens: Ne de variis *suggestionibus* quid dicam, quibus non impii tantum, sed & pii sunt obnoxii, quibusque invisibiliter imposuit, & imponere studet, bona etiam nonnunquam immittens, quo ad mala seducat. Unde etiam vera dicendo mentitur, quia non loquitur veraciter, sed intentione fallendi. Cordate *B. Dannhaw.* noster Theol. Conscient. t. I. p. 471. *Sathan*, inquit, *lucifuga suum regnum propagat visionibus, apparitionibus, signis mirificis, Prophetiis; cujusmodi spectra quis satis penetret?*

§. 19. Passim etiam alibi leguntur exempla illorum, quibus hæc Diaboli larva imposuit. Magi *Theurgici* dicti, quibus ex pacto servierunt Dæmones, quales fuerunt *Orpheus*, *Amphion*, *Zabratus*, *Zamolxis*, *Pythagoras*, *Jamblichus*, & complures alii, decepti, de amica quadam cum pravis his spiritibus, quos pro bonis habuerunt, gloriati sunt communicatione. De *Magis Persarum* *Diog. Laërt.* de Vit. Philos. in Proœm. auctor est, quod

Damo-

*Dæmones sibi apparere docuerint. Eunapius etiam Vit. Sophist. de Jamblichō p.m.26. refert, quod in thermis Gadarenis duos Dæmones de fontis imo, forma duorum pusionum nitidissimorum, exci-
verit, qui circumfusi arctis complexibus Jamblichō velut naturali patri
inhaeserunt; quos ille in proprias mox restituit sedes. Οἰκῆαι λήξεις hæ
dicuntur Eunapio: suntque locus qui Act. I, 24. dicitur ὁ πῶς ὁ
ἰδιῶς, malis scil. spiritibus, & damnatis. Quo vero Magi hi Dæ-
mones experirentur sibi obsequentes, puritatis, & sanctitatis
studiosi esse debebant, ceu ex Chaldaicis constat Oraculis, & à
Porphyrio docetur de abst. l. 2. §. 49. 61. atque de Jamblichō Eu-
napius l. c. refert, quod ob justitiæ cultum, facilem ad Deorum aures
accessum habuerit.*

§. 20. *Historia Ecclesiastica etiam, ceu ex Irenæo supra nota-
re incepimus, complura enarrat, quæ versipellis Satanæ, Ange-
lum lucis mentientis, fraudes detegunt. In primo sane seculo ipsū
PseudoApostoli hoc habentur à Paulo numero. Ipsorū enim Apo-
stolorum Christi personam assumentes, per illos Satanæ, cujus
sunt ministri, in angelum lucis se transformavit. Epiphanius certe
Hæres. 28. t. 1. f. 111. horum PseudoApostolorum autorem ipsum
Cerinthum facit, Cerinthianos illos ipsos esse contendens, quos
Paulus falsos Apostolos vocat, operadores dolosos, transformantes se in
Apostolos. De communicatione cum angelis quæ mentitus fue-
rit, qualesque jactaverit revelationes, ex Cajo quodam docuit
Euseb. H. E. 3. 25. In secundo seculo licet Diabolus impostor suos
μετὰ ἀληθείας fallaces in Carpocratianis, revelationes jactanti-
bus, Adamianis, statum integritatis sibi arrogantes, Encratitis,
aliisque, exhibuerit; plane tamen singulare fuit, quod de Monta-
no, & Montanistis traditur, in quibus Satanæ singulare specimen
transfigurationis in angelum lucis videtur voluisse dare; quo-
rum fraude etiam Tertullianus fuit deceptus. Hi, memorante Ba-
ronio t. 2. Annal. f. m. 176. Ovinis pellibus lupos induentes, vitam opti-
mis compositam moribus, abstinentia præsertim excultam, extrinsecus
præ se tulerunt, insuper & miraculorum virtutem sibi arrogantes, ita ut
toti orbi conspicui facti, & in admiratione habiti, omnibus præ-
coniis & laudibus fuerint prædicati: Usque eo multi istorum
composita larva sunt decepti. Nil de jactatis, à fœminis etiam,
revela-*

C

revela-

revelationibus, visionibus, apparitionibus, Christi etiam, dicam. Conf. *Augustin.* de hæres. c.27. *Quintilla*, seu *Priscilla*, variant enim quantum ad nomen scriptores, ad se somno correptam, Christum descendisse, ac secum ejusmodi habitum, dormiisse deliravit, Dæmone decepta. Ἐν ἰδέᾳ, Φησὶ γυναικὸς ΝΒ. ἐαρημαλισμῷ ὅτι ἐν σοῦλῃ λαμπρῇ ἦλθε ὁ χριστὸς, muliebri specie, ac veste splendida venit ad me Christus, mihiq; sapientiam indidit, atq; hunc locum sanctum esse significavit; in eumq; sanctam Hierusalem delabi. In seculo tertio lusit hoc angeli lucis schemate Satanus in Novatianis, qui & Cathari dicti sunt, memorante *Eusebio*, l.6. H.E. c.42. *Theodoret.* t.IV. opp. hæret. Fab. l.3. c.5. quod sibi ipsis arrogarunt propter munditiam, cujus hypocrisin prolixius notavit l.c. *Theodoretus*, perfectæ renovationis possibilitatem urgentes, & studium securitatis profligandæ præ se ferentes. *Arium* etiam agitans in seculo quarto, pietatis larvam quoque induit. Etsi enim hic Diabolico furore percitus, æternam Christi Deitatem impugnatū i-verit, cum orthodoxis tamen loqui ex scripturis studebat. Sic enim malleus hæreticorum, *Athanasius*, t.I. opp. Orat.II. contra Arian. f.m. 307. Ariana hæresis ἀποκρίνεται ἀεὶ βλασφημίῃ τὰς τῶν γραφῶν λέξεις, ὡς ὁ πατὴρ αὐτῆς ὁ Διάβολος, speciem suam dissimulat, & literarum sacrarum vocibus, quasi honesto cultu induitur, ut pater ejus Diabolus; ac satagit de-nuo intrare in Paradisum Ecclesiæ, quo sub specie Christianismi nonnullos seducat. Accessit externa & fucata morum sanctitas, qua sanctimoniam vitæ etiam orthodoxorum superarunt. Ne de ja-ctatis ab Ariomanitis revelationibus quid dicam. Etiam *Colloquia Divina* *Donatus* ja-ctavit, memorante *Baronio* t.3. Annal. f.m. 413. cujus sectatores angelicam sanctitatem ab hominibus requisiverunt, notante *Daneo* ad *August.* de hæres. c.69. p.319. qui superiori, & nostro seculo, in Anabaptistis & Puritanis revixerunt. Constat præterea, ut de *Luciferianis*, *Audeanis* taceam, inter eos qui de *Messalianis* scripserunt, quod de singulari quadam cum Sp. S. communicatione gloriati fuerint, nil nisi preces urgentes. Sic enim *Theodoret.* H.E. l.4. c.10. *Enthusiastæ* dicuntur, quod Dæmonis cujusdam vim recipiant, quam πνευμαλῶς ἀγίας παρουσίας, Spiritus Sancti præsentiam esse putant. Mox addit, quod somno se de-mentes, τὰς τῶν ὀνειρώων φαντασίας, visa somniorum prophetias appella-rint;

rint; ἐκθεσιασµὸν secundum *Harmenop.* de sect. p. m. 572. Pertinet huc Adelphii confessio, & explicatio, qua ratione impium hoc genus hominum Sp. S. accedere, recedente spiritu nequam, crediderit. Quintum seculum Satanæ in angelum lucis μεταχηματισµὸν exhibuit in *Pelagianis* imprimis. Latens enim Pelagius, ut *Baronius* rursus loquitur t. 5. *Annal.* f. 330. ad ann. Ch. 411. sub monastico habitu, novus Proteus pro loco, & tempore, atq; personis sermonem mutans, cum sanctis sanctus æque apparere conatus est. Autor etiam est, qui sectæ hujus fraudes intime cognovit, *B. Augustinus* de hæres. ad Quodvult. c. 88. quod sectarii hi in id progressi fuerint, ut dixerint, vitam justorum in hoc seculo nullum omnino habere peccatum, & ex his Ecclesiam Christi in hac mortalitate perfici, ut sit omnino sine macula & ruga. Iisdem artibus in sequentibus seculis grassatus est Proteus infernalis, ceu, ut alia mittamus, Muhamedis exemplo cognoscitur. Epilepticus enim cum hic esset, Archangelum Gabrielem de cælo descendentem ad se, divina quædam arcanaque sibi revelare, cujus conspectum quia ferre non posset, se oborta ex metu vertigine, humi procumbere mentitus est, scriptore *Zonara* t. III *Annal.* f. 127. add. *Hottinger.* *Hist. Orient.* l. 1. p. 14. sqq.

§. 21. Sufficit ergo consensus quinquesecularis quoad veteritorium hunc Satanæ μεταχηματισµὸν. Nostrium, & superius seculum, easdem antiqui Veteritoris vidit artes in Fanaticis. Noti sunt superioris seculi homines, *Nicol. Störck*, *Thom. Muncerus* colloquia, & angelicas revelationes jactantes; ex quibus *Munceri* hoc mendacium præprimis fuerat, quod se DEI jussu cuncta agere finxerat, in somniis propositi sui fundamentum collocans, *Sleidano* memorante l. 5. Urgebat, eodem scriptore, inter alia, castigandum esse corpus, & macerandum jejuniis ac vestitu simplici, componendum esse vultum ad austeritatem. Scripsit contra generis hujus homines *B. Lutherus* egregium illum tractatum, ejusque partem II. potiss. *wider die himmlischen Propheten*/qui legitur tom. 3. *Altenb.* *Muncerus* hic fundamenta jecit fanaticæ Anabaptistarum & Enthusiastarum sectæ, notante *Hoornbeck.* *Sum. Controv.* l. 5. de Anabapt. p. 338. sqq. Supra jam ex *Calvino* audivimus, qua ratione *Anabaptistæ* nullum cætum Christi esse agnoverint, nisi in quo omni ex parte reluceat angelica perfectio; ex proph-

tiis & revelationibus seditiones & turbas cientes, ceu tragœdia Monasteriensis satis docuit. Nolo camarinam movere, facta mentione prolixiori *Somnij*, quod *Zwinglius* suæ sententiæ, in Controversia Sacramentaria, prætere non dubitavit, de *monitore*, de quo ignoravit, *ater an albus fuerit*: vid. *B. Dannhaw.* *H.C. Phant.* l. p. 62. sqq. Turbulentus etiam iste in Anglia spiritus, qui multiplici sectarum schemate monstrosus, in nefandum Caroli I. parricidium tandem an. 1649. defæviit, sub *Puritanismi* nomine primo innotuit. Longe ante jam Puritanismum illum, ex quo natus erat, hoc nomine suspectum habuit Jacob. I. ut ex Præf. *Doni* ejusdem patet. *Plus cæteris in religione, ac Puritate sinceri hi Novatores esse, ac alius videri volebant*, memorante *Lato* in *Comp. H. U.* c. 33. impudentes *adiaphororum* hostes. Natus est ex fanaticis his ac Anabaptisticis feminiis, sub majoris Puritatis velo fallaci *Brownismus*, *Separatismus*, *Independentismus*, qui tandem in *Quackerismum*, & famosam istam Tremulorum Enthusiatarum, præ aliis majorem perfectionem jactantium, sectam despumavit. Prolixius hæc legi possunt explicata ab *Honorio Reggio*, de *Stat. Eccl. Brit.* *Hoornbeck.* in *Sum. Controv. de Anabapt. Enthusiastis, & Brovvnistis*, & in nostra *Colluvie Quackerorum* art. II. *Cordate Creyghonus* in *Hist. C. F.* Præf. ad *Lect. de Anglicis* istis sectariis notavit, *illos præter arcana spirituum dictamina nil approbare, nec audire quenquam se pati, nisi qui eorum mendacia propugnat, & rabiosi facinora pigmentis sic dealbat, ut ipsos à natis hominibus solos patria libertatis vindices, cultoresq; purissimæ religionis astruere videatur.* Eodem, jactatam quod attinet perfectionem, fastu laborarunt in Germania *Weigeliani*, *Fratres Roseæ crucis*, alique, qui singularis cujusdam sanctitatis speciem præ se ferentes, perniciose simul disseminarunt dogmata. *Conf. Gerhardi* *Dispp. Theol. P. II. de Nov. Fanat.* Ita Rempublicam, Ecclesiam, ejusque orthodoxiam turbaturus Satanæ, habitum angelilucis induit, sanctitatis schemate illudens.

§. 22. Cæterum præter hunc fictæ pietatis & sanctitatis *μεταφυσικισμὸν*, etiam haud raro, ubi operæ pretium esse observat spiritus mendax, singularis concordia, & fraternæ in Christo Charitatis speciem præ se ferens, schemate Syncretistico illu-

illu-

illudere parum cautis, & in fidei deposito conservando languidioribus, solitus fuit. Nimirum uti PURITANISMO, & PHARISAIISMO, PIETISMO item, sudes in oculis sunt ἀδιὰφορα, & libertas Christiana; ita SYNCRETISMUS fallaci concordiae religionum dissentientium ineundae vultu, laxatis etiam disciplinae Christianae vinculis, tolerantiam & fraternam charitatem, nulla fidei existente consanguinitate, melioremque Ecclesiae statum offert. Jure vero B. Dannh. Theol. Consc. t. I. p. 633. machinam hanc *mulsum toxicum, sepulchrum dealbatum, Daemonem angelica larva indutum, mysterium fraudis* appellavit. Facies haec quomodo variaverit, varietque, ex Historia sacra & Ecclesiastica cognoscitur. Nostro autem quid actum fuerit seculo, tentatumque, Calixti, Durai, Dannhaveri, Hülsemanni, Calovij scripta, hoc nomine edita, Acta item Synodi Charentonensis, & Colloquij Cassellani docent. Finis est religionum confusio, apostasia, Libertinismus, religio Eclectica, & tandem Atheismus.

§. 23. Cæterum haec non sic intelligi debent, quasi vera & sincera pietas, quae est fructus Spiritus Sancti, Gal. 5, 22. sqq. & in qua excolenda multi justo sunt negligentiores, nobis non cordi, curaeque esse debeat; vel ad renovationis etiam incrementum non contendendum indies magis foret: *Accepistis à nobis, inquit Apostolus 1. Thess. 4, 1. τὸ πῶς δεῖ ὑμᾶς περιπαθεῖν ἢ ἀρεσκειν θεῷ, ἵνα περισσεύετε μᾶλλον, quomodo oporteat vos versari, & placere DEO, ut abundetis magis: Vel negaremus, multos libertate Christiana abusos, debitos in renovatione & sanctificatione profectus negligere, quibus studium pietatis genuinae, quae ad sanctificationem & renovationem quotidianam pertinet, omnino inculcari debet: Licet ab ἀκμῇ hujus renovationis usq; eo remoti in hac vita maneamus, ut, si omnia etiam fecerimus, Christo praecipiente Luc. 17, 10. dicere debeamus, ὅτι δέλοι ἀχρεῖοί ἐσμῶν, servi non frugi sumus. Quanquam enim Heinsio Exerc. sacr. c. 15. ἀχρεῖοι sine dubio h. l. sit ἡδω, humilis, abjectus, ταπεινός; cordate tamen contra statuit B. D. Seb. Schmid. in Diss. super h. l. de Merito, quod non appareat, quare à certa, & nota significatione vocum δῆλον ἀχρεῖοι, servus inutilis, vel nequam, & non frugi potius, h. e. qui longe non praestat quod praestare debet, discedendum sit.*

Conf. Matth. 20, 30. *Tentanda, ait, sane prius sunt omnia, quam à nota & certa vocum significatione discedendum. Quare nos in ista significatione permanemus, statuimusq;, Dominum velle, ut nos dicamus servos nequam, servos qui non præstent præstanda, etiam tum, cum omnia præstitimus.* Gratis vero dicitur *humilitatem* tantum hic præcipi à Christo, uti apud Bellarm. 5. de Justif. c. 5. hæc legitur exceptio. Intelligitur enim *dicere*, quod requirit inesse, notatque confessionem, & agnitionem rei, prout revera se habet. Nimirum quod, si omnia fecerimus, quæ præcepta nobis sunt, cum magna, tantaque imperfectione à nobis illa facta esse censeferi debeant, quæ à renovationis perfectione longè absit.

§. 24. Studium vero concordia Ecclesiastica quod attinet, etsi rixæ, ambitio, dissidia, nobis non placent, nolumus tamen imagine pietatis, & pacis, Diabolum nobis imponere, & insidioso glaucamate simplicitatis nos fallere, conjungentes cum nostro loco verba Pauli 1. Cor. 5, 6. 1. Cor. 10, 21. 2. Cor. 6, 14. Phil. 1, 10. Addimus proin monitum in fraudibus hujusmodi detegendis exercitatissimi Theologi, B. Dannhaveri, Myster. Syncretis, p. 66. *Eadem serpentis antiqui, à quo nobis tam provide cavet Apostolus 2. Cor. 11. quæ Rhæni nostri est indoles: litori nunc ulteriori gravior incumbit, nunc ulteriori addit, demitve, nunquam accolis æquus: Ita versipellis ille spiritus in omnia extrema fertur. Cum Polemica ardent, friget pietas: Cum hæc incalescit, ac ad Enthusiasmos inclinatur, illa proscribuntur. Nunquam tamen ita male cum rebus humanis actum est, quin ex ungue leonem, ex spuma Draconem, è vestigio feram indagare potuerint, ac discernere vera à confuso, divinum ab humano carnis invento vigiles & ἀληθείας ἰσχυροῦς, semper est pes, quem retere non potest is, qui angelum lucis mentitur,*

§. 25. Format Bresserus l. 5. de consc. c. 12. n. 99. quæstionem, an peccatum sit adorare Diabolum casu, quo apparet specie Christi crucifixi, affirmatque casu, si is cui apparet invincibiliter DEUM esse ignorat, quia tum simpliciter & absolute Christus adoratur, non diabolus. Exempla Diaboli sic apparentis enarrat Cornel. à Lap. Com. ad nostrum locum. Thyraeus de Apparit. Christ. Sacra. tract. II. c. 22. p. m. 219. sqq. *etiam apparitiones Christi sacramentales sub peregrinis quandoque speciebus Daemonum opera fieri posse,*

posse, factaque contendit, exemplisque probare nititur. Si enim, inquit, *Dæmones Christi speciem, atque imaginem, absente sacramento aliquando exhibuerunt, quid prohibet exhibeant præsentem?* Addit tamen, *sola sensuum illusione, absq; ulla reali sacramenti immutatione, (qualem nos penitus negamus,) istas apparitiones fieri. Nolumus de hac fraude Diaboli, & exemplorum qualitate, cum Thyrao contendere. Casum autem, data ejusmodi apparitione, à Bressero propositum, quod attinet, Thomas 2. 2. q. 10. art. 2. ad 3. monet, quod ille qui credit malum angelum esse bonum, non dissentit ab eo quod est fidei: quia sensus corporis fallitur, mens vero non removetur à vera, rectaque sententia: Sed si aliquis Satanae adhereret, cum incipit ad sua adducere, id est ad mala & falsa, tum non careret peccato. Verum invincibilis ignorantia nondum est probata, cum omnes visiones, apparitiones, & revelationes, nobis, qui hodie ad legem & testimonium tantum, Es. 8, 20. ad Mosen & Prophetas, Luc. 16, 29. remittimur, suspectæ esse debent. Et cum Diabolus angelum lucis induerit sæpissime, & induat adhuc, tutius, & rectius, istæ apparitiones rejiciuntur. Gal. 1, 8. Certe qui probabili, imo certissimo, & præsentissimo peccandi periculo se exponit, cui se exponere non debet, quod fit illo quem ponimus casu, ille à peccato non est immunis, licet non ex malitia peccet. Negari etiam nequit, quin Diabolum pro Christo adorans erret in applicatione, quæ cum non satis caute fuit instituta, & vincibilis, in foro conscientia est inexcusabilis. Nec simpliciter admittitur, mentem à vera sententia non removeri. Licet enim hoc verum sit quoad conceptum formalem, non verum tamen est quoad conceptum objectivum, in quo non datur error simpliciter invincibilis, modo teipsum non præcipites, sed verbi divini monita sequaris, ceu exempla à Cornel. à Lapide, ab ipso etiam Thyrao allata confirmant. Sui proditor est Diabolus. Docent id historia. Tutius hic eligendum.*

§. 26. Relinquitur ex dictis I. *Angelos sanctos esse ad imaginem DEI creatos.* Dicuntur enim angeli lucis; qua denominatione perfectio illorum naturalis, & primigenia notatur, imago DEI scil. quæ lux est, ceu superior, docet explicatio.

Per-

Perfectione hac, imagine DEI, exciderunt cacangeli, qui hoc nomine larvam quærent bonorum angelorum, sanctitatis simulatione, quo fallant.

§. 27. II. *Malitia pravorum angelorum, mendaciis, & prestigis se singulari versutia exerens, efficacissime fallit.* Μεταγνηστικῶς enim Satanas in angelum lucis. Schemate angeli lucis sic tegitur, sibi que illud adaptat, ut non statim semper discernere liceat, bonusne, an malus angelus sit, qui apparet. Seculi quarti historia id eximie docet, quum primitivæ Ecclesiæ Charismata, inter quæ visiones, somnia & Prophetiæ fuerunt, rariora fieri inciperent. Bene B. D. Calov. *Isagog. ad Theol. l. 1. c. 8. p. 175. nec vero, inquit, vel ex habitu, vel ex apparitionis modo, vel etiam ex revelationis objecto, facile est discernere angelum bonum à malo: cum in his omnibus bonorum angelorum speciem mentiri possit Diabolus.*

§. 28. III. *Sanctissimam itaque, atque quam maxime piam, licet etiam præ se ferant faciem jactata hodie visiones, somnia, angelorum, & Christi etiam apparitiones, & ex immediata DEI, vel angelorum revelatione factæ scripturarum interpretationes, omni tamen jure suspectæ esse debent, cum à fallaci Diaboli μεταγνηστικῶς, nobis cavere debeamus, & in hunc finem nobis etiam à Spiritu Sancto ista fraus cacangelorum revelata sit, ut firmiori verbo prophetico soli eo diligentius attendamus. 2. Pet. 1, 19. Cavere nobis debemus à spiritibus impostoribus ultimorum temporum, ni à fide velimus desciscere. 1. Tim. 4, 1. Rectius ergo facimus, si solis scripturis attendimus, quæ solæ fidei certitudinem pariunt, nec audimus illos qui jactant revelationes.*


§. 29. IV. Non probamus, quod Bellarminus, cum l. 4. de V. D. c. 9. dixerit, *non novis revelationibus nunc regi Ecclesiam, sed in iis permanere, quæ tradiderunt illi, qui ministri fuerunt sermonis; l. 2. de reliq. sanct. §. sexto c. 3. ex revelatione tamen divinitus facta sanctorum corporum reliquiarum cultum probatum iverit.* Nec movemur exemplis, quæ à Sozomeno H. E. l. 5. c. 8. de Eusebio, Nestabo & Zenone; l. 7. c. 28. de reliquiis Abacuci & Michæ, Prophetarum; l. 9. c. 2. de quadraginta Martyrum reliquiis, referuntur.

APPEN-

APPENDIX
DE
FANATICIS.

§. 1.



De *Fanaticis* hodie frequens sermo est, multis licet, quis *Fanaticus* sit, & dici debeat, ignoretur. Nec nova vox est, sed florente etiam Augusti temporibus Latinitate, jam nota & usurpata, ceu ex *Horatio*, *Juvenale*, & aliis constat. Originem vero vocis hujus quod attinet, cum alii à *Fanum* eam eunt derivatum, placet aliis à verbo *fanare*, quod à *fanum* descendit, dici *Fanaticum*. Sic enim *Becman*, de *Origin. Lat. Ling.* p.m. 449. à *fanum*, inquit, est *fanare*, apud *Varron.* l. 5. de *Lat. Ling.* hodieque cernitur in *profanare*. Ut à *viatum viaticum*; ab *erratum erraticum*; ita dicimus à *fanatum fanaticum*. *Fanum* itaque cum significet templum, locum religiosum, uti *Ciceroni* accipitur; quicquid sit de hoc, quod alii *fanum* proprie esse dicant aream templi & solum, *templum* vero ipsum ædificium; uti *fanare* idem videtur esse, quod in fano curare, Diisque servire, ita *Fanaticus* audivit, qui tali ministerio fuit adscriptus apud Gentiles, ut in fano sacra curaret, Deoque ibidem consulens, illorum numine, ut credebatur, plenus, & sic , responsa daret. Hujusmodi *Fanatica* fuit *Sibylla* illa, *Apollinis* ministra, *cujus antrum immane petiit Aeneas, magnam cui mentem animumque Delius inspirat vates aperitque futura,* in *Virgil.* 6. *Aeneid.* v. 9. sqq. Consentit *Isidorus Hispalensis* *Origin.* l. 15. c. 4. *Fana*, inquit, dicta à *Faunis*, (de quo alii disquirant) quibus *templa error Gentilium construebat, unde consulentes demonum responsa audirent*; per *Fanaticos* scil. quorum munus fuerat sacra in istis *Fanis* curare, *Deastros* aliorum verbis consulere, & illorum responsa referre.

D

§. 2.

§. 2. Secundum Gentilium disciplinam itaque *Fanaticus* appellatio honesta ab initio fuit, & nomen officij potius, ut videtur, quam *status*: Id licet non negaverim, hoc officii nomen simul connotasse statum sacerdotis in munere officij sui constituti. Hinc G. J. Vossius Etymol. Roman. voc. FANUM f. 204. Quod ad *Fanaticorum*, inquit, *appellationem*, PROPRIE dicitur de sacerdotibus: certo nimirum illorum ordine, qui oracula fundebant, & futura vaticinabantur, vel vaticinari credebantur. Rudolph. Hospinianus de Orig. templ. l. 1. c. 7. f. m. 18. b. *Fanatici*, ait, dicti sunt *idcirco*, quod in Fanis, hoc est in templis, sacerdotes oraculum edituri, hujusmodi furore corripiebantur, quo non sua sponte, sed divino numine ferri credebantur. Sæpius hoc sic contigisse, ut tali furore pleni atque acti futura prædixerint hujus generis vates, non equidem negatur; addimus tamen, etiam tranquillos id interdum fecisse. Proinde non dubitamus duplicis generis Fanaticos constituere, quorum alii furore dæmonis afflati vaticinati sunt; alii vero tranquille id, Numinis uti crediderunt impulsu, fecere. Patet hoc exemplo Heleni, de quo Virgil. 3. Æneid. v. 366. sqq. qui manu tenens Æneam sic cecinit: *Nate Dea, pauca tibi è multis, quo tutior hospita lustres æquora, & Ausonio possis considerare portu, expediam dictis: prohibent nam cætera Parca scire Helenum, farique vetat Saturnia Juno.* Helenum hunc vatem, divumque Interpretem, vere & proprie talem Fanaticum fuisse certum est, extra furorem licet futura Æneæ prædixerit. Prima itaque hæc, & propria, frequensque Latinis scriptoribus vocis *Fanatici* est acceptio. Doceri hæc ulterius non solum potest ex Gruterianis Inscriptionibus; sed & ex aliis autoribus. Insignis est Inscriptio, quam exhibet Gruterus in Inscript. Antiq. f. 312. lecta Romæ in ædibus P. Portii: L. CORNELIO JANUARIO FANATICO: & extra Romam in Vaticano ultra prata: Q. CÆCILIO APOLLINARI, FANATICO DE ÆDE BELLONÆ. Apud Livium vero dicuntur Galli Matri magnæ à Pessinunte occurrisse cum insignibus suis, vaticinantes *fanatico carmine*, Deam Romanis viam belli & victoriam dare. Dicitur quidem *fanaticum carmen* etiam, quod *μανομῆς σῦμα*, ore furenti, ut loquitur Plutarchus, & dæmone afflati vatici-

vatici-

vaticinantes isti cecinerant. Sic furore vero correptos sacerdotes Romanis occurrisse, est de quo merito dubites. Alias ex Poëtis *Juvenalis* Satyr. V. l. 1. v. 123. sic canit: *Fanaticus æstro percussus, Bellona, tuo divinat.* Hujus enim Deæ, quæ & Minerva audit, sacerdotes, sui sanguinis effusione impia rem divinam faciendo Bellonæ hujus, verius Dæmonis, afflatu correpti, & præsentia explicabant, & de futuris vaticinabantur. Degeneravit verò significatio à primo & proprio sensu ad usum quendam laxiorem, uti aliis verborum significationibus idem accidit. Malo, quo pacto id contigerit, *Gerh. Joh. Vossii* verbis potius, quam meis explicare. Sic vero ille l.c. *Verum quia hi sacerdotes, Fanatici dicti, Oraculum edituri divino furore corripuntur, eamque opinionem crebra capitis quassatione, ac aliis insanientium indicis adjuvabant; inde est, quod Fanaticus etiam sumitur pro furioso, & insano.* Gestus Fanaticorum sic in fanis suis, & Fanaticarum in antris suis insanientium, ad quos *Vossius* respicit, qui fuerint, ex Gentilium sat constat scriptis. Βακχίαν enim & μαινίαν, insaniam & debacchationem Pythiæ tribuit *Plutarch.* de Orac. def. t. 2. opp. f. 432. Cassandræ furorem phœbejum ita cecinit *Seneca* in Agamn. v. 700. *Silet repente Phœbas, & pallor genas, creberque totum possidet corpus tremor. Steteret vitta, mollis horrescit coma, anhela corda murmure incluso fremunt. Incerta nutant lumina, & verso retro torquentur oculi, rursus immites rigent. Nunc levat in auras altior solito caput, graditurque celsa. Nunc reluctantes parat referare fauces; verba nunc clauso male custodit ore. Manens impatiens Dei.* Plura hujus generis tam ex Gentilibus, quam Ecclesiæ Patribus, collegit *Ludovicus de la Cerda* Comment. in 6. Æneid. f. 608. Solent vero furiosi, ceu constat, varie, variisque gestibus, temere huc illucque ruere atque ferri, prout internus impetus agitated abripit. Melancholicis, quorum nimirum melancholia ad furorem processit, & Lymphaticis non absimiles hos pronunciat *Paulus Zacchias* quæst. Medic. Legal. l. 2. tit. l. q. 18. §. 24. p.m. 18. sq.

§. 3. Usui huic Profano succedit vocis hujus usus Ecclesiasticus. Observat hic *Carolus du Fresne* in Glossar. ad script.

med. & inf. Latin. voc. *Fanum*, quod *Fredegaro*, & aliis, *Fanaticus* idem fuerit, quod *Gentilis*. Sed *latius* hodie patet nominis hujus usus in Ecclesia. Solemus enim, ceu famosiori significatu, hoc elogio notare illos, qui & ex vana imaginatione quadam sibi divinam vocationem ad aliquid, inspirationemque arrogant, fingunt, & præsumunt, & uti *Spanhem*. Dispp. Theol. P. II. D. XVI. de Enthuf. §. 4 loquitur, *vel Diabolicis, vel melancholicis, vel voluntariis illusionibus divinam revelationem tribuendo, se aliosq; circumducunt*. In vulgus edunt tales, *se verae religioni docenda, propagandæque divinitus designatos, & ordinatos esse. Spiritum flare, ubi velit, nec ministerio Ecclesiastico, vel Cathedrae Academicæ esse alligatum. Sufficere dona interna; datamque occasionem docendi, pro vocatione habendam esse, eidemque æquipollere*. Hujus generis vanitatibus, & singularitatibus ineptis, cum Anabaptistæ inescati sint, hac de causa *Fanaticorum nomen iis hæsit*. Conf. *Spanhem*. de Orig. & progress. &c. Anabapt. §. 28. Angliæ *Fanaticorum*, *Honorio Regg*. de Stat. Eccles. Britann. explicante, hoc etiam fuit Axioma: *Spiritum ubi velit, flare, nec alligatum Academiis*. Itaque internam vocationem cum donis ad tantum munus necessariis, accedente alicujus congregationis desiderio, *sufficere*. *Sibi quidem abstinere non licitum, nisi veritatem in injustitia detinere, & talentum suum abscondere velint*. Imaginaria hujusmodi vocatione, & docendi jure infatuati, non in Anglia tantum superioribus temporibus, cum sectariorum colluvie miserabilis insula oppleretur, eodem *Reggio*, h. e. *Georgio Hornio* in H. E. p. 252. memorante, multi ex plebe sibi licentiam prædicandi asseruerunt; sed & alibi iisdem principiis seducti, etiam ignorantes unde, *Calcearj* ad similes exercendos conatus grassati sunt. Facilius Herculi clavam extorferis, quam his hominibus libertatem prophetandi. Tanta vis est in mente humana superstitionis, à qua Fanatismum non abesse videmus.

§. 4. *Adjunctum* ejusdem Fanatismi est *species Pietatis & Sanctitatis* externa, cum singulari morum gravitate, vitæ compositæ studio, precum denique ardore: qua specie etiam *Caspar à Schwenckfeldt*, suo tempore multos sibi obnoxios habuit.

buit. Fuit autem hæc Fanaticorum species jam ab antiquo, graviter hoc fallendi genus artis, ejusque origines, notante D. Paulo 2. Cor. XI, 13. cum *falsi Apostoli*, inquit, *operarij dolosi transformant se in Apostolos Christi. Et non mirum est: Ipse enim Satanas transformat se in Angelum lucis. Non mirum itaque est, si etiam ministri illius se transformant, quasi essent ministri justitiæ.* Quem Apostolicum insignem locum cum supra jam illustratum ivimus, prolixior ejus explicatio nec necessaria ulterius, nec hujus loci & instituti est. Id monendum, pietatis externa specie, prætenso cum DEO commercio aliquo singulari, jactatis visionibus Angelorum, ecstasibus & raptibus, apparente precum quoque ardore, nos non sic debere commoveri statim, ut pro auro habeamus, quod sub specie auri fallit. *Videte*, monet Christus, Matth. XXIV, 5. *ne quis vos seducat*; id quod efficacissime etiam fit, &, ceu Historia Ecclesiastica etiam docet, factum est per fallaces sanctulos, qui *similes sunt sepulchris dealbatis, quæ foris quidem apparent pulchra, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, & omni immunditie*; quo simili Sanctus sanctorum *Pietismum*, h. e. fictam pietatem Phariseorum explicatum ivit, Matth. XXIII, 27. Hoc enim est, quod *Pietismi* nomine intelligimus; Minime infucatam Asceticam, & infucatæ pietatis exercitia; quæ etiam apud pios mortales boni promovent Angeli, resistentes cacangelis, cum alias, tum etiam imprimis, quando ad fallendos pios se in Angelos lucis transformant. Quis enim putet, hanc fallacis malitiæ partem DEUM Satanæ furori liberam relictam, non intra certos terminos coercere? Certe quod Fanatismum attinet, & fictæ pietatis speciem, *Βαδ* malitiæ Satanicæ tam profundum, & imperscrutabile est, ut oculatissimis etiam possit imponere, & imposuerit. Solicitum proin examen spirituum ut aliorum 1. Joh. IV. ita & illorum, qui Pietatem prædicant, ejusque cognitionem, & studium sibi præ aliis arrogat, instituamus necesse est, ne fallamur. Sane & *Magos*, non *Veneficos* istos sceleratos, sed justitiæ Universalis & socialis doctores, Pythagoram, Zamolxin, Empedoclem, Platonem, vitæ civiliter sanctæ fuisse studiosos, satis notum est, quos tamen cum *demonibus commu-*

nicationem habuisse, etiam neminem latet. Apud *Persas* Ma-
 gorum quod fuerit institutum, illorumque cum vitæ justitia
 exteriori quale conjunctum cum spiritibus malis commercium
 extiterit, *Diogenes Laërtius* de vit. Phil. in proœm. memoriæ
 prodidit, memorans, *Magos* Deorum vacare cultui, & preces illis
 ac vota, & sacrificia, quasi soli ab illis exaudiantur, offerre; de Deo-
 rum substantia & generatione differere, quos item ignem, terram &
 aquam esse arbitrantur: signa statuasque reprehendere, & eorum in-
 primis, qui mares esse Deos ac foeminas dicunt, errores improbare, de
 justitia verba facere, &c. divinationem præterea, prædictionemq;
 exercere, sibi Deos apparere asserentes. Mox de iisdem refert idem
Diogenes, quod illis vestis candida; lectus, humus: esca, olus, caseus,
 panisque cibarius fuerit. De frugalitate etiam illorum, sobrie-
 tate item & abstinentia, *Hieronymus* & *Clemens Alexandrinus* per-
 hibuerunt testimonia. Mittamus *κακαγγέλων* fucum, quam
 speciosus etiam sit. Bonorum Angelorum potius imitemur
 sanctimoniam, quæ sincera est. In veritate enim
 perstiterunt, qua Diabolus excidit,
 Joh. VIII, 44.



DE
ENTHUSIASMO
DIVINO ET DIABOLICO.

ad Apocal. I, 10.

§. 1.



DE *Fanaticis*, qui *Fanatici* nimirum sint, atque sic dici debeant, alia diximus occasione. Συρωπιμος vero cum *Fanatici* etiam *Enthusiastæ* audiant, & *Fanatismus* etiam *Enthusiasmus* dicatur, *malus* scilicet, Exercitatione ad Apocal. I, 10. verba: Ἐξήραμεν ἐν πνεύματι, instituta, præmissa prius vocis hujus ex-

plicatione, dein quæ ad *Fanatismi* seu *Enthusiasmum* naturam explicandam facere, & pertinere videbuntur, intra terminos disquisitionis alicujus Academicæ explicare conabimur. Adsit nobis Spiritus Sancti gratia!

§. 2. Verba S. Johannis ad quæ instituti nostri causa aliquid meditabimur, ex Apocal. c. 1. v. 10. desumpta sunt. Canonicam hujus libri autoritatem quod attinet, ne de illis quid dicamus, qui cum *Cajo*, ceu videtur, in l. contr. *Procl. Cataphryg.* quendam primipilum, apud *Euseb. H. E. l. 3. c. 28. edit. Vales.* aliisque, quorum mentionem facit *Dionysius Alexandrinus* in l. 2. *Ἐπιπαινετικῶν*, de *promiss.* Cerinthum hæresiarcham harum revelationum autorem fecerunt, quæ tamen *Jesu Christi* Deitatem contra Cerinthi *χερισμάχης* rabiem tam manifeste asserunt, solide in antiquitate jam confutatis; suo hic indulgens genio *Ribera* Comment. in Apocal. injurius est in nostros, cum sic scribit: *Lutherani quantum possunt de ejus autoritate detrahunt, modo autorem esse negantes Joannem Apostolum, & Johanni quidem Presbytero Asiae adjudicantes: modo ejus prophetiās, quasi fabulis plenas irridentes.* Quanquam enim quidam ex nostris cum *Dionysio Alexandrino*, de Apocalypseos hujus autore dubitarint, vel quis iste fo-

ret, in medio reliquerint; minime tamen verum est, fuisse ex Lutheranis, qui *prophetias* has pro *fabulosis* habuerint; quas communi consensu semper pro *θεωρηματικαῖς* habuimus, & hodie adhuc habemus. Conf. *Gerhard.* in Exeget. L. de script. sacr. *Hoe* in Comment. P. I. f. 1. sq. *Calov.* in Bibl. illustr. N. T. t. 2. f. 1709. sqq. Adde alias quæ pro Canonica autoritate Apocalypf. novissime etiam scripsit *Du Pin* in dissert. Prelimin. sur la Bibl. l. 2. ch. 2. §. 12. p. 68. sq. Quod vero Apocalypticarum Prophetiarum impletionem, & ad statum Ecclesiæ applicationem concernit, distinguendum censemus inter ordinem visionum, & rerum five eventuum. Hic cum non semper idem sit, de quo post *B. Dannhau.* Hodol. p. 760. nostratem, etiam *Frassenius*, Doctor Parisiens. Disquisit. Bibl. l. 3. §. 25. n. 16. p. 757. non satis firmiter Chiliastræ ex Apocal. c. 20. ex ordine visionum, quo revelationem de damnatione bestię, sequitur visio, & revelatio *Johannis* de quodam millenario, suum hinc probant Chiliasmum, qui *Papiam* potius, *mediocri ingenij hominem*, σφὸδες σμικρὸν ὄντι & ἄλλοι, *mediocri admodum ingenio præditum*, judice *Eusebio* H. E. l. 3. c. 39. si non *Cerinthum* ipsum, quam *Johannem Evangelistam* autorem habet.

§. 3. Licet vero verba hæc: *Ἐν πνεύματι ἐν πνεύματι*, *eram in spiritu*, satis clara sint; in illis tamen explicandis Interpretes diversimode sentire constat. *Ambrosius* Exposit. super Apocal. B. Joh. c. I. t. III. opp. f. 804. ad verba nostra ita notat: *In spiritu se fuisse dicit: quia tanta mysteria quæ sequuntur non carnalibus, sed spiritualibus oculis videri poterant. Animalis enim homo non percipit ea, quæ sunt spiritus DEI.* *Aretæ* Cæsareæ Cappadociæ Episcopi. explanatio horum verborum in Comment. ita habet ex *Maximi Florentini* versione: *Addit, in spiritu, ut indicet, nequaquam humana indiguisse operatione, sed illustrationibus manifestationibusve per habitationem DEI in se.* Desumpta hæc sunt ex *Andrea*, Cæsareensis Cappadociæ Episcopi, quem sub initium seculi sexti floruisse opinatur *Bellarmin.* de Script. Eccles. ab ann. 500. p. m. 161. sq. Comment. in Apocal. Similiter qui interjecto tempore Episcopus Uticensis in Africa fuit *Primasius*, in Apoc. c. 1. p. 6. ita scripsit: *Hæc, ne carnali phantasmate putaretur illusus (Johann.) in spiritu se fuisse & vidisse testatur.* Ex Romano-Catholicis

licis Haymo Halberstadiensis Comment. in Apoc. l. i. verba nostra sic explicavit: Hic jam aperte demonstratur, B. Johannem hanc visionem non corporaliter, sed in spiritu vidisse, non tamen in somnis, sed in extasi raptus est, sicut & Ezechiel, qui cum sederet in domo sua, & senes Juda sederent coram illo ductus est mente in Hierusalem. Itaque, sicut dictum est, nihil per corpus vidit, vel audivit, vel sensit, vel intellexit, vel ipsam carnem funditus deseruit, quando hanc revelationem vidit, sed docendus ejus Spiritus à Spiritu docente assumptus est, ut alta & mystica posset intueri. Salmanticensis SS. literarum interpres Franciscus de Ribera Comm. in Apoc. c. 1, p. 43. probat, atque sequitur Haymonis interpretationem, esse, inquit, in spiritu Johannes dicitur, non quod extra corpus fuerit, sed quod cum in corpore esset, nec corpore tunc utebatur, nec sensibus, sed raptus erat, & elevatus supra corpus. Similiter magni suos inter aestimatus Ludovicus ab Alcasar, in Comment. in Apocal. quos Augustinus Antolinez in censura plane mirabiles appellavit, l. 1. P. II. in paraphr. c. 1. verborum nostrorum, hanc fecit paraphrasin: *In extasin raptus divinissima revelationis spectator fuit.* Ast ex Reformatis Bullingerus in Apocal. Com. f. 13. ad locum nostrum ita commentus est: *Ceterum cum sciret Apostolus, die Dominica in omnibus coetibus sacris res sacras operari fideles, quibus interesse non potuit corpore, spiritu & contemplatione eis adfuit: cumq; ita esset in spiritu & contemplatione rerum divinarum, ac in precibus sacris, audivit vocem de qua mox dicitur.* Ita quidem Bullingerus, à quo non dissentit Aretius, Comm. in Apocal. l. c. f. 151. *in spiritu esse, inquit, est in deprecationibus esse, cum DEO agere, qui Spiritus est, & spiritu coli vult.* Coccejus vero, cujus non minor est apud Reformatos autoritas, sic explicat h. l. *Esse in spiritu significat animo accipere Spiritus Sancti alloquia, & ὁπαισία, atq; interim sensus otiosos habere: nisi dicamus etiam oculis & auribus ejus voces atq; formas à Spiritu S. fuisse ingestas.* Ὁ ἀμφοτερίζων Grocius in annot. h. l. ad verba ἐξ ἑμῶν ἐκ πνεύματος, id est, notat, cum DEI Spiritu. Sic, addens, & qui à Demonibus possidentur, dicuntur esse ἐκ πνεύματος ἀκατάστατοι, Marc. I, 23. V, 2. Nostros vero etiam audiamus interpretes. Ex his B. Winkelmannus in Comm. h. l. p. 36. quid sit esse in spiritu, sic interpretatur: *Nimirum cum Johannes in exilium ejectus sacris congressibus*

bus interesse non posset, ipse privatim meditationi sacrorum mysteriorum vacavit. Hinc quasi in Ecstasi raptus fuit, quemadmodum Ezechiel. 1. cap. atq; in hac quasi ἐκστασι, & ἐνθουσιασμῷ facta ei est revelatio. Sed qui post Winckelmannum majori nisu arduum explicandi Apocalypsin opus est aggressus B. D. Hoë in Com. l.c. f. 29. duriolem & incommodiorem illorum dicit esse interpretationem, qui in Spiritu esse idem ac ἐκστασι pati, ac ἐνθουσιασμῷ rapti, arbitrantur. Mavult proinde sic illud interpretari, ut sit intendere cogitationes spiritualibus mysteriis, & tum seriae precatiōni, tum ardentissima meditationi pleno Spiritu operam dare. Ita quidem ὁ μακάριος. At B. Cluverus in Com. ad h.l. f. 38. dissentit, quid sit, inquit, esse in Spiritu ex similibus colligendum est scripturae locis, Apoc. 4, 2. Jussus ascendere in caelum Johannes, ut futura conspiciat à Domino praemonstranda, statim se dicit factum esse in Spiritu. Ubi perspicuum est, de rapto & singulari excessu mentis, à Spiritu Sancto illustrata, usurpari hanc phrasin.

§. 4. Etsi vero, ceu ex productis constat locis, nonnulli Clarissimi nominis Interpretes, verba Johannis, ἐνθουσιασμῷ ἐκστασι, de mentis quadam intensione ad contemplationem rerum divinarum, meditationem item, & serias preces, quae sit ab attentione ad res externas avocatorum, explicare malint, ea fere ratione, qua Mystici pra aliis moderatiores, quando suis indulgent contemplationibus, se in Spiritu esse dicunt; plures tamen de vero rapto divino, & statu animae à Spiritu Sancto inhabitante illustratae, verba Theologi nostri explicant, Andreas scil. Aretas, Primasius, Haymo, Ribera, Alcasar, Coccejus, Beza, Winckelmannus, Cluverus, Glassius, Calovius & alii, quos nos etiam sequimur. Quanquam enim Gomarus, cum in Spiritu esse dici ait vel de Spiritu infinito DEI, ut idem sit quod à Spiritu Sancto correptum esse; vel de Spiritu finito seu anima hominis, ut denotet proximum Apocalypseos receptae subjectum, nempe Spiritum ac mentem, ut significetur, revelationem hanc internam in mente scil. fuisse, statuere videatur, diversas esse has explicationes; attamen cum conjungendae istae non separandae sint, in re dissensus non est, ceu Haymo satis perspicue docet. Explicans enim quid sit esse in Spiritu, Johannis spiritum docendum à Spiritu docente assumptum fuisse ait.

§. 5.

§. 5. Priorem itaque quod attinet sententiam, quæ de
 attenta *contemplatione & meditatione de DEO, rebusq; & mysteriis*
divinis, atque seriis precibus τὸ ἐν πνεύματι ἐν πνεύματι, *eram in spiritu,*
 intelligit; quæ B. D. Hœi nostri est ἐξήγησις, quamque & Bullingeri
 & Aretij interpretationem esse notavimus; illa in textu non vi-
 detur esse fundata. Quanquam enim die Dominica ἐν πνεύματι,
in spiritu fuerit Johannes, quæ cultui externo tam publico
 quam privato, Sabbathoque animæ interno, devote præstan-
 do destinata est, non recte tamen inde infertur, à Spiritu Sancto
 eundem hac die non fuisse correptum ad cognoscendas visio-
 nes, quas menti illius objecerat, cum sit res die Dominica non
 indigna, nec factum cum profanatione Sabbathi conjunctum.
 Licet insuper Joh. 4, 23. quando de adorantibus Patrem ἐν πνεύ-
 ματι, *in spiritu & veritate* sermo est, non in extasin rapti intelli-
 gendi sint, sed qui vera fide eundem adorant, ut explicat B. D.
 Seb. Schmid. in Paraphras. h. l. B. Athanasius licet ex veteribus de
 ipsa Spiritus Sancti persona locum intellexerit, t. 1. opp. Epist.
 ad Serap. Sp. S. non esse creat f. 208. inde tamen nondum se-
 quitur, etiam h. l. ἐν πνεύματι, *in spiritu esse,* significare *seria pre-*
cationi, vel ardentissimis meditationibus & cogitationibus intentum
 esse; cum analogia contextus aliud monstret. Initium enim
 visiones explicandi facturus D. Johannes, non locum & diem
 tantum, quo prima visio ipsi obtigerat, exprimit, sed & mentis
 suæ statum, modumque visionis notat. Nimirum ἐν πνεύματι,
in spiritu fuit Johannes, Spiritu Sancto mentem correpti ele-
 vante ad intuendam visionem, & spectanda ea, quæ menti di-
 vinitus elevatæ objiciebantur. Sic enim ἐν πνεύματι ἡ μὲν &,
in spiritu existens, si vel maxime concedatur, quod auribus cor-
 poris vocem istam magnam, de qua v. 10 dicentem: *Ego sum alpha*
& omega, audiverit; non abnuente h. l. Coccejo, dici posse, etiam
auribus voces à Spiritu S. ingestas, quod tamen hic non videtur di-
 ci posse; quando tamen tunc septem aurea candelabra, & in me-
 dio illorum ipsum DEI Filium vidit, similem Filio hominis, ad signifi-
 candum ejus ἐστίν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, jam tum factam, uti visio hæc non cor-
 poris sensibus, sed intus mente à Spiritu Sancto illustrata, & ad
 visionem hanc admittendam & spectandam elevata, facta esse
 dici

dici debet, ita ἐν πνεύματι, in spiritu esse, non nisi de ecstasi, & singulari elevatione mentis ad divinam intuendam revelationem, explicari potest. Confirmatur idem ex loco parallelo etiam Apoc. 4, 1. sq. quo secundam visionem explicaturus Johannes, cum eadem, qua ante Apoc. 1, 10. vocatus fuerat, voce jussus esset *ascendere*; id quod auribus corporis rursus audivisse Evangelistam videntem, non negare pertinaciter volumus, ἐν θεῷ ἐν ἁγίῳ ἐν πνεύματι, *statim*, inquit, *fui in spiritu*, significans suam quam passus erat ecstasin, qua Spiritu S. correptus, & mente elevatus, & ab externis objectis, vigilans licet, avocatus fuit ad alia à DEO objecta videnda. Nec abnuat B. D. Hoë in Com. in Apocal. 4, 2. etsi supra ad c. 1. v. 10. verba hæc, ἐν πνεύματι, ceu vidimus, aliter explicatum iverit. Bene etiam B. Cluverus nolter in Com. ad Apoc. 4, 2. *jussus*, inquit, *ascendere in cælum Johannes, ut futura conspiciat à Domino præmonstranda, statim de se dicit factum esse in Spiritu, ubi perspicuum est de raptu, & singulari excessu mentis, à Spiritu Sancto illustratæ, usurpari hanc phrasin.* De raptu & extasi etiam novissime verba nostra explicavit Louis Ellies Du Pin. Bibliotheq. des Aut. Eccles. t. 2. disert. prelim. p. 69. *Erant*, inquit, *(S. Jean) ravi en esprit un jour de Dimanche &c.*

§. 6. Cæterum quod nostro loco dicitur ἐν ἁγίῳ ἐν πνεύματι, eram in spiritu, id alibi in N. T. quomodo explicetur, operæ pretium est ut notetur. Act. 10. v. 10. ita de Petro dicitur: ἐπέσεν ἐπ' αὐτὸν ἐκστασις, *cecidit super ipsum ecstasis*; vel ut Erasmus vertit: *Irruit super eum mentis excessus.* Versu 11. autem & sequentibus, explicatur visio, quam sensibus ab objectis exterioribus avocatis in mente idem habuit, DEO talem operante, & ad intuendum cognoscendumq; eandem objiciente. Ipse hinc Petrus Act. 11, 5. quid sibi contigisset explicans, καὶ εἶδον, inquit, ἐν ἐκστάσει ὄραμα, *vidi in ecstasi visionem.* Paulus etiam, quid sibi oranti in templo Hierosolymis evenisset, commemorans, appellavit id ἡμέτερον ἐν ἐκστάσει, Act. 22, 17. *in ecstasi se venisse* notans, sic ut nihil extra se positum mente perciperet, ceu conversus eadem ad objecta interna, & imagines intus objectas intueudas. Hujusmodi ἡμέτερον ἐν ἐκστάσει Paulus 2. Cor. 12, 2. singularem

larem

larem modum explicaturus, se ἀρπαγῆς εἰς τρίτον οὐρανόν, *inter-
rium usq; caelum raptum* affirmat. *Raptus* autem ille non fuit sine
ecstasi, avocata anima ab externis sensibilibus, & elevata ad per-
cipiendum id quod intus ei à DEO objiciebatur, & omnia sensi-
bilia excedebat. *Ecstasis* interim & *raptus*, quod etiam *Thomas II, 2.*
q. 175. art. 1. Resp. art. 2. ad 1. monuit, per omnia non coinci-
dunt. Cum enim *ecstasis* importet simpliciter excessum à se-
ipso, *raptus* ei aliquid superaddit, nimirum animæ à sensibilibus
apprehensione avocatae, præter suam intentionem divinitus fa-
ctam evectionem, elevationem, ad certa intus cognoscenda
objecta, à DEO proposita. Vid. *B. Herwart. de Rapt. Paul. c. 2.*
§. 5. p. m. 15. Dicitur autem *Ecstasis* hæc *Raptus in tertium cæ-
lum*, ad significandum, cum sic ἐν πνεύματι, in spiritu esset Pau-
lus, talia illi ad cognoscendum objecta fuisse, quæ cœlesti glo-
riæ alias reservantur, & ab Angelis qui in cœlis sunt cognoscun-
tur. Conf. etiam *Estius h. l.* Sic fuit *in spiritu* Paulus, ut simul
raperetur ad audienda ἀρπαγῆς, quæ ad statum gloriæ potius,
quam gratiæ pertinent. Proin etiam non per omnia idem si-
gnificant fuisse *in spiritu*, & *raptum fuisse usq; ad tertium caelum*, vi-
deatur licet ita *Ruperto. Confer. B. Cluver. Comment. in Apocal.*
I, 10. f. 38. sq. Quæ de *tertio* alias *calo* *Grot. in not. h. l. & Jacob.*
Cappellus Observ. in N. T. h. l. notant, fabulæ sunt Judæorum,
ad quas Paulum respexisse, vel eodem modum locutum esse, vel
loqui voluisse, omni veri specie caret. In *V. T. Ezechiel* divi-
num suum Enthusiasmum, & quomodo ἐν πνεύματι, in spiritu
fuerit, sic explicavit *c. 1. v. 3. ותהי עליו יד יהוה*, *fuit super eo*
(Ezechiele) manus Domini; *c. 3. v. 22. ותהי עלי יד יהוה*, *& fuit*
super me manus Jehova. Notatur enim formula hac præsen-
tia DEI operatrix, qua anima ab objectis externis sensibilibus
avocata, totus ejus vigor collectus & concentratus fuit à DEO,
ad intuenda & cognoscenda, & postmodum, ubi ad se eadem
redierat, etiam explicanda ea, quæ intus divinitus repræsenta-
bantur, atque revelabantur. Quanquam non negem, etiam
illam horum verborum esse generalitatem, *Hieronymo* quo-
que ad *Ezech. 1, 3.* agnitam, ut nil impediatur, quo minus & ad
alium divinæ revelationis modum, quem nimirum contextus
loci permittit, eadem applicentur, eundemque significant.

§. 7. Ad certas vero *sancti Enthusiasmi*, & *divini*, species hujusmodi esse in spiritu, & rari ad cognoscenda ἀρχήτα refertur, & referri posse dicimus. Est equidem *Enthusiasmi*, & *Enthusiasmarum* vocabulum, quod à verbo ἐνθουσιάζειν descendit, cujus origo est ab ἐνθεῶ, sive ἐνθεος, non ἐγχεσθον, nec scriptoribus divinis usurpatum, sed à Gentilibus per scriptores Ecclesiasticos receptum: Legitur namque verbum ἐνθουσιάζειν, & adjectivum ἐνθουσιαστικός, apud Platonem, Aristotelem, Diodorum Siculum, Plutarchum, & alios, significatque numine afflari, fanatico furore concitari, & concitatum esse: Attamen nil impedit, quo minus ἐνθεῶ, & *Enthusiasmus*, etiam adhibeatur in bonam partem, ad significandum afflatum, impulsum, motum internum, illuminationem à bono Numine proveniente, cum & sancti DEI homines à Spiritu S. immediate inspirante illuminati scripserint, & locuti sint, 2. Petr. I, 21. φερόμενοι ὑπὸ πνεύματι ἁγίῳ, impulsu Spiritus S. Luc. I, 41. etiam dicitur, καὶ ἐπλήθη πνεύματι ἁγίῳ ἢ ἐπισκέβεται, Spiritu Sancto impleta est Elisabetha, Idem l.c. v. 67. de Zacharia legitur, quod ἐπλήθη πνεύματι ἁγίῳ καὶ πνεύματι ἁγίῳ, impletus Spiritu Sancto prophetaverit. Non etiam aliter fere Hesychius in Lexic. de Enthusiasmo loquitur. Ἐνθουσιασμός ἐστι, inquit, ὅτε ἡ ψυχὴ ὅλη ἐκλάμπεται ὑπὸ Θεῶ, Enthusiasmus est quando tota anima à DEO illuminatur. Ἐκλάμψις hinc dicitur doctrina divina & inspirata illustratio. Ἐνθεῶ etiam explicatur eidem per θεῶ. Ἐνθεῶ γίνεται legitur apud Clementem Alexandr. item ἐνθεοὶ ὄντες, observante Sylburg. in Indic. Clem. Græc. Imo idem Clemens in Pædag. l. 2. c. 4. f. 165. voce ἐνθεῶ in laxiore sensu usus, prout ea infert afflatum piis, & illis qui πνεύματι Θεῶ ἄγονται, Spiritu DEI aguntur, Rom. 8, 14. communem, h.e. mediatum, docet, qua ratione ἐνθεῶς ὅτι τὸ ὑπὸν ἰέναι, cum divino quodam numine afflati nos ad somnum conferre debeamus, si nimirum antequam somnus nos invadat DEO gratias agimus, quod ejus benignitatem & gratiam fuerimus consecuti. Et cum Julius Pollux Onomast. l. I. c. I. tit. περὶ μαυλείων, καὶ μαυλικῶν τόπων, καὶ ἀνδρῶν, de oraculis, & vaticinatoriis locis & viris, nomina huc pertinentia, & varias Enthusiasmi circumstantias exprimentia enarrans, ita loquitur: Τὰ δὲ ὀνόματα δὲ περιγμάτων. Κατακωχή, detentio

aut mentis, aut corporis sensu motuq; privati, in ea corporis figura & situ permanente eo qui sic detentus est, qua fuerit correptus, sive se-
deat, sive decumbat: Κα΄θουθ Θεῶ, descensus DEI in hominem ingres-
si: Καταβολή, accessio, Paroxismi scil. quam numine pleni experiri
credebantur, & fingebantur: Κατοχή, detentio, ut κατακωχή.
Επιθειασμός, à DEO mente concepto afflatio ad vaticinandum: Επιπνοια
divina inspiratio: Βακχία, furor ex divino afflatu proveniens: Κινήσις
ἐκ Θεῶ, motus ex DEO: Κατάληψις, detentio, ut κατοχή, qua fit
subito, mentis, corporisq; sensu intercepto. Ἐνθουσιασμός, numinis af-
flatio: Superius dixerat Pollux, quod ἐνθουσιῶν, *enthusiasta*, sit
πλήρης Θεῶ, DEO plenus: Cum, inquam, diversis his nominibus, qui-
bus partim eadem passio exprimitur, partim affectiones animi
illorum qui Enthufiasmum patiuntur notantur, meretur illud
etiam h.l. observari, quod *Aretas Casariensis* D. *Johannis ἐγρόμω*
ἐν πνεύματι per *Θείαν κατοχὴν* explicaverit. Et sane si vim vocis
spectamus, negari nequit, *Enthufiasmum* notare ejusmodi homi-
nis statum; quanquam & de *bestiarum Enthufiasmo* historiae pas-
sim loquantur; quo est ἐνθεῶ, h.e. quo divinum Numen in se
habet, cujus instinctu & afflatu agat, & qui proinde ad pios
etiam & sanctos applicari possit, ceu ex dictis patet. Nam &
hi à *Spiritu S. φερόμενοι*, acti & impulsivi, DEO etiam pleni dicuntur.
Imo ne ex ratione & vi nominis præcise, ἐνθουσιασμός notat im-
mediatum impulsum DEI, vel inhabitationem internam Spiri-
tus Sancti immediate factam, sine verbo scripto, cum etiam illi
qui per verbi prædicationem Spiritum Sanctum acceperunt, ve-
re numen in se habitans divinum habent, quod in iis operatur,
Rom. 8, 15. 26. Gal. 4, 6. & cujus instinctum vere experiuntur, sen-
tiunt, eoque aguntur Rom. 8, 14. Spiritus S. enim operatio-
nem à verbo, quod est *potentia DEI ad salutem omni credenti*,
Rom. 1, 16. *Spiritus & vita*, Joh. 6, 63. in negotio salutis ne in
unico actu separari debere contendimus cum B. D. *Hülsemann*,
de *Auxil. Grat.* p. 180. sq. p. 191. §. 4. Ita supra §. 3. B. *Winckel-*
mannum, & B. *Hoëum* in *Comm.* ad nostrum locum de *Enthu-*
fiasmo divino loquentes audivimus. Hunc etiam agnoscit B. D.
Calovius in *Isag.* l. 1. c. 5. p. 99. quem, Præceptorem nostrum
quondam optimum, & nos sequimur.

§. 8. Frustra proinde recentior *Enthufiafta* & *Quackerus*, *Georgius Keithus* in *Amic. Resp. ad B. D. Bajer. diff. c. 1.* agit. Qua enim *Enthufiaftæ* titulo & elogio se non indignum probet, ego, inquit, qui *Lexica & vocabularia tam Græca quam Latina de isto nomine sedulo sum perscrutatus, nihil ufpiam, quod jure me, aut quemlibet verum Christianum istius nominis (Enthufiaftarum) pudere faceret, invenire potueram.* *Enthufiafta* enim si vocis *Etymologiam* rite spectemus is est, qui divinitus sit inspiratus, afflatus, motus, agitat, sive in quo *DEUS* est, in quo *DEUS* loquitur, quem *DEUS* docet, illuminat, instruit, ducit, movet, agit, impellit. Et quid amabo in istis omnibus *Christiano indignum est?* Nam non semper, præprimis in vocabulis *Scripturæ S.* ignotis, videndum est, quid vi vocis dici possit; etsi enim à notatione nominis, tam affirmative, quam negative concludere liceat, satis tamen constat, quod sua id non careat limitatione; sed quid usus permittat, penes quem est norma loquendi. Unde licet nil impediatur, quo minus, etsi non necessario, vi vocis *Enthufiasmus* dicatur de afflatu vere divino, à sanctissimo Numine in sanctis proveniente, divinisque in iisdem internis & immediatis revelationibus, & operationibus aliis; prima tamen, & famosior hujus vocabuli acceptio hæc non est. Proinde quanquam *Patres sanctorum & fidelium* agnoverint *Enthufiasmum*, v. c. *Johannis*, ceu ostendimus, & *B. D. Bajer.* etiam in *dissert. III. Synops. & Exam. Theol. Enthufiaft. c. 2. §. 4. & 6. p. 103. & 106.* suo *Keitho* concedit, ut proinde distinctio *Enthufiasmi* in *sanctum*, sive vere divinum, & *Fanaticum*, atq; *Diabolicum*, recte explicata admitti, nec simpliciter rejici debeat, prout etiam *Hoorneck* in *Sum. Controv. l. 6. p. m. 178.* *Enthufiasmum* sive *afflatum in animum aut mentem, alium esse BONUM, alium MALUM, affirmavit; illum à DEO, hunc à Diabolo homines pati dictitans, distinguensque illum in ordinarium, quem dixit communem omnibus fidelibus & sanctis, qui à DEI spiritu aguntur & reguntur, & extraordinarium, qualis Prophetis & Scriptoribus sacris contigit: Prima tamen & famosior vocis hujus, quæ ex instituto humano significat, cum acceptio hæc in Ecclesia non sit, etiam non est causa, cum nec usus hujus vocis ita jubeat, ut sic crude pari passu cum altera significatione, qua de malo & fanatico*

tico

sico Enthufiasmo dicitur, qui Diaboli operatio eſt, eadem jure ambulet. Dicimus tamen, non mirum eſſe, Reformatum Doctorem *Enthufiaſmum communem omnibus fidelibus & ſanctis*, h.e. abſoluto decreto electis, ſtatueret, cum conſtet, Calvinianos vigore decreti hujus ſalvandi atque reprobandi peremptorii, operationem Spiritus Sancti ab operatione verbi DEI diſtinctam, vel in unico actu, urgendo, ſemina ſubtilioris cujuſdam Enthufiaſmi ferere; de quo B. *Hülſemann*. de Auxil. grat. p. 189. ſqq. add. *Dannhau*. in Hod. Calvin. P. I. p. 59. Nos uti Enthufiaſmum hunc penitus rejicimus, ceu vim organicam verbi & ſacramentorum parum pie infringentem; ita ſi vim vocis ἐνθουſιαſμὸς, vel ἐνθουſιαſμὸς, nimis preſſe urgendo divinam Spiritus Sancti per verbum factam operationem, & motus in cordibus fidelium internos, quos ciet mediante verbo, à quo eſt inſeparabilis, Enthufiaſmi elogio ornare velimus, non equidem ipſa vis nominis hujus repugnabit, cum & mediata & immediata, ſine verbo DEI, Spiritus Sancti operatione numine pleni legantur fideles fuiſſe; hodie licet Spiritum S. à verbo ſeparare non liceat: Attamen rectius interim dicetur, id fieri per *abuſionem* vocis hujus, nec Patribus Eccleſiæ eandem ſic frequentatam fuiſſe ſignificationem; *Enthufiaſmi* licet nomen iisdem & notum, & uſurpatum fuerit.

§. 9. Magis itaque frequens, recepta, in Eccleſia etiam uſurpata cum vocis hujus hæc ſit ſignificatio, ut de *Enthufiaſmo & Enthufiaſtis* verba facientes, in malam partem vocabula hæc accipiamus, parum nos movet, quod cum *Gentiles*, tum *Enthufiaſtæ* & Fanatici de afflatu vere divino, & operationibus internis immediatis, & revelationibus vere divinis, vocabula hæc intellexerint, & priori, potiori & famoſiori ſignificatu ſic eadem explicari debere cenſuerint, cenſeantque, ſuoſque etiam raptus, ecſtaſes, afflatus divinos, & furores fanaticos, revelationes denique jaëtatas hoc loco habuerint, infeliciter in applicatione errantes, ceu ex illis conſtat, quæ paulo ante diximus.

§. 10. Varie etiam explicare ſolent Enthufiaſmi cauſas *Gentiles*, de quibus *Plutarchus* in l. de Orac. defect. t. 2. opp. f. 413. ſqq. contendentibus aliis, *nimis quam puerile & fatuum eſſe*, ἐνθουſιαſμὸς εἶναι καὶ πuerilὸν καὶ μωρὸν τὸ διεσπῆναι τὸ θεὸν αὐτὸν, ὡς αἴτιον

ἔστι ἐγαστριμύθης, Ἐρυκλέας πάλαι νικῶν Πύθωνα θεσσαγοροσο-
 μίης, ἐνδύμενον εἰς τὰ σώματα τῶν περὶ Φηλῶν ὑποφθέγγεσθαι, τοῖς
 ἐκείνων σώμασι καὶ φωναῖς χρώμενον ὀργάνοις, orinari ipsum DEUM,
 uti aliis visum fuerat, in corpora natum, quos olim Engastrimythos,
 Eurycleos, quod è ventre sermonem vaticinatum promerent, nunc Pythonas
 nominant, se immittere, eorumq; ore loqui, & voce pro instrumento uti:
 probante Cleombroto Philosopho Lacedæmonio. Cui sen-
 tentiæ cum subscriberet Plutarchus l. c. f. 432. sq. vaporibus, qui di-
 vinare faciunt, ex terra exhalantibus, & φανταστικῶ καὶ μαντικῶ
 δυνάμει τῆς ψυχῆς, imaginativam & vaticinatricem facultatem animæ
 incenduntibus tribuit, secutus ὁιομύθης πρὸς Διόφραστον καὶ κροχῶν ἐπι-
 ποιῆν τῆ γῆ τὸ ἥλιον, ἀφ' ἧς ἐκφέρεται τὰς μαντικὰς ἀναθυμιάσεις, il-
 los qui arbitrantur solem terra ingenerare affectionem istam & tempe-
 riem, a qua vapores ad divinandum facientes exhalant; qui vel ἀφ' ἑ-
 ρμιακείων, vel alia ratione in hominem se insinuantes ἐνθουσια-
 σμὸν efficere fingebantur. Verum Gentiles ita de Enthusiasmo
 delirasse, & ad hujusmodi descendisse ineptias, facile agnoscimus:
 Ast Maimonidem Judæum, vel si recentiore quendam nu-
 givendum audire placeat, Spinosam nimirum, similiter nugatos
 esse, justum meretur ἔλεγχον. Maimonides enim in Mor. Ne-
 voch, P. II. c. 36. summæ facultatis imaginatricis perfectioni pro-
 phetiam tribuit, quæ homini ab ipsa nativitatē hora inesse debeat.
 Longe vero aliter scriptura de hac facultate prophetandi, &
 Prophetarum prophetiis loquitur. Dixit ad me Jehova, ait
 Esai. 8, 1. 3. 4. 1. Sic ad Jeremiam factum est verbum Jehovæ, Je-
 rem. 1, 2, 4. ad Ezech. 35, 1. Ose. 1, 1. sq. Inspirante ergo, res
 item, aptissimaque & maxime genuina & propria verba dictan-
 te & suggerente DEO locuti sunt, scripseruntque Prophetæ,
 non phantasie beneficio; quæ futura soli DEO nota, quibus
 exactissime eventus respondit, mysteria item quæ sunt ὑπὲρ νοῦν
 καὶ κατέληψιν nostram, indagare ex se nescit, quo ineptius affir-
 mari nil potest. Merito pro impostoris elogio commenda-
 tur Benedict. Spinosæ, qui ann. 1677. Domino suo cecidit, quan-
 do Christianum præ se ferens Empecta impius in tract. suo
 Theol. Polit. c. II. p. 15. Maimonidis imaginationibus insistens,
 Prophetas non fuisse perfectiore mente præditos, sed quidem potentia
 vividius

vividius imaginandi contendit. Pingit hinc, Salomonem sapientia quidem, non vero dono prophetico ceteros excelluisse; contra vero homines rusticos, & extra omnem disciplinam positos, imo mulierculas etiam dono prophetico fuisse präditas, quod imaginatione magis pollerent. Prolixius autem in sequentibus hæc exsecutus scribit inter alia: *Revelatio variabat in unoquoque, Propheta pro dispositione temperamentum corporis, imaginationis, & pro ratione opinionum, quas antea amplexus fuerat.* Verum eadem, imo majori facilitate hæc rejiciuntur, quam afferuntur, ceu dudum mendacii convicta à Petro 2. Ep. 1, 21.

§. 11. Quod itaque *Enthusiasmum* in significato Ecclesiastico famosiori attinet, plerumque in malam nomen hoc accipitur partem, eaque significationis latitudine, ut significet non solum Diabolicos afflatus, raptus, ecstases, & furores fanaticos, quando v. c. Sibylla Cumæa apud *Virgil. 6. Æneid.* cum se rapi sentiret, *tempus ait, DEUS ecce, DEUS! cui talia fanti ante fores subito, non vultus, non color unus, non comæ mansere comæ, sed pectus anhelum, & rabie fera corda tumuerunt:* vel prout apud *Eusebium H. E. l. 5. c. 16. edit. Vales.* ex scriptore quodam refertur de Montano, eum δὲν τῶν πάροδον εἰς ἑαυτὸν τῶ ἀντικειμένῳ πινάμα τοφορηθῆναι τε καὶ αἰφνιδίως ἐκκαταχθῆναι καὶ παρακταίσσιν ἁρόμενον ἐκθεσιᾶν, *aditum in se adversario spiritui prabuisse, & demone repletum, subito quodam furore ac mentis excessu concuti capisse, & nova quaedam atq; inaudita prolocutum:* Sed etiam jaçantiam illam, qua Fanatici, omni licet autoritate divina destituti, dictis, factisque suis, etiam atrocissimis haud raro, immediatam DEI lucem, divinasque revelationes, ὁπτασίας, diurnas & nocturnas visiones, somnia divina denique, angelicaque colloquia, & ipsius Christi etiam apparitiones *mentiendo* prætendunt; vel suis *illusionibus*, sæpius melancholicis, de lusi quæ credunt docent, aliisque ad credendum ceu divinitus accepta, jussa & mandata, proponunt, & tantum non obtrudunt, fingentes, *Spiritum ubi velit flare, nec alligatum Academiis:* Itaque internam vocationem cum donis ad munus necessariis sufficere, accedente alicujus congregationis desiderio. De quo in nostr. *Colluv. Quacker. art. 2. §. 2. Add. B. Dannhau. Theol. Consc. t. I. p. 273. 353. 411. sq.* Etsi vero Fanaticus hic *Enthusiasmus* in hac latitudine

tudine

tudine consideratus, distinctius digestus in *Diabolicum, illusorium, & fictitium* sive e mentitum distingui possit, recte tamen observat *Hoornbeck* in *Sum. Controv.* l. 6. p. m. 378. *nil obstare, quin omnia mali Enthustasmi genera vel species quandoq, concurrant, ut idem, qui divinum enthustasium temere fingit, & à suis phantasticis imaginationibus deludatur, & à Satanicis vexetur, in justam mentiri sacri spiritus pœnam.*

§. 12. Quanquam autem hoc posterius vocis *Enthustasmus* significatum in Ecclesia receptius sit, nihilominus tamen cum, quando res salva est, de vocabulo ipso sic usurpato & applicato, digladiari nolim, *Enthustasium* etiam vere *divinum*, extensiore vocis hujus significatione, supra jam explicata, asseri non repugnabo, cum nec pii repugnem Theologi, etsi non velim eundem cum *Hoornbeck*, l. c. *omnibus fidelibus & sanctis, qui à spiritu DEI aguntur & reguntur, ceu iisdem communem* tribuere. Nam primo vox hæc ipsa receptiori usu id non permittit. Deinde quia frequentius in malam partem accipitur, primo audita sinisterius quid de sanctis & fidelibus cogitandi; principiis Reformatorum licet id non repugnet; occasionem per se subministrat, quos proinde hujusmodi elogiis exornare non decet. Ne dicam ipsos Fanaticos ambabus manibus amplexuros esse hanc formulam loquendi, quæ omnibus fidelibus & sanctis *Enthustasium* tribuit, ceu constat ex illis quæ *Keithus*, inter Quackeros cæteris doctior, contra *B. D. Bajerum* disputavit, de quo ipse *Bajer.* diss. 3. contra *Enthuf.* c. 2. §. 16. & nos supra §. 9. ex *Georgio Keitho*: *Cui nil dignius aut desiderabilius homini Christiano contingere posse creditur, quam si quis fiat Enthustasta, sensu sc. quem ipse intendit loco supra producto.* Prophetis itaque & Scriptoribus sacris, virisque *ἑσπερωδῶσις*, qui *φροβυδοὶ ὑπὸ θεῶ πνευματικῶ* locuti sunt & scripserunt, 2. Petr. 1, 21. Matth. 10, 19. *ἡ ἐκθεσιασµὸς* divinus pro certo statu tribuitur, uti nobis id fit non invitis, ita distinctioris disciplinæ ergo sub hac terminorum qui hic audiuntur acceptione, & secundum ea quæ hæctenus à §. 7. diximus, duplicem *Enthustasium divinum & Fanaticum* asserere non dubitamus.

§. 13.

§. 13. *Divinum* itaque quod attinet *Enthusiasmum*, uti species, modi, & circumstantiæ *Enthusiasmi* in genere, ceu ex *Polluce* notavimus, sic & *divini* variant, quas omnes ex instituto pertractare non licet. D. Paulo Ebr. I. ψ. i. paucis verbis diversos revelationis modos complexo, πολυμερῶς ἢ πολυτρόπως πάλαι ὁ Θεὸς λαλήσας τοῖς Πατέρεσιν ἐν τοῖς Προφήταις, *multis vicibus, multisq; modis olim locutus DEUS Patribus in Prophetis* dicitur; bene notante B. Sebast. Schmid. Comm. h.l. quod vocabulum λαλήσας generaliter ponatur, & quamvis revelationem complectatur, sive per *internum instinctum & sermonem*, sive per *exterius formatam vocem*, sive per *figuras*, sive alio modo illa facta sit. Pertinet huc insignis locus Numer. 12, 6. sqq. cum Jehova, si fuerit, inquit, *Propheta vobis, ego in visione illi notus sum, & in somnio loquar in eo. Non sic servus meus Moses &c. ore ad os loquor cum eo; & visione, non per anigmata.* De qua revelationum divinarum diversitate, aliisque revelandi modis, quibus tam *mediate*, quam *immediate* Prophetis & aliis DEUS ista, quæ illis manifestare voluerat, patefecit, recentiores *Frassenius* disquisit. Bibl. L. I. c. I. §. I. *Du Pin* in in dissert. prelim. sur la bibl. t. I. sur l'ancien Test. l. I. ch. 2. §. 2. sq. p. 32. sqq. etiam egerunt. Solent alias etiam *triplicem* modum divinarum revelationum constituere; *Corporalem, imaginarium, & intellectualem*, de quo ex nostris B. D. *Johann. Meisner.* de Prophet. Sect. II. §. 17. sqq. 25. sqq. B. *Dorsch.* Theol. Zachar. P. II. p. 2.

§. 14. Desit hic divinus *Enthusiasmus* hodie, ad quem proinde *Fanatici*, & cœlestes *Prophetæ* frustra provocarunt, & provocant. Nam *immediate*, & per *divinos afflatus* ordinariæ futuros, amplius DEUS nos informare non vult; B. *Calov.* Isag. P. I. p. 102. sqq. *Dannhann.* Theol. Consc. p. 418. quicquid etiam *seculi tertij Regeneratis* hoc nomine visum fuerit. Pernegamus in Ecclesia plantata hodie, & canone scripturarum perfectæ, *Enthusiasmum* dari, & revelationes *immediatas* extra *Scripturam sacram*, & sine eadem factas circa *res fidei*, & *articulos* religionis salvificæ, atque *morum*. Nam ab ipso Christo tantum ad *scripturas sacras* Joh. 5, 39. ad *Mosen & Prophetas*, Luc 16, 29. remittimur; Petrus vero 2. Ep. I, 19. *sermonem Propheticum*

C

β. Βασιόπερον

Βεβαιότερον, firmiorem, censet ipsa voce Patris cœlesti cœlitus patefacta, Paulo etiam nil docente extra *Mosen & Prophetas*, Act. 20, 27. c. 26, 22. Quibus verbis uti non necessarius esse declaratur, ita & ἄγγελος est, & ἀληγοροί ille Enthusiasmus, Ef. 8, 20. Luc. 16, 29. Rom. 10, 17. 1. Cor. 1, 21. Apoc. 22, 18. Conf. *Dannhaw.* Theol. Consc. tom. I. p. 417. sq. *Gerhard.* dispp. Theol. P. II. disp. 2. §. 1. 3. disp. 3. §. 8. sq. disp. 4. §. 23. Et cum de verbo interno multa garriant Fanatici, sciant quod, uti hoc ultimo loco ὁ μακαρίτης loquitur, testimonium Spiritus S. internum non rejiciamus, & si per verbum internum intelligitur interna Spiritus S. efficacia cum verbo externo predicato & audito conjuncta, nemo nostrum verbum illud internum negat, quin imo internum illud, id est interiore illam efficaciam necessario requiri dicimus, ut sit ad salutem efficax, Rom. 1, 16. Si vero per verbum internum intelligantur peculiare & raptus & tractus extra verbum externum, & sine verbo in angulo expectandi, tum verbum illud internum Enthusiastico, Schwencfeldiano & Weigeliano sensu acceptum merito negamus. Alia fuit ratio Ecclesiæ plantandæ, Act. 11, 4. c. 13, 2. c. 16, 6. c. 18, 9. Gal. 1, 12.

§. 15. Ex eadem ratione etiam non admittimus hodie in Ecclesia colloquia cum Angelis & Spiritibus, visiones, somnia, revelationes, oracula, divinos afflatus immediatos, & inspirationes, sacrarum literarum & dictorum *scripturae interpretationem* concernentes. Jubemur enim ἐσθλαῖν τὰς γραφὰς, Joh. 5, 39. id quod sit mediorum hermeneuticorum, tam generalium, quam specialium, tam communium, quam propriorum usu; non vero angelicas expectare revelationes, quas etiam secundum scripturas examinare tenemur, Gal. 1, 8. 2. Cor. 11, 14. 1. Joh. 4, 1. sq. Sui ipsius interpres infallibilis est scriptura. Ad hanc etiam, & nullum aliud principium infallibilis interpretationis extra scripturam Spiritum S. per Petrum 2. Ep. 1. ψ. 20. respicere, nec ad visiones & revelationes, inde patet, quia non tantum de hac loquitur, & à visionibus, & propriis imaginationibus ad hanc nos deduxit, sed & Βεβαιότερον eam visione sua in transfiguratione Christi habita pronuntiavit Apostolus. *B. Dorsch.* Part. II. Theol. Zach. Proœm. p. 4. sq. Merito proin *Zwinglij somnium*

somnium de monitore quodam, quem à se in somnio visum esse ait, *ater autem an albus fuerit* ignoravit, locum ex Exod. 12. suppeditante, quod particula *EST* pro *significat* explicari possit, rejicimus, ceu subsidium aliquod Enthusiasticum, frustra *Riveto*, *Spanhemio*, & aliis hic opem ferentibus; de quo ex instituto B. D. *Dannhaver*. in *Hodom.* Calv. P. I. p. 62. sqq.

§. 16. Ast quod hodie visiones, revelationes, somnia & Prophetias attinet, ad *Ecclesia & Reipublica statum & fata*, vel *piorum sortem*, & alia *futura contingentia* pertinentes, quid hoc nomine inter B. *Stolterfothum* & D. *Fabricium* disputatum fuerit, scripta illorum amœbæa docent; de quo *Calov.* Syst. t. 1. p. 347. Certe si de voluntate DEI revelata loqui mur, omnino affirmandum est, nullas hujus generis revelationes à DEO esse promissas, *Weigelio* licet in *Offenbahung Göttlicher Majestät* p. 186. aliter videatur; contra quem & alios Visionarios, temere etiam & inexplorate jactatas visiones admittentes, vel, quod *Gothofred. Arnold.* facit *Hæresiol.* P. III. c. 27. f. 260. justo frequentiores statuentes, recte disputavit B. D. *Hoe* Comm. in Apoc. t. 2. & ex illo *Jacobus Stolterfoth.* apud *Dunte* in *Cal. Consc.* p. 103. sqq. f. 322. Ast de absoluta DEI voluntate, quæ nobis non revelata est, & à posteriori tantum cognoscitur, loquendo, simpliciter DEUM nolle ullas unquam immittere visiones, etiam temere statuendum non est. Etsi enim hujusmodi prophetiæ extraordinariæ sub lege irrefragabilis admissionis obtrudendæ non sint, cum sine peccato assensus suspendi queat; quod ab ejusmodi visionibus & revelationibus cavere nobis potius debeamus; in universum tamen etiam omnes & semper negligendæ, promiscue item & temere rejiciendæ non videntur, quas cæteris paribus suo loco relinquere liceat, cum quod in hypothesi ferre judicium sua non caret difficultate; tum propter illud Apostoli 1. Thess. 5, 20. *προφητείας μὴ ἐξουθενήτω*, *prophetias ne spernite.* Has enim cum in Sec. V. adhuc viguisse B. *Theodoretus* autor est in *Com.* in Joel. c. 2. v. 29. t. II. opp. f. m. 759. hoc donum cur hodie simpliciter penitus, atque sic usque eo desuisse dici debeat, ut ne quidem privatis coruscationibus, & radiis nonnullis emicantibus, rarioribus licet, & summa ἀνελευθερία censendis, 1. Joh. 4, 1. nec facile admittendis, in certo Ecclesiæ &

Reip. statu locus extra ordinem esse queat, vix apparet. Nam quid DEUS ex bonitatis & sapientiæ suæ dictamine sibi reservaverit, nobis non revelatum est, sicut alia multa, de quibus nobis non constat; dissentientibus etiam quæ objici queant passim obstant exempla; de quo prolixè B. *Balduin.* ad 1. Tim. 4. v. 1. *Dannh.* Theol. Consc. P. 1. p. 417. sqq. Mediam hanc sententiam etiam probant D. *Calovius* l. c. p. 351. B. *Joh. Meisner.* de Prophet. Sect. IV. p. 78. B. D. *Alberti* de divin. munif. ex Joel. 2. 28. sq. cap. 2. §. 52. sqq. Interim tamen cum *Bellarmino* de not. Eccles. l. 4. c. 15. *lumen propheticum* non debet pro vera & genuina nota Ecclesiæ veræ haberi, de quo *Dannhaw.* in H. P. ph. 2. p. 516. Nullus tamen dubito, quin Diabolo sæpius etiam DEUS permittat, ut in angelum lucis se immutando, visionibus sæpe imponat, quo eo majori sollicitudine pii, quorum deliciae sunt Scripturæ sacræ, verbum DEI in summo pretio retineant, nec illo relicto visiones majoris faciant atque sequantur.

§. 17. Enthusiasmi autem hujusmodi, fanaticæ sibi non circa *res fidei & morum* tantum, sed & circa *sacrarum literarum explicationem, & futura Ecclesiæ* atque *Reipublicæ fata*, cum conjunctim, tum separatim sibi revelationes arrogantis, & ad jussa divina, visiones, atque ecstasies provocantis, exempla non desunt. Fecit illud primo jam post natum Christum seculo Fanaticus hæreticus *Cerinthus*, Chiliafmi, & aliorum hæreticorum dogmatum autor, de quo *Cajus* in Euseb. H. E. l. 3. c. 28. edit. *Vales.* Seculo decimo sexto in N. T. *Müncherus*, *Sleidan.* l. 5. memorante, à Deo sibi *mandatum* esse professus fuit, ut *sublatis impiis novi constituerentur Principes & Magistratus*, novo simul doctrinæ genere proposito. Similis Enthusiasmus egit *Anabaptistas* superiores, ceu *tragædia Monasteriensis* docuit, eodem memorante *Sleidan.* l. 10. cui add. *Hoornbeck.* Sum. Contr. l. 5. p. m. 332. sqq. 347. sqq. & in superiori seculo in Anglia *Viros quintæ Monarchiæ*; quos nonnulli tum *Quackeros* etiam appellarunt, Fanaticis licet his invitis; de quibus in mea *Colluv. Quacker.* art. 1. §. 6. *Enthusiasmi Exegetici* specimen nuper edidit *Rosamunda Juliana ab Asseburg*, de qua prolixius *Petersenus* in *specie facti*; cuius nugis & ineptiis cordate fuit contradicendum à compluribus Theologis, de quo Dn. D. *Schelwig.* in *Sectirisch. Pietistery* art. 13. §. 2. sqq. Delirantes

rantes

rantes autem fanaticæ quoad futuros, rerum eventus, Imperiorum item & regnorum, Ecclesiæ etiam fata, & mutationes in iisdem, ex prætensis visionibus & angelicis colloquiis, nec hodie defunt, nec superioribus annis defuerunt. Admiratores etiam suos habuerunt, ipso licet *Arnoldo*, qui aliàs hujus generis *Enthusiastas* magnificere solet, idque sæpe non satis caute, ut patet ex *Hæresiol. P.II. l.16. c.23. §.1. sqq.* de *Plaustrarij* cujusdam, & nonneminis *Transylvani* prophetiis *Enthusiasticis* parum magnifice statuente in *Hæres. P.III. c.21. §.16. c.23. §.3.* Refert huc *Hoornbeck* in *Sum. Controv. l.6. p.530.* quendam *Andream Hobernfeldium*, ceu *Weigeliano* spiritu actum, qui de *seculo Spiritus Sancti igneo* somniavit. Prolixiores justo in re nota esse nolumus.

§. 18. Cæterum quod attinet *Enthusiasmum* impium, & vere *fanaticum*, supra in distincta genera digestum, alius est *Diabolicus*, qui justo judicio *Deo* permittente, ex mali *Dæmonis* afflatu, & operatione intus recepti exoritur, dum, uti *Harmenopul.* de sect loquitur p.m. 570. ὁ νῆς ὑπὸ τῶν δαιμόνων κατέχευται, mens humana à demonibus occupatur. Hoc nomine apud *Gentiles* celebris fuit *Pythia Delphica*, licet doctissimus *Van Dale* de orac. Vet. Ethn. p. 139. *furorẽ Pythiæ* hujus *simulatum* fuisse statuerit. De quo, rationibus ejus non obstantibus, quæ sic interdum fieri potuisse, nonnunquam etiam ita contigisse probant; an hujusmodi fraus per tot secula occultari potuerit, merito dubitatur. Vix certe id Patres latuisset, cum & *Orphicorum* & *Eleusiniarum* sacra illis innotuerint impudica. *Marc. 1,23. c.5,2.* dicuntur *Diabólico* hoc *Enthusiasmo*, qui variat & in aliis cum majori, in aliis cum minori *paroxysmo* conjungitur, laborantes esse ἐν πνεύματι ἀκαθάρτῳ, spiritum immundum habere; id quod, modum quod attinet, variat. Minime omnium quod hoc *Enthusiasmi* genus attinet, nos dubitare sinit *Montanus*, de quo ex scriptore *Ecclesiastico* quodam, cujus verba *Eusebius* conservavit *H.E. l.5. c.16.* egimus supra §. 11. qui, ut fieri amat tali casu, ingentes in *Ecclesia* turbas excitavit; de quo alibi prolixius. Ἐρεψυμένον καὶ δαιμονιοντα, abreptitium & demoniacum illum fideles appellarunt apud *Euseb. l.c.* Pertinent huc *Messaliani*, *Euchitæ* etiam dicti, qui memorante *Theodoreto. t.IV. opp. hæretic. fabb. l.4. c.11. f.243.* ὑπὸ τῶν ἁφῶν ἐκβαλλέντων δαι-

μον ὁ ἐξαπατήφεντες, ἀποκαλύψεις ἐωρακέναι φασί, καὶ τὰ ἐπι-
 μενα πρὸ λέγειν Ἰπὶ χειρῶν, à demone decepti revelationes se vidisse
 se perhibent, & futura predicere, conantur. Ob quod & alia si-
 milia, à Theodoret. enarrata, τῶ ἐνθουσιασῶν ἐρχήκασιν ὄνομα, nomen
 Enthusiastarum consecuti sunt; nec abs re habentur pro Monta-
 nistarum prole, notante Danao ad August. de hæres. c. 57. p. 282.
 Pfellus de operat. Dæm. p. m. 10. de illis autor est, quod τῶ Ἰπὶ χειρῶν
 Σατανικὸν ἐνσεριζόντων, terrestrem Satanaki pectorum suorum penetra-
 libus induerint; quo nomine etiam qui hoc fecerunt Σατανιανὸς
 Satanianos seipfos appellarunt, memorante Epiphonio hæres. 80.
 t. I. f. 1069. Quæ de Θεοπλίας illorum idem retulit Pfellus l. c. p. 17.
 autori relinquimus. De occupatione mentis ὑπὸ τῶ δαιμόνων, à de-
 monibus, qualem statuerint, Harmenopolus egit l. c. p. 570. sq. Κα-
 λέντων, inquit, ἐκ τῶ πρὸ γμαλῶ καὶ Εὐθουσιασῶν. Δαίμον ὁ γὰρ ἐνέ-
 ρχων λαβόντες, πνέμαλῶ ἀγίῳ εἶναι ταύτων ὑπολαμβάνουσιν, &c.
 ὑπὸ τῶ τὰ πνέμα σφῶς αὐτῶς ἐκιδόντες, ἐνθουσιασμὸν τῶ ὀνείρων
 φαντάσιας καλεῖσι, ex re quoq; vocantur Enthusiastæ. Nam demonis
 vi correpti, eam sancti spiritus esse opinantur &c. & somno plerumq;
 dediti, species illas insomniorum vocant Enthusiasmum. Crediderunt
 etiam se σιωσιωμῶν φέρειν δαίμονα, ἐκάστω τῶτων σιωσιωμῶν, καὶ κα-
 ἐξουσιάζοντων, consubstantiarum gestare demonem, singulis eorum cohabi-
 tantem, & potestatem in eos habentem. Pertinent etiam huc Enga-
 strimychi, sive ventriloqui, de quibus in peculiari tract. Leo Allatius.

§. 19. Enthusiasmus deinde etiam datur illusorius, quando
 nimirum falsis rerum imaginibus phantasia & intellectui ob-
 jectis, nubem pro Junone accipiunt mortales, falsa & inani re-
 rum specie à Diabolo menti immissa, decepti atque misere deli-
 rantes, putantes id quod apparet esse id quod videtur, & esse
 creditur, cum non nisi fallax, falsaque species sit. Hujusmodi
 illusiones proveniunt vel à Diabolo, & hæctenus hujus generis
 Enthusiasmus illusorius, etiam Diabolicus est, & ad illum recte
 refertur; vel à miserabiliter læsa, & corrupta Enthusiastæ phan-
 tasia, forti & phantastica imaginatione mire delirante; vel à læsa
 phantasia & Diabolo eandem exagitante simul. Diabolum
 quod attinet, negari nequit, illum varie sensus incredulorum tur-
 bare, 2. Cor. 4, 4. mentemq; illorum excæcatam, vel turbatam, &
 obnubilatam, falsis imaginibus quibus firmissime adhæreant,
 cum

cum illas apprehendunt, sic imprægnare posse, ut illis fascino, & Diaboli laqueo capti, 2. Tim. 2, 26. hujusmodi lumine fatuo in quo ambulant, miserrime deludantur. Visiones, somnia, angelorum, ipsius etiam DEI & Christi apparitiones sic illusi jactare solent. Referimus huc *Muneri*, & *Anabaptistarum Monasteriensium* enthusiasmos. *Lesam* etiam & *corruptam phantasiam* causam esse posse, atque fuisse, hujusmodi illusionum fanaticarum, quibus phantasticis suis imaginationibus indulgentes deludantur, dubium non est. Quid phantasia possit, & quamnam *imaginationis vires* sint, & quam stupendæ illa sint, eruditissimo ostendit tractatu *Fiemus*. Hanc vero cum melancholiâ lædi contingat, quam læsio mentis etiam nonnunquam sequitur, ita ut ex Melancholiæ naturalis vitio, qui malo hoc laborant, interdum insaniant, & mirum in modum phantastici fiant; quis dubitet tales variis somniis, & visionibus vexari, & varie decipi? atque sibi etiam imaginari, se Christum ipsum esse. Et cur non phantasia hominis hujusmodi melancholici sic intendi possit, ut sensus avocentur ad intra. Neminem enim latet, quid vehementia affectus in sensuum externorum suspensione facere possit, ceu in diss. de Theol. myst. §. 21. etiam docuimus. Et sic explicari etiam potest enthusiasmus *Hesychastarum*, de quibus ex *Simeonis Xerocerci Monasterij Abbat.* opere de sobriet & attent. *Leo Allatius* de Eccles. Occid. & Orient. conf. l. 2. c. 17. p. 830. refert, quod *Simeon* iste suos Monachos jusserit *sedere clausis foribus in uno aliquo angulo seorsim, mentemq, suam abstrahere ab omni vanitate, re fragili & caduca; deinde mentum pectori innexum inharere, & movere sensibilem oculum cum tota mente in medio ventris in umbilicum scilicet: quin etiam constringere attractionem spiritus narium, ut non facile spirent, & inquirere intus in visceribus, ut reperiant locum cordis, ubi animi facultates morari solent.* Addit Abbas: *Et primum quidem invenies tenebras, & crassitudinem minime cedentem. Ubi vero perftiteris, ac dies noctesque in hoc opere consumseris, percipies letitiam, quæ nullo puncto temporis intermittit. Quamprimum enim mens locum cordis repererit, statim aspicit, quæ nunquam sciebat.* Malim sane hæc libentius melancholicis potius illusionibus, quam Diabolicis operationibus semper tribuere.

§. 20. Pari ratione non nego, et si in re non satis certa temere quid statui debere non affirmaverim: Quis enim rā βαζμ malitiæ Satanicæ exposuerit? Interim tamen non nego, fieri etiam potuisse, & posse, ut Tremor iste famosus Quackerorum, si non est fictitius, in melancholicis his ex nimia facultatum, imaginatricis præprimis, intensione, qua varias in corpore etiam mutationes fieri posse nemo negaverit, exoriatur; quo durante varias visiones, læpius forte melancholicas, habuerunt: Fanatici licet hi suis illusionibus & persuasionibus indulgentes eundem internæ Spiritus S. operationi tribuant, *divinumq; virtutis in se existentis effectum esse credant*: de quo Wilhelm. Caton. celebris olim Quackerus, in dem *Matelyck Ondersoeck*. q. 6. p. m. 7. Malo tamen Dæmone inter illos etiam nonnullos entheatos, & motos, ita trepidasse & contremuisse, non abnuerim, de quo in mea *Colluv. Quack.* p. 18. & *sect. 2. art. 2.* Suas etiam cogitationes, visiones, & luminis naturalis dictaminis dictata fanaticæ delusi Spiritus S. immediatæ illuminationi adscribunt. Hoc tamen neque Keitho, celebri nuper Quackero, neque etiam aliis tribuerim, quod *per expressum, & proæreticum pactum cum Satana afflatu illius, & revelationibus mendacibus utantur*. Conf. B. D. Bajer. *Synops. & Exam. Theol. Enthusiast. diss. 3. §. 5.* Aliam vero rationem censemus esse illius tremoris, quem passæ sunt mulierculæ fanaticæ, à Marco quodam Valentini successore seductæ, apud *Ireneum* l. 1. c. 9.

§. 21. Superest *Enthusiasmus fictitius* illorum, qui ut loquitur D. Hoornbeck. *Sum. Controv. l. 6. p. 379. suis opinionibus, doctrinæ, aut factis, extraordinarium divini spiritus prætendunt, aut mentiuntur afflatum, cælestesq; revelationes*. Admodum frequens est hoc imposturæ genus, & crebrius quam illorum, qui Dæmonis afflatus & *ενεργείας* interiores, atque agitationes paræstáticas experti sunt. Nec dubito in N. T. primo horum impostorum loco collocare Cerinthum, quem *Cajus* apud *Euseb. H. E. l. 3. c. 28. revelationes jactasse memorat*. De Valentinianis etiam autor est *Tertullian.* in l. *contr. Val. c. 4. al. 3. quod si aliquid novi adstruxerint, revelationem statim appellaverint præsumptionem*. Quomodo impostorum princeps Muhammedes, paroxysmos Epilepticos,

lepticos, quibus sapius corripiebatur, angelicis revelationibus, & cum Gabriele Archangelo colloquiis tribuerit, cujus circumfulgentem majestatem ferre non posset, & pro *ἐνδοξος* prophetica haberi voluerit, explicat *Zonaras* Annal. t. 3. f. 127. Plura de hoc habet *Horting*. Hist. Orient. l. 1. c. 2. p. 14. Gentilis historia similes fraudes enarrat. De Numa Pompilio autor est *Livius* hist. l. 1. c. 19. quod, quo leges suas populo Romano commendaret, sibi cum Dea *Aegeria* nocturnos esse congressus simulaverit, cujus monitu quae acceptissima Diis essent, sacra institueret: Quali fraude politica etiam Minoem, se suas leges à Jove accepisse fingentem, usum constat. Veteratoribus his non dubitamus associare *Muncerum*, & alios *συγγεγνυς* Fanaticos, qui Colloquia angelica, & cum DEO communicationem simulaverunt.

§. 22. Dicitum fuit §. 11. contingere posse, & contigisse, ut idem qui *divinum Enthufiasmum* temere ementitur, DEO puniente & justo judicio permittente, & *illusorio* & *Diabolico* simul vexetur. Pariratione nil obstat, quin idem delirium, & phantasma fanaticum, *ἐν ἐκθροισμῶ* constituto diversimode occurrat, ejusque phantasiae objiciatur: Nimirum ut vel à Diabolo tale phantasma immittatur, vel ut à suis phantasticis imaginationibus Fanaticus deludatur; vel ut impudenter talis mentiendo divinas jactet revelationes, visiones, & angelica colloquia. Isto modo id phantasmatis Diabolici; illo phantasticæ imaginationis; hoc vero mendacii temerarii & impii rationem habet. Exempli loco sint jactatae illae *apparitiones Christi*, quibus etiam jam seculo post N. C. secundo plus justo sibi placuerunt *Pseudoprophetae*, *Quintilla* & *Priscilla*, *ἡ νόθος πνευματικῆς πνεύματι*, adulterino spiritu repletae, memorante *Apollinario Hierapolitano* apud *Euseb.* H. E. l. 5. c. 16. *Montani* haeresiarchae sociae. Fingebat altera illarum, memorante *Epiphano* haeres. 49. t. I. opp. f. 418. ad se somno correptam aliquando Christum descendisse ac simul secum dormiisse. *Ἐν ιδέᾳ, φησὶ, γυναικὸς ἐξημαλισμένης ἐν σελῇ λαμπρᾷ ἦλθε πρὸς με χεῖρὸς, καὶ ἐπέβαλεν ἐν ἐμοὶ τὴν σοφίαν, καὶ ἀπεκάλυψε μοι, τὰ πονηρὰ ἃ τὸ πονεῖν εἶναι ἅγιον &c.* muliebri, inquit, specie ac veste splendida venit ad me Christus, mihiq; sapientiam

D indidit,

indidit, atq; hunc locum sanctum esse significavit &c. Etsi vero phantasma Diabolicum hoc fuerit, quod impia hæc mulier, malo Dæmone plena, per somnium vidit; licet nil impediatur, quo minus etiam patidum fuisse mendacium credatur; simile tamen quid etiam prædominante melancholia læsæ phantasiæ vitio contingere potuisse, imo contigisse, dubium non est. Nemini sane non constat, quod fumosis hujusmodi deliriis, & phantasticis imaginationibus pertinaciter inhærentes misere sæpe fuerint decepti, imaginantes ea quod vidissent, quæ revera nunquam apparuerant. Fanatica sane *Antonia Burignonia*, de qua etiam in diss. de Theol. Myst. §. 27. actum, quæque anno 1680. vivere desit, relata de *apparitionibus Christi, ejusq; amplexibus*, de quibus Dn. D. *Fecht* in dissert. de apparit. Christ. post Ascens. §. 33. fanaticis mulieris imaginationibus tribuere non dubito; quam immediato ductui divino se permittentem, de quo *Gottof. Arnold*, Hæref. P. III. c. 16. §. 10. f. 157. ab ineunte ætate *secessum & solitudinem*, uti solent melancholici, unice quæsisisse memorant qui historiam vitæ ejus tradiderunt, quo suis imaginationibus, neglecto verbo DEI scripto, eo minus impedita indulgere possent. Similiter & *Asseburgicæ virginis* nobilissimæ nuper factas Christi apparitiones mere imaginarias fuisse judico, referente Dn. *Peterseno* in Fact. Spec. vigilanti non somnianti illas obtigisse visiones, apparentem etiam Christum non oculis externis corporis, sed internis, imaginatione scil. fuisse visum; ita ut *Enthusiasmi illusorij* ream fecerint virginem hanc, à pietate ab aliis commendatam, qui pro ejus visionibus, ceu divinis, tantopere dimicarunt. Imo si quis illas revelationes pro supposititiis habuerit, ita ut majori ex parte, si non ex toto, Puellæ huic per imposturam dicantur fuisse adscriptæ, me non experietur contradicentem.

§. 23. Dimissis aliis etiam explicandum venit, quæ sit ratio *differentia* inter *Enthusiasmum divinum & Diabolicum*. Probandos esse *Spiritus* quales sint, Johannes præcipit 1. Ep. 4, 1. Discretio vero spirituum ob τὸ βᾶθρον Cacodæmonis pie, solícite, & caute instituenda est, cum ne vere piis injuria fiat, Spiritusque DEI blasphemetur, tum quod & *Diabolus in Angelum lucis se transf-*

transformare soleat, 2. Cor. 11. 14. de quo in peculiari dissert. super h. l. instituta actum est. Scriptor sane qui sub *S. Hermæ*, Viri Apostolici, *Pastoris* titulo multis imposuit, etsi l. 2. mandat. 10. seqq. notante *Cotelerio*, Theologo Sorbonico, ad l. c. f. 97. multas habet differentias, quæ secernunt pseudopphetam à Propheta, spiritumq; Diabolicum à divino; statim tamen, nisi limitate accipiat, prima fallit, quando mendax Prophetes, inquit, nullam habens in se virtutem spiritus divini, (al. veritatem in se spiritu divino) loquitur illis secundum interrogationem illorum, & implet animas illorum promissis sicut illi volunt. Etsi enim hoc nonnunquam verum sit, exemploque Hananiæ falsi prophetæ apud *Jerem.* 28, 1. seqq. pateat, recte tamen observat *Cotelerius* l. c. ex *Euseb.* 5. 16. de Spiritu Montani, quod non solum ὑποκριτικὸς καὶ λαοπλάνος, adulator vulgiqu; seductor fuerit, sed etiam ἐλεγκτικὸς, objurgatorius videri voluerit. Tam crassus sane Diabolus non est, ut tam aperte semper blandiatur, ut ejus fraudes statim deprehendantur, ceu Jupiter Ammon per vatem in omnem adulationem compositum fecit, cum ad oraculum edendum ab Alexandro sollicitaretur, apud *Curt.* 1. 4. c. 7. Certe callidius suas artes veteratorias exercere, & fallere novit Spiritus nequam. Pro communi aliquo indicio, non pro tali nota pravi Spiritus blandimentum hujusmodi, atque ὑποκρίσιμα, haberi debet, à qua tam affirmative quam negative, & quidem seclusis aliis characteribus, concludere liceat: quæ etiam locum non semper habet, nisi simul verbum DEI in subsidium adhibeatur. Hoc unice larvam Diabolo sic detrahit, ut non fallaris. Ad hoc tanquam ad lapidem lydium omnes prophetiæ sunt examinandæ.

§. 24. Non sufficit etiam hic sanctitas externa, quasi Enthusiasmus cum vitæ sanctitate, vel potius sanctimoniam exterioris specie conjunctus, pro divino statim haberi debeat. Pietismum hoc fanaticæ sanctitatis genus appellaveris rectius, cū vera Pietas, Paulo 1. Tim. 4, 8. deprædicata, fructus Spiritus S. sit, & ex fide oriatur Gal. 5. 6. 16, 22. *Arnoldus* equidem in sua Hæresiolog. passim Pietastorum Fanaticorum laudat pietatem, quasi eandem non nequissimi quique præ se tulissent Hæretici, Ebionitæ, apud *Epiph.* har. 30. *Valentiniani*, τελείως ἐαυτοὺς ἀναγορεύοντες, perfectos

semetipfos vocantes, memorante *Irenæo* l. 1. c. 9. *Encratite*, & *Tatiani*, impudentissimi etiam *Adamiani* statum integritatis affectantes, de quo *August.* de hæres. c. 33. *Ariani*, *Pelagiani* &c. Mirum proin non est *Enthusiastas*, ceu à *Spiritu Sancto* inhabitante actos, pro quo *Hagiodæmon* haberi cupit, etiam singularem sanctimoniam speciem præ se ferre, atque tali larva pietatis simplicioribus imponere conari. Satis enim gnarus est *Spiritus malignus*, hac fallaci specie exteriori *Angelica* interiori, per impuri spiritus afflatum, divinitus ex justo *DEI* iudicio permissum, imposturam feliciter tegi. Videas hinc *Enthusiasmo Diabolico* agitados etiam de *Pietate*, sed minime genuina, multa scripto & voce garrientes. De *Apelle* sectario, & assecla *Marcionis*, autor est *Eusebius* H. E. l. 5. c. 13. quod παρθένῃ δαμμωνόσῃ, virginis cujusdam *Dæmoniaca*, cui *Philumena* nomen erat, responsis ad hæresin inductus, τῇ πολιτείᾳ σεμνότητι & fuerit καὶ τῷ γήρατι, h. e. sanctioris vitæ cultum & senectutem præ se tulerit, interprete *Valesio*. Ita de *Montano* constat, quod conjungens cum *Enthusiasmi* vitæ sanctitatem, & austeriorem vitam, multis imposuerit. De quo etiam *Baronius* Annal. t. 2. ad an. 173. n. 3. & 7. quod spectat, inquit, ad *Montanum* & ejus socios, perfacile fuit ab eis decipi: quippe qui in omnibus speciem pietatis præ se ferebant. Celebriores etiam præ aliis *Enthusiastæ Messabiani*, de quibus supra §. 18. ubi *Dæmone* pleni fuerunt jactarunt, se καὶ τὸ πατέρα βλέπειν, καὶ τὸ υἱόν καὶ τὸ πανάγιον πνεῦμα, τοῖς ὀφθαλμοῖς ὀφθαλμοῖς, & patrem videre, & Filium & *Spiritum Sanctum* oculis corporis, apud *Theodoret.* hæret. Fab. l. 4. c. 11. de cætero semper orantes, notante *Augustin.* de hæres. c. 57. quo nullum melius opus videtur esse posse. Idem factum ab *Enthusiastis* novissimorum seculorum, *Anabaptistis*, *Quackeris* &c. Nota etiam sunt deliria *Fanaticorum*, futurum in terris seculum aliquod *Spiritus Sancti* somniantium: Constatque *Muncerum* cum suis, & *Davidem Georgium*, hominem blasphemum, aliud seculum quod à sanctitate se commendaret crepasse, de quo *Hoornbeck.* Sum. Contr. l. 6. p. 432. sqq. Pertinet huc etiam *Nicolai*, Fanatici cujusdam *Westphali*, *Familia Charitatis*, de quo post alios etiam *Gottfr. Arnold.* Hæresiol. P. II. l. 16. c. 21. §. 36. Ne de *Societate Philadel-*

Philadelphica hodierna quid dicam. Usque eo lubricum est à nudo pietatis studio, & ejusdem comendatione exteriori, inter bonum & malum Enthufiasmum distinguendi rationem certam velle petere, cum Charitatis judicium toties sefellerit.

§. 25. *Sanctitati* doctrinæ proin etiam ejusdem *veritas* accedere debet, nisi quis Angelicorum colloquiorum præco veteratorius, & cœlestis propheta fanaticus dici velit, cujus enthufiasmi habeantur pro inanibus & ementitiis, falsis item atque fictis. *Veritas* hæc in scripturis divinis esse debet fundata, ita ut hæc *sole simul unica & certissima illa regula esse credantur, ad quam omnia dogmata exigere, & secundum quam de omnibus tum doctrinis, tum Doctoribus judicare oporteat*, uti monet *Form. Conc. p.m. 623.* Complectitur doctrina hæc articulos fidei, & pietatis: Et illi etenim & hi ad doctrinæ Christianæ integritatem pertinent. Hi etiam illis respondere, & ex illis fluere debent. Sic vero *Jesai. 8, 19. sq. à Pythonibus, hariolis, & sic à Fanaticis quoque & Enthufiasticis, quibus Diabolus illudit, quacunque id fiat ratione, omnibusque etiam qui visiones, somnia & revelationes jactant, omnes ablegantur à DEO ad legem & testimonium, quod si non dixerint in omnibus juxta verbum hoc, non erit eis aurora.* Add. *Gal. 1, 8.* Jactant, fingunt, urgent Fanatici & Enthufiasticæ à se, & suis alleclis tradita ex DEO esse: Ad legem ergo & testimonium ista, quæ tales docent, examinari debent. Constat *Hoburgium* nugatum esse, etiam *Davidis Georgij*, vulgo *Foris*, de quo §. præced. superiorum temporum Enthufiasticæ, doctrinam ex DEO fuisse. Id vero cum falsum sit, *Raptus* ejus ex DEO fuisse minime credendum: Pro *Georgia* hoc excusando licet, ut solet, magno etiam molimine laboraverit *Arnold.* in *Hæresiol. P. II. l. 16. c. 21. §. 51. sqq. 55.* quod singularem vitæ sanctimoniam præ se tulerit, eodem memorante *Arnoldo* l. c. §. 45. de specie pietatis potius, quam vera pietate, quæ ex fide sit, sollicito. Quamcunque itaque pietatis speciem præ se tulerint *Weigeliani, Bohmista, Philadelphica societatis socij*, aliique recentiores in fide errantes, sive *Pietista*, sive *Pierastri, Frömlinge* de quibus *Dn. D. Sonntagius* novissime de Fanaticis. §. 24. seqq. qui cum vere *Piis* minime confundendi sunt; cum fides horū sana non sit,

cujus primam omnium rationem habet, ceu radicis omnis veræ sanctimoniam, quæ ex DEO est revelatio, recte statuitur, ut gravius nil dicam, *illusorio* Enthusiasmo tales misere esse deceptos; etsi nonnunquam nil impediatur, quo minus DEO permittente Diabolici simul raptus & illusiones conjungantur. *Arguendi* proinde tales ex Apostoli mandato sunt *δοτο τομωσ* præcise, *ut sani sint in fide*, Tit. 1, 13. *Divinus* itaque *Enthusiasmus*, & veritatem doctrinæ & sanctitatem vitæ urget, cum *Diabolicus*, vel *illusorius* adversus illam peccans, vel eam negligens, hujus specie sit contentus, Diabolo in angelum lucis se transformante, 2. Cor. 11. 14. ut merito pro suspecta habenda sit ista Pietas, quæ de operibus potius loqui mavult, quam de fide. Notatur hinc ab *Epiph.* hæc. 48. *Enthusiasta Montanus*, quod scripturis contraria docuerit.

§. 26. In scripturis sacris *Divini* & *Diabolici* Enthusiasmi exemplum habemus 1. Reg. 22, 11. 12. & cap. cit. v. 14. sq. Ibi v. 11. sq. 22. Pseudoprophetæ à Dæmone decepti, vel Enthiasinum fingentes, Achabo & Jehoschaphato, Regibus Confœderatis contra Syros, victoriam pollicentur *per Spiritum*, uti fingebant, *Jehovæ*; cum fuerit *spiritus nequam*, qui non ex mandato DEI, sed ex ejus tantum permissione, potestatem acceperat decipiendi Achabum, per hoc quod falsam prophetiam inspiraret prophetis Baal, explicante *Estio* in annot. h. l. f. m. 261. Hic vero v. 14. 17. 19. *ἐν πνεύματι προφητεύων*, in spiritu existens Micha Jehovæ Propheta vidit universum Israël dispersum super montibus sicut oves, prædixitque cladem. Uter horum in spiritu DEI & Dæmonis esset, ista tempestate difficulter discernebatur. Etsi enim ob corruptum Reipublicæ & Ecclesiæ statum facilius publicas clades & calamitates imminere prudentes rerum æstimatores colligere poterant: Attamen cum de termino gratiæ, & misericordiæ divinæ, extraordinariæ potissimum, certo nil constabat, cujus Enthiasmus divinus, cujus Diabolicus esset, tunc certo defini vix poterat. Pessimis sane Israël temporibus Jonas victoriam Jeroboamo II. contra Syros prædixit, 2. Reg. 14, 25. sq. eximio caractere historico rem eandem notante *Joseph. Antiq.* l. 9, c. 11. Expectandum ergo erat, donec rerum eventus, pe-
nes

nes quem veritas prophetica, & sic divina revelatio fuisset, determinaret, dicente etiam Micha: *Si redeundo redieris cum pace, non locutus est Jehova per me*: Addendo: *Audite hoc, quod sc. modo dixi, omnes populi*; quæ enim vera & certa sunt clare eloquor. Conf. *Escobar* in Comm. in III. Reg. c. 22. Comm. in V. T. t. 2. l. 6. f. 457. *Alias*, inquit *B. Dannhæw.* Theol. Consc. t. 1. p. 368. *prophetæstri coelitus non afflati dicunt, sed non clara, uti Apollo ὁ λαξία, qui in paradiso statim suæ amphiboliæ specimen edidit: De Pythia Delphica res certa est: non vera, ut Zedekia Baalis popa 1. Reg. 22. non certa.* Sane non male ipse *Cicero* 2. de divinac. jam, inquit, *ad te venio, sancte Apollo; Tuis oraculis Chrysippus totum volumen implevit, partim falsis, ut ego opinor, partim casu veris, ut fit in omni oratione sapissime: partim flexiloquis & obscuris, ut interpres egeat in interprete, fors ipsa referenda sit ad sortes: partim ambiguus &c.* Ne de verborum obscuritate quid dicam, cum *claritas* sit *Scripturæ sacræ affectio.*

§. 27. Patet hoc exemplo *Enthusiasmi Montani*, de quo *Euseb.* H. E. l. 5. c. 16. Quanquam enim *Pietaster* fanaticus singularem præ se tulerit sanctitatem, ex spuma tamen *Draco* fuit agnitus, cum ἐβρασιῶν *nova & inaudita*, & proin merito suspecta, atque *futura prediceret, præter morem ac institutum Ecclesiæ à majoribus traditum.* *Mulieres* quoque quas impostor secum ducebat, καὶ ἐκφρόνας, καὶ ἀκαίρωσ, καὶ ἀδύσελοτερωσ, *insana, importuna atq; aliena loquebantur.* Refertur etiam ab *Euseb.* l. c. ex scriptoribus Ecclesiasticis ulterius, quod *Maximillæ Prophetiæ* falsitatis fuerint convictæ. Jure referimus proin ad *Enthusiasmum* divinum, ejusque species, ab heterogeno sequestrandum, quæ *B. Dannhæwer* in Theol. Consc. P. I. p. 21. adducit, ceu characterem sequestrem somniorum divinorum, & heterogeneorum. Nimirum ex gloria DEI per se intenta, ex testimonio de *Jesu* sacris literis conformi, convenientique divinæ revelationi si aliquid sit majestate, cum illuminatione etiam & ædificatione Ecclesiæ necessaria, & consensu cum firmiori sermone prophetico, atque similibus indiciis, conjectura potest prudenter institui, hujusmodi *Enthusiasmum*, si rarior etiam fuerit, piisque insuper & fidelibus, de quo *B. D. Calovius* *Bibl. Illustr.* t. I. Proleg.

in

in Proph. f. 649. obtigerit, non temere ceu Diabolicum, aut mere illusorium, statim esse rejiciendum. Heterogenus autem est Enthufiasmus, qui fcripturas allegando & explicando pervertit, uti *Montanum* cum Prophetiffa feciffe oftendit *Epiphanius* l. 2. tom. 1. hæc. 48. §. 5. fqq. *mendacio etiam facris literis adverfo, ac homicidio Satanam, vel vanitate naturam, vel peccaminofa affluxu carnem prodis*, ut loquitur *Dannhaw.* l. c. Add. *Calovius* Ifag. l. 1. c. 8. §. 2. p. 130. & quæ de *Enthufifmo Sibyllarum* idem difputat ibid. p. 148. fqq. hujus quæftionis difficultatem merito agnofcens; de qua vid. etiam *B. Rappoltus* in differt. de Chriftianifm. Virgil. ad *Eclog.* ejufd. IV. §. 19. Sicut & reliqua quæ hætenus notavimus, uti in thefi plana funt, fic in hypothefi & in applicatione ita funt comparata, ut ob *πανεργίαν* Diaboli interdum admodum difficile hic fit arbitrari.

§. 28. Apparet præterea inter *Enthufifmum fanctum* & heterogenum, five *fanaticum*, hæc differentia ratio, quod, cum quæ DEO pleni & Spiritu Sancto inspirante locuti funt fancti DEI homines, apte inter fe conveniant, & connectantur, hoc non obftante, quod per jucundas perfonarum permutationes & dialogifmos doceant Prophetæ; ab uno item ad alterum avolent, *crebris deniq; sermonum quafi fyncopis, aq; typo ad antitypum; à revelatione ad revelationum nucleum Chriftum, tanquam in cyclade variegata Chriftum intertexturi*, ut ex *Hieronymo* loquitur *B. Dannhaw.* in *Hermeneut.* f. p. 440. redeant, quo *συνέχεις* non tollitur; in Stylo & fermone Fanaticorum sæpe numero nulla fit *συνάφεια*: Quale quid fimile in stylo biblico non occurrit, ubi iftæ allæofes, & quæ videntur fyncopæ, connexionem textus non tollunt, ficuti periti fcripturarum interpretes eandem etiam feliciter oftendunt. Recte proinde *Frassenius* *Disquis. Bibl.* l. 1. c. 1. p. 13. in *fcriptore Demonstrationis Evangelicæ*, Viro alias doctiffimo, notavit, quod *in fcriptis prophetis plerumq; confufa ac permixta rerum feries ei vifa fuerit, idq; ob divinum afflatum. Scabrum, inquit is, falebrofum, ac diffipatum edere folet ἐκείνους, & per varias fpecies rerum fibi obverfantes præcipitatur inftinctus animus.* Quæ & aliorum male Criticorum eft fententia. Non longe hæc abeunt ab illis, quæ de *Enthufifmo Pythiæ Delphicæ* olim fcripfit *Plutarch.*

Plutarch de Pyth. Orac. f. 404. indigna quæ stylo sacro tribuatur, si vel maxime conceditur, quod *viri θεήλατοι non semper scripserint dispositu, sed impetu*, ut loquitur *Dannhauer*. l.c. p. 366. In verbis divinitus inspiratis nil quod glossarchia divina, de qua *B. Dorsch.* in admir. septen. indignum, cogitare licet. Fanaticus stylus ab ejusmodi mysteriis, & aliis quæ in textu sacro sunt, vacuus est, ceu cujus autor glossarchia genuina destituitur. Exemplo rursus est *Montanus*. Sic enim ille exempli gratia fuit locutus, memorante *Epiphani.* l.c. §. 4. f. 405. Ἰδὲ ἀνθρώπου ὡσεὶ λύρας, καὶ γὰρ ἵπταμαι ὡσεὶ πλῆκτρον. ὁ ἀνθρώπου κοιμᾶται, καὶ γὰρ ζηγοῦμαι. ἰδὲ Κύριος ὁ ἐκστάντων καρδίας ἀνθρώπων, καὶ διδύς καρδίας ἀνθρώπων. *ecce homo tanquam lyra, ego vero plectrum volo. Homo dormit; ego vero vero vigilo. Ecce dominus est qui corda hominum in stuporem vertit, & corda dat hominibus.* Recte vero *Epiphanius* verba hæc judicat esse λόξα ῥήματα, καὶ σκαλιωτά, καὶ ἕδεμίας ὀρθότητι ἐχόμενα, *obliqua ac perplexa, nec recti omnino quid essutientia.* Spiritus Sanctus enim præcipiens nobis ut formam sanorum verborum retineamus, 2. Tim. 1, 13. ipse eandem non mutat; nec tam inepte & obscure loquitur, uti Fanaticis nescio quo spiritu affatis in more positum est, uti *Muncerum, Weigelium, Böhmiium,* qui non loquuntur, ut Spiritus Sanctus loquutus est, fecisse constat, qui nec ipsi ea quæ loquebantur assecuti sunt; ἄλλοι χαρακτῆρα ὑποδεικνύοντες ὡς τὰ ἑαυτῶν χαρακτῆρα ἔχοντες πνεύματι ἁγίῳ, ἃ ἐκ τῆς προφητείας λελαληκότες, in quibus alia nota figuræ cernitur, quam quæ Spiritui Sancto, qui per prophetas locutus est olim, germana videatur ac propria, uti de *Montano* rursus loquitur *Epiphanius* l.c.

§. 29. Idem *Epiphanius* l.c. f. m. 404. inter sanctum prophetarum, & Diabolicum *Montani Enthufiasmum* hoc discrimen intercedere statuit, quod ὁ πνευμάτις μὴ κατὰ κρίσεως λογισμῶν, καὶ ὡς θεοθελήσει εἰλάλει, καὶ ἐφθέγγετο ἐν πνεύματι ἁγίῳ τὰ πάντα ἐρωμῆσαι λέγων, *verus Propheta cum sui compos, tum ea quæ dicebat intelligens, futura nunciabat, proq; eo ac Spiritus Sanctus impulerat præcipuo quodam animi robore vaticinari solebat, sic ut etiam cum ἐν πνεύματι ἦσαν, ἐρωμῆσαι τὴν ἀγνοίαν, καὶ τὴν διδασκαλίαν, καὶ τὴν ἀλογίαν, firmam ac stabilem mentem, ac docendi, discernendiq; facultatem retinuerint; quicquid sit de hoc, quod ani-*

E

ma

ma ab exterioribus objectis sensibilibus nonnunquam fuerit avocata, *rationis enim usum hoc facto non amisit.* Epiph. l. c. f. 405. 1qq. 408. Ast quod Montanum attinet cum suis Prophetissis, *neq, certa cum animi firmitate predicarunt, neq, quæ dixerunt intelligentia consequuti sunt,* ἔτε ὡδρακολλῶν λόγῳ ἔχοντες. Mox rursus de Fanatico hoc ejusque dictis verba faciens Epiph. l. c. §. 4. f. 406. ἐκστατικὴ ῥῆματα ὑπάρχει τῶν, καὶ ἐχὶ ὡδρακολλῶν βῆν, *furiosi, inquit, hominis verba sunt, minimeque quæ loquitur assequenti.* Idem discrimen inter veros Prophetas, & Montani, prophetissarumque ejus Enthusiasmus, quod illi mentis compotes, placido & tranquillo animo, scientesque & intelligentes prophetarint, hic vero cum suis mulierculis non sine mentis abalienatione insaniverit, observat Hieronym. Prolog. in Esai. ad Eustach. t. V. opp. & t. 6. opp. Proœm. in Nahum. f. m. 74. quod etiam ante hos Ecclesiæ doctores in peculiari opere contra Montanum, & insanas ejus socias, constanter urfit *Miltiades*, qui istis temporibus vixit, *Tertulliano & Hieronymo* notantibus. Laudatus *Miltiades*, cujus fragmentum exhibet Euseb. H. E. l. 5. c. 17. μὴ δῆν, contendens, πρὸς φῆτιν ἐν ἐκστασί λαλεῖν, *non decere prophetam in ecstasi loqui, non quamvis intelligit ἐκστασιν,* qualis etiam sanctis legitur accidisse, ceu supra §. 6. explicatum, quæque placide fit, nec statum mentis perturbat, sed *παρέκστασιν,* uti seipsum explicat l. c. ψαδοπρὸς φῆτιν ἐν παρέκστασί, *falsum prophetam in irregulari mentis excessu,* cum furore & ignorantia conjuncto, insanire notans. De qua differentia inter ἐκστασιν & *παρέκστασιν;* quarum illa à divino spiritu imittitur, hæc à Dæmone procuratur, vid. *Valesius* annot. in Euf. l. 5. H. E. c. 16. & 17. *Frasenius* disquis. Bibl. l. 1. c. 1. p. 12. & 13. *Du-Pin* dissert. prelimin. sur la bibl. tom. prem. l. 1. ch. 2. p. 37. In N. etiam T. sanctus ille Enthusiasmus, qui festo Pentecostali Apostolis obtigit secundum vaticinium Joël. 3, 1. sq. & Christi promissionem, Joh. 15, 26. c. 16, 7. 14. sq. quaque ἐπλήθησαν ἅπαντες πνεύματι αἰῶν, *imploti sunt Spiritu Sancto,* placidus fuit, sine omni furore, ita ut mente plane integra, sensibus etiam ab objectis externis non avocatis, scientes denique nil nisi intellectum elocuti fuerint, Act. 2, 4. 11. 15. 22. 38.

§. 30. Cæterum sicut Diaboli operationes in illis, in quibus operatur, variæ esse possunt, ita non negamus, fieri etiam posse Diabolicum afflatum, & inspirationem, sine furore & παρηρσείσθ. Exemplum hujusmodi Enthusiastæ legitur in *Eunap. Sardin.* de vit. Philos. in Ædef. p.m.43. Cum enim hic Ædefius, homo magicis *Jamblichi* artibus imbutus, per precationem cui maxime fidebat, ad divinationem, *μαντεία*, quandam confugeret, facta illa est δι' ὀνειρέσθ, per insomnium. Ο' μὲν Θεὸς ἐφέστω πρὸς τὴν ἀχλὺν, καὶ ἔχρησεν ἐν ἑξαμέτρῳ τὸν ὄρακα &c. descenderat enim ad preces DEUS, & hexametris versibus oraculum ediderat. Περὶ φόβου, pertrepidus etiam metuque perterritus, ditæq; memor, non vero furore correptus dicitur: Licet alias Enthusiastæ poëtici dæmoniaci non sine furore interdum fuerint, ut exemplo Sibyllarum patet. Sic contra ea quæ diximus, quod Prophetæ quid prophetando dicerent non ignorarint, *Dupin* l.c. sic excipit: *Il peut y avoir aussi des hommes qui prophétisent sans le sçavoir, parce que la Prophetie est un don attaché a leur ministère*, exempli loco adferens prophetiam *Caiphæ*, quid *Joh. 11, 50.*sq. prophetaret ignorantis. Sed non pure erat prophetica Pontificis hujus oratio à Spiritu Sancto tantum, ut in aliis Prophetarum prophetiis factum est, intenta; sed etiam humana formaliter, & humana *Caiphæ* intentione sanguinaria prolata. Cum itaque quibus ipse verbis usus fuerat præcipitato judicio, iisdem etiam Spiritui Sancto uti placuerat, prævalente licet furore, obstrepente etiam, & contranitente sanguinaria *Caiphæ* ferocia, mirum non est, ad suam tantum, non ad Spiritus Sancti mentem percipiendum, aures hominis fuisse apertas; id quod de aliis Prophetis, quorum Prophetiæ erant pure tales, dici nequit. Admirabilem Spiritus Sancti γλωσσοαρχίαν etiam hic agnoscit, & veneratur *B. Dannh. av.* in *Homil. Acad.* p. 14. id quod in *Hermen. sacr.* repetiit p. 28. *Add. D. Calov. Bibl. Ill. t. 1. f. 648.* & seq. qui *Caiphæ* hunc formaliter prophetasse negat, cujus prophetiam non nisi materialiter talem fuisse contendit.

§. 31. Infertur aut ex dictis Enthusiastæ, quales fuerunt *Montanus*, ejusque Prophetissæ, item Sibyllæ, alique hujus generis

neris divinatores, qui per pravum Spiritum inhabitantem, mentemque turbantem locuti sunt, etiam obsessos fuisse à Diabolo, & *energumenos* dici posse. Act. 16, 16. sqq. Alia vero illorum est ratio, qui dicuntur Spiritum *assistentem*, seu familiarem habere. Conf. *Thyrae*. de Dæmoniac. P. II. c. 20 p. 54. sq. Sic etiam pro Enthusiasticis *formaliter* talibus *Mysticorum Contemplantes*, uti appellantur, per se haberi non debent; licet non negem, per abusum, qui etiam in Theologia mystica invaluerunt, à Mysticis talia sæpe jactari, urgeri etiam & enarrari, quæ Enthufiasmum inferunt; de quo in diss. de Theolog. Myst. §. 6. & 21. ubi etiam notatum fuit §. 13. quomodo Illustrissimi & doctissimi in Gallia Præsules Dn. *Cameracensis*, & Dn. *Meldensis*, Fanatissimum sibi invicem objecerint circa Mysticorum disciplinæ explicationem. Lapsus hinc est *Gottfred. Arnold.* in Hist. descript. Theol. Myst. novissime emissa, quo scripto suum *Separatissimum*, & *Eclogissimum*, satis iterum prædicit, contendens c. 8. §. 8. *accusationem de Enthufiasmo* ob Theologiam Mysticam *inter Pontificios non audiri*. Idem censendum de *furore Poëtico*, qui etiam *Enthufiasmus à Democrito* dictus fuit, ceu constat ex fragmento ejusdem apud *Clement. Alexandr.* l. 6. Strom. in fin. f. 698. & *Platone*, prolixè in *Jon.* f. 145. sq. & in *Phædr.* f. 344. disputante. Proprie enim furor non est ex vero DEI afflatu proveniens, sed ex naturali aptitudine & inclinatione ad poësin exortus motus, ad excudendos ex ingenio versus, mentemque ad sublimia elevandam, sponte fere sua carmine ad numeros aptos veniente. Ridet vero doctissimus *Rappinus* ob Enthufiasmum hunc *Platonem*, tom. II. de ses Reflex. sur la Poëtiq. en general. §. 5. p. 120. & 201. De hoc *Furore Poëtico* peculiari etiam olim dissert. egimus.

§. 32. Ulterius præterea observari meretur, Enthufiasmum Fanaticum non eadem semper apparere facie. Jam enim *crassior*, jam *subtilior* est. *Enthufiasmus crassior* est, qui non solum cum contemptu verbi & sacramentorum, ipsius etiam ministerii Eccles. fanaticè divinas pro regula jactat visiones, angelica item colloquia, revelationesque, & similia factis suis prætendit, sed etiam igne & gladio sævit, & vitam sociale turbat, Magistratumq; Politicum, & Ecclesiasticum Ministerium it sublatum

latum

tum. Talis Anabaptistarum Monasteriensium furor fuit, de quo prolixius *Sleidan.* l. 10. ab init. Proles hi fuerunt sanguinari Fanatici *Munceri*. *Subtiliores* vero extiterunt fanaticè novando *Mennista*, à *Mennone Simonis* ita dicti, qui ab insania Majorum multum remiserunt. Vita illorum exterior commendatur à *Dn. Benthem* *Holländisch Kirch- und Schul-Staats.* c. 19. p. 834. ab *humilitate, à τῆν ἐπιείκῃ, temperantia, & beneficentia erga egenos.* Vid. etiam *Hoornbeck.* *Sum. Contr.* p. 354. *Confessio Fidei* illorum recentior cæteris producitur ab eodem *Benthem* l. c. p. 845. majoremque spirat in vita sociali tranquillitatem, quam superiores fecerant. Art. 13. expresse asseritur, *potestatem magistratus civilis esse origine divinam, cui proinde ab omnibus obsequium debetur.* In eadem *Confess.* art. IX. conceditur *electio Diaconorum* ab Ecclesia facta ad verbi prædicationem. *Subtilissimi, & periculosissimi Enthusiastarum* illi sunt, qui cum ex animo ministerium verbi & sacramentorum contemnunt, tacitisque artibus ejus contemptum moliuntur, illud tamen magnifacere videri volunt, atque commendant, cuncta interno, nescio unde exorto, impulsui tribuentes, ex fanatica sæpe persuasione, cui pertinaciter inhærent, aptitudinemque docendi jus dare fingentes. Tales fuerunt *Anabaptistæ Anglicani*, quos *tirones* adhuc vocavit *Hoornius* *Hist. Eccl.* p. m. 266. quos nec dum ad illos errores delapsos scripsit, quos apud *transmarinos* invenias. In *confess. Fid.* edita Londini art. 42. professi sunt, quibus *DEUS* dona dedit, illos concionari posse ac debere. Multos etiam ex plebe in Anglia olim, cum *Independentes* in hac grassarentur insula, atque eadem *oppleta* esset *sectariorum colluvie* non minus, quam quondam tellus *Memphitica* locustis & ranis, ut loquitur *Creygrhon.* in *hist. Concil. Flor.* præfat. ad lect. idem *Hoornius* l. c. p. 252. autor est jactasse, *sibi quidem, à concionando, docendo alios, abstinere non licitum, nisi veritatem in injustitia detinere, & talentum suum abscondere velint.* Hujus generis Fanatici etiam hodie extra Angliam dantur, quibus mature obex poni debet.

§. 33. Pestilens nimirum, & noxium etiam malum in Republica & Ecclesia est Enthusiasmus Fanaticus, & proinde non tolerandus, neque hic, neque ibi. Neminem sane vel mediocriter in Antiquitate historię secularis versatum latet, quan-

tarum calamitatum in Republica causa fuerit, divinis revelationibus aliquid falso tribuisse, vel fanaticè commercium aliquod Enthusiasticum cum DEO jactasse, vel religionis thyrso plebem infatuasse, quo arcano ad dementandam plebem sæpius Romani usi leguntur. Vid. *Clapmar.* de arcan. l.2. c.9. qui etiam l.3. c.13. notavit, quam periculosa sit ars divinandi in principatu. Numam Pompilium, Minoem Cretensem, Pisistratum LLatores, quo leges & sacra sua comendarent, ad Enthusiasmum, ementitum licet, confugisse notum est. Impostorum principis, Muhammedis, prætenfa angelica colloquia quam fatalia fuerint cum universo humano generi, tum orbi Christiano, per tot gentium clades innotuit. Enthusiasticus furor etiam interdum seditiosus est, & crudelis. *Bellum sane Rusticorum* primas sui origines ei debet: Quantasque cum per Anabaptistas, tum per alios, Reipublicæ calamitates attulerit, in superioribus non semel monuimus. Legi etiam meretur *Lat.* in *Comp. Hist.* p.556. Superiori sane seculo in Anglia quæ fuit tragœdia, ipsi Regi funesta & exitialis, cum Independentismo in Anabaptismum degenerante Enthusiasmus invalesceret, ex *Batei Elench.* mot. in *Angl.* cognoscere licet. Autor ille est *P.I.* p.144. Regicidas sceleratos tuitos se fuisse contra illa, quæ à melioribus contra tam immane factum objiciebantur, *obtentu providentiæ divinæ, sanctiq; Spiritus impulsu, è suggestu etiam quodam, nomine Peters, judices exstimulante, adesse tempus quo sancti mundanos Reges, eorumq; nobiles ferreis vincirent catenis.* ad. p.221. 224.

§. 34. Non minor calamitas ab Enthusiasmo imminet Ecclesiæ. Suo tempore & loco explicabitur, DEO annuente, quantum negotii *Montanismus*, ejusque ficta pietas, quando cum Fanatismo hæc conjungitur, Ecclesiæ creaverit, id quod nec notare omisit *Baronius Annal.* t.2. ad Ann. Chr.173. f.176. Enthusiastica *Anabaptistarum, Weigelianorum,* & aliorum doctrina, quantum monstrosis suis deliriis mali attulerit Ecclesiæ, prolixè explicarunt harum turbarum scriptores: Latissimæ sane per universam sparsa fuit Germaniam. *Conf. Lat.* l.c. D. *Hoornbeck,* *Sum. Controv.* l. 5. & 6. Multique vitæ exterioris specie ab his

Fana-

Fanaticis seducti sunt. In superiori etiam seculo invalescente Parlamenti; quod veneno Fanatico infectum fuisse, & res ipsa docuit, & *Autor* lib. *Regij sanguinis clamor ad Cæl.* c. 2. p. 23. notat; & Cromvelli potentia in Britannia, ab Enthusiasticis illata damna satis Ecclesia Anglicana sensit, de quo *Hoornius* in *Hist. Eccles. Period. III. art. 2.* *Creyghonus* sane in *Hist. Conc. Florent.* præf. ad Lect. de Sectariis Anglicis scripsit, quod *præter arcana Spirituum dictamina nil approbarint.* De *Quackeris* etiam notum est, quod multos in suas partes pertraxerint. Recte nimirum *B. Lutherus* tom. 2. *Witteb.* f. 416. *Wann Gott/ inquit, zürnen wil/ und sein Wort wegnimt/ ist kein Irrthum so grob/ der Teuffel gehet damit hindurch.* Nil de Enthusiastarum, *Montanistarum*, *Weigelianorum*, *Quackerorum* & c. monstrosis dogmatibus dicam: Hostis est Spiritus Enthusiasticus omnis boni ordinis, verbi in Ecclesia divini, & Sacramentorum. Amat, ceu Spiritus tenebrarum, ignorantiam: Hinc organa disciplinarum Philosophicarum, imo & Philologicarum; variat enim ejus impudentia; contemnit, idque sub prætextu pietatis. Quasi nimirum sacras literas, & organa disciplinarum tractare, atque literas, quas humaniores vocant, discere, essent impossibilia; compossibilia licet Paulus judicarit. Recte proin Christianus Magistratus mature hujusmodi hominibus, qui Fanatismo se permittunt, obicem ponere debet, ne modicum fermenti totam massam inficiat, & si consilio Ministerii Ecclesiastici hoc nomine utitur, nec ille, nec hoc propterea jure male audiet.

§. 35. Recte proinde pessime criminari *Professores Argentorateses* dicitur virulentus Patromastix, ministeriique Evangelici hostis, & obtrektor subdolus, *Dn. Gottofredus Arnoldus*, quando in *Endlicher* Vorstellung seiner Lehr und Bekantniß/ contra celeberrimum & meritissimum Theol. *Dn. D. Vejelium* p. 36. n. 21. illos (omnesne, an Theologos tantum, non exprimit homo iniquus) injuste *heretificij & persecutionum*, nescio cur, reos facit. *In specie*, inquiens maligno erga nos animo, *hätten die Herren Strasburger Professores wol von Gott etwas nöthigers zu thun bekommen, als Ketzer machen und verfolgen, und zwar aus dem Jüdischen Principio, Joh. XI, 48.* Utique, *Arnolde*, si non magis necessaria nobis

nobis

nobis tractanda forent, citius atrox hæcce tua criminatio notata fuisset, idque secundum regulam sapientissimi Regum Prov. 26, 5. quod jam per occasionem fit: Licet, ceu crassa & manifeste falsa, imo ex mendaciis confuta accusatio, seriam censuram non mereatur. Quanquam enim Fanatici, & subtiles etiam Enthusiastæ, quorum æque atque aliorum Hæreticorum causam agis, sedem apud nos non inveniant, non NB. ex hesterno demum decreto, vel *Judaico aliquo principio*, Joh. 11, 48. sed ex Lege inclyti nostri Magistratus, d. 27. Junii an. 1528. promulgata, & d. 24. Septembr. 1530. contra Anabaptistas, & omnes Fanaticos, qui unter ihrem Schein vor andern Christen ein fromm Leben zu führen vorgeben/ & interim tamen noxia moliuntur; quæ *Agend. Ecclesiastic. Argentinens.* etiam novissimæ editionis P. III. p. 370. inserta est; & quod nos non lateat, quantum turbarum famosi sui seculi Pietastri, *Melchior Hofmannus*, & *Caspar Schwenckfeld*, olim apud nos dederint, & dare alias soleant impie sanctuli; gravi tamen injuria hic Pietastrorum si non antesignanus, certe Patronus, nos afficit, si contra omnem veritatem, & *hereticij & Persecutionum* falso nos arguit. Hujus generis artes semper à nobis abfuerunt, & adhuc absunt, quibus cum doctrinæ puritas cum sincera pietate conjuncta, tum Ecclesiæ tranquillitas semper curæ cordique fuit. Elencho tali uti nostrum est ex Joh. 16, 8. 2. Tim. 3, 16. qualem meretur hujusmodi *pietas*, quæ non est ex fide, Rom. 14, 23. qualis est *fanatica*. Eo minus etiam movemur hac injuria Viri hujus, de rebus Argentinensium *ἀνισοφύλωσ* informati, quem & clarissimis Ecclesiæ luminibus, & columinibus quondam, atque Venerandis Patribus, non pepercisse constat, *Athanasio*, scil. *Augustino*, *Hieronymo*, *Epiphanio*, & aliis. Sed non possunt aliter quam male animati esse erga *Orthodoxos*, exagitando eosdem, quod cum morum & vitæ sanctitate sincera etiam fidei puritas, prout in scripturis divinis illa nitet, illis curæ & cordi sit, omnes isti, qui *Quodlibetica* quadam, vel *Eclectica*, vel etiam *Latitudinaria*, quæ Dn. *Arnoldi* Helena esse videtur, vel alia *cerebrina fide*, *Hirn-Glauben* / uti loquitur *Indifferentissimi* promachus *Fridlibius*, delectantur.

F I N I S.

DE
SPIRITUS SANCTI
TESTIMONIO INTERNO
DE
SCRIPTURÆ SACRÆ VERITATE.

ex I. Joh. 5, 6.

S. I.



E genuino Spiritus Sancti

testimonio in cordibus fidelium inhabi-
tantis, & contestando se exerentis, in
quo consistat, quæ ejus nota sit, & quo
pacto se exerat, eo major nobis solici-
tudo incumbit, ut recte cognoscatur,
quo facilius *Diabolus in angelum lucis*

transformatus, 2. Cor. II, 14. suis Enthusia-
smis minus cautos sæpius sefellit, & adhuc fallere molitur.
Fecit hoc Spiritus impostor non apud Gentiles tantum, sed
in ipsa etiam Ecclesia, DEO permittente, pios etiam pro-
bante, quoad alios autem, verbi contemptum vindicante,
2. Thess. 2, 11. usque eo, ut hodie etiam, non tantum in colluvie
Tremulorum Fanaticorum famosa, quos *Quackeros* vocant, sed
etiam alibi dentur, qui vel dæmoniacis illusionibus decepti,
vel melancholicis phantasmatis indulgentes, vel etiam ma-
litia aliqua in furorem acti, aut blasphema quadam libidine la-
borantes, DEI quendam afflatum, divinamque inspirationem
præ se ferunt fingendo, præsumuntque. Non alio sane, quam
Enthusiastici fanatici caractere notari debent illæ *Revelatio-
nes novissimæ*, quas *Rosemunda Juliana ab Asseburg* jactavit, *Pe-
tersenus* autem *Lyneburgensis* ea tempestate Superintendens,
ceu tales commendavit, uti prolixius scriptum, quod *Facti*
species ab illo inscribitur, docet, editum ann. 1691. Minime

A 2

certe

certe nugis istis licet applicare ista *κειπέια*, quibus aliàs Spiritus DEI loquens agnoscitur in libris indubitato *Ἰεσου Χριστου*. Non styli decens gravitas; nec rerum majestas. Minime omnium testimonium Spiritus Sancti internum cor humanum, quando istæ tantopere jactatæ revelationes leguntur, de earum divinitate convincit; ceu contingit, quando sacræ literæ, in debito lectionis, auditionis, prædicationis & meditationis usu constitutæ, pie & devote tractantur, Spiritu Sancto per illas mentem humanam ineffabili modo afficiente, trahente, eandemque de verbi divinitate convincente. De quo Spiritus S. *testimonio interno* cum ex 1. Joh. 5, 6. nonnulla meditari animus sit, rogamus DEUM, ut Spiritu suo Sancto gratiose nobis adesse velit.

§. 2. Locus ipse sic habet: *καὶ τὸ πνεῦμά ἐστι τὸ μαρτυρῆν, ὅτι τὸ πνεῦμά ἐστιν ἡ ἀλήθεια.* *Vulgatus*, quem non sine ratione adducimus, ita reddidit: *Et Spiritus est qui testificatur, quoniam Christus est veritas.* Abit enim versio hæc à fontibus: Ut mirum proin non sit, torquere hic se illos, qui quando versionem hanc defendere nituntur, à fontibus tamen abire videri nolunt. Melior est *D. Sebast. Schmidij* versio: *Et Spiritus est qui testatur; quia Spiritus est Veritas.* Textui enim originali melius respondet. Dubius hinc *Estius* in *Comment. h.l.* ne contra *Concil. Trident. sess. IV. decr.* quid statuere videatur, *dicere non vult, utra lectio sit alteri præferenda;* dicat licet, *Syrum* interpretem, *Leonem* etiam Papam, & *B. Augustinum* hanc habere lectionem.

§. 3. Cum vero satis constet, locum hunc diversimode, & olim & hodie, fuisse explicatum, simpliciter nos eundem explicabimus. Observamus autem 1. *Connexionem* nostrorum verborum cum præcedentibus, quæ recte explicata multas removebit difficultates. Sic vero eadem se habet. Dixerat Apostol. c. 5. v. 1. *ὅτι Ἰησοῦς ἐστιν ὁ Χριστός,* quod *Jesus sit Christus;* & v. 5. *ὅτι Ἰησοῦς ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ,* quod *Jesus sit Filius DEI.* Id quod necessario credendum esse docet Apostolus illis, qui *mundum vincere* volunt juxta, v. 5. cit. Unde huc etiam idem tendit, ceu v. 5. docet, ut probet quod credendum sit, *Jesum esse Filium DEI, si quis mundum vincere velit.* Conf. *B. D. Seb. Schmid* *Comment. h.l.* p. 504. Hoc ergo quod de Jesu sic posuerat Johannes, ceu fundamen-

damen-

damentum fidei mundum vincientis, etiam apertis & firmis, atque irrefragabilibus testimoniis & testibus assertum ire voluit, quo fides nostra, qua mundum vincimus, solida & firma foret, adversus insultus Diaboli, Mundi, & Carnis. *Non enim vincit mundum, nisi is qui credit, quod Iesus sit filius DEI, ψ. 5.* Quare cum Iesum esse Christum, ψ. 1. & DEI filium, ψ. 5. atque Salvatorem nostrum, in terris invincibiliter testentur *aqua, & sanguis Iesu Christi*, hoc est Baptismus, & S. Cœna, à Christo instituta sacramenta, & *Spiritus*, h.e. verbum Evangelii, ceu testes eminentissimo & efficacissimo modo de toto salutis mysterio, & imprimis Iesu, fonte & principe salutis nostræ, testificantes, ut loquitur, explicatque B. Dorscheus dissert. de sp. aq. & sang. §. 15. de horum acturus testimonio Apostolus, cum mentionem prius ψ. 6. fecisset ὕδατος, καὶ αἵματος, *aqua & sanguinis*, quæ adventus Christi ad nos officialis, atque Messiani, hoc est redemptorii & salvatorii, evidentissima & certissima sunt testimonia, indicia & vestigia; etiam de tertio, verbo Evangelij scil. ejusque dignitate, nobilitate, & eminentia agit, quo ejusdem aptitudinem & sufficientiam ad perhibendum hoc testimonium prius demonstrat, antequam ad ejus testimonium provocet; id quod fit ψ. 8. Mentioni itaque ὕδατος καὶ πνεύματος factæ, statim tertii etiam testis mentionem facturis subjicit: Καὶ τὸ πνεῦμα ἐστὶ τὸ μαρτυροῦν, ὅτι τὸ πνεῦμα ἐστὶ ἡ ἀλήθεια, & *Spiritus est qui testatur; quod Spiritus est veritas.* Consentire videntur B. Hunnius ex nostris; ex Pontificiis Justinianus h.l. etsi non plene id explicent.

§. 4. Ipsam autem horum verborum II. Ἐξήγησιν quod attinet, (1.) notanda est particula καὶ &. Non tam copulandi, quam intendendi, & augendi vim habet eadem hoc loco, ut significet *etiam, insuper*, de qua vocis hujus emphasi vid. etiam Glassius in Philol. S. l. 3. tr. 7. c. 4. p. 804. Manifestum est hoc particulæ hujus officium, quodque sententiæ augendæ & intendendæ gratia ponatur ab Apostolo, in ipso textu. Hic, inquit, *est qui venit per aquam & sanguinem, Iesus Christus, non in aqua tantum, sed in aqua & sanguine*, quæ sunt testimonia muneris ejus redemptorii & salvatorii Messiani; *Et Spiritus est, qui testatur*; non quasi dicat: *Insuper & Spiritus id testatur*, quod Iesus Christus sit filius DEI. Notavit hoc ita Estius quidem,

accuratior inter suos interpretes, Comm. h.l. *Secundum*, inquit, *Græcam lectionem sensus est: Insuper Spiritus Sanctus est, qui testificatur Jesum esse Christum DEI filium, & mundi Salvatorem.* Verum cum per *Spiritum* de quo Spiritus S. testificatur, *Evangelium* intelligendum sit, ceu infra docebitur, intensio vocula & significata sic erit instituenda: Spiritus Sanctus etiam est qui testificatur, quod *Spiritus* h.e. verbum Evangelii, verbum veritatis sit, & proin cum Baptismo, & S. Cœna in Ecclesia eminentissimus, efficacissimus, irrefragabilis & probatissimus testis.

ô. 5. Major, dissensus intercedit inter Interpretes tam veteres, quam recentiores, quid (2.) *πνεῦμα*, *Spiritus*, nostro versu, & seqq. significet. Nolo illorum commenta coacervare, quod alii jam fecerunt. Ex nostratibus B. *Dorscheus* in diss. supra laudata, de spir. aq. & sang. in terra trib. test. pro Christo DEI Fil. c. 3. §. 11. sqq. & B. D. *Calovius* Bibl. Illustr. h.l. quorum ille *Patrum*, *Pontificiorum* etiam tam superiorum, quam recentiorum; *Calvinianorum* item diversas, & dissentientes Exegesés; hic *Grotij*, & *Socinianorum* etiam interpretationes produxit. Ex *Pontificiis varietatem* locum hunc exponendi *Estio* in Comment. diligenter recensuisse dicitur *Lorinus*. Ipsi etiam nostrates B. *Hunnius* Comm. h.l. D. *Dorsch.* l.c. D. *Calov.* l.c. B. D. *Sebast. Schmid.* Comm. h.l. non per omnia hic consentiunt. In hoc tamen conspirant, per *Spiritum*, quem ceu testem in terris Johannes adducit, quique est *Spiritus*, de quo *Spiritus* testatur, quod sit veritas, ceu in sequentibus explicabitur, non esse intelligendum *Spiritum Christi in ara crucis emissum*, aqua & sanguine Jesu Christi ex latere ejusdem, lancea perforato & effosso, largiter effluente; ceu commentos esse constat *Cyprianum*, *Augustinum*, *Paschasium Ratbertum*, *Abbatem Corbejensem*, *Strabum Fuldensem*, *Innocent. III.* Pontif. *Nicolaum Lyranum*: Ex recentioribus Romano Catholicis *Gregorium Primitivum*, *Johannem Marianam*, *Emanuelem Saa*, & alios. Et hoc recte. Quanquam enim etiam Centurio, & qui cum illo erant custodientes Jesum, & videntes, quæ in morte ejus contigerant, & quod adeo clamans, spiritum emittendo cum voluit, mortuus esset, conversi dixerint: *Revera homo hic filius erat DEI*, Matth. 27, 54. Marc. 39. Luc. 23, 47. sqq. moti, quod eum majestaticè, non ex infirmitate, sed

volun-

tate, quod divinæ virtutis est, mori observassent: Nusquam tamen scriptura de *spiritu* sic absolute loquens, tanquam teste, Spiritum Christi in ara crucis emissum intelligit. Nec huic quæ tali, sed Spiritui Sancto, *Spiritui veritatis, qui ex Patre exit*, tribuit Salvator, quod de se testaturus sit, Joh. 15, 26.

§. 6. Majorem vim textui inferunt illi, qui per *Spiritum eundem* intelligunt Christi *Deitatem*, cujus infinita virtute humanæ naturæ communicata à mortuis seipsum resuscitans, atque resurgens, quod esset Filius DEI demonstravit. *Oecumenij* hæc glossa est in Explicat. h.l. p.m. 302. cujus hæc sunt verba: *Per aquam ergo, τρεῖς ἐν τῷ ᾧ ὑδατο βαπτισματι, ἐξεφάνθη ὁ θεὸς ὁ Ἰησοῦς ἅπλ. ἔ πατρὸς μαρτυρίας, hoc est, in baptizare quod sit per aquam, demonstratus est filius DEI esse Iesus per testimonium Patris: De quo nimirum Matth. 3, 16. Pergit vero: Δια τῆς αἱματός, ὅτε μέλων σωρῆσθαι ἔλεγε. Δόξα σέ με οὐ πατέρ. Καὶ ἠνέχθη ἡ φωνή. Καὶ ἐδόξασα, καὶ πάλιν δοξάσω. Ἄπλ. ἔ πνεύματι, ὅτε ὡς θεὸς ἀνέστη ἐκ νεκρῶν. θεὸς γὰρ τὰ τὸ μόνον, τὸ ἀνίσταν ἑαυτὸν, per sanguinem vero, quando crucifigiendus dicebat: Glorifica me tu pater: Et delata est vox: Et glorificavi, & rursus glorificabo: vid. Joh. 17, 1. sqq. Per Spiritum autem quando tanquam DEUS surrexit à mortuis. Nam soli DEO hoc relinquitur, ut seipsum suscitet. De quo Rom. 1, 3. Calvinianis equidem nonnullis non displicet hæc explicatio, Bullingero, in Comm. h.l. Zanchio de trib. Eloh. l. 1. c. 1. f. 6. aliquanto licet generalius loquatur, intelligens per Spiritum potentiam divinitatis Filii, qua se variis effectis, & sic resurrectione etiam, quis esset, declaravit. Quanquam enim glorioso hoc omnipotentiae suæ infinitæ opere, resurrectione scil. à mortuis, Deitatem suam firmiter demonstraverit, & quis esset, declaraverit Christus, nulla tamen sufficiens ratio hic allegari potest, cur Spiritus his vers. mentione ab Apostolo respiciatur ad τὸ πνεῦμα ἀγιασίνης Spiritum sanctificationis, de quo Rom. 1, 4. quem ceu σαρκὶ oppositum, de divina Christi natura explicant. Vid. ex nostris B. Weller Com. h.l. p. 27. ex Reformatis Cocceius Comm. h.l. p. 16. sq. Etsi enim Spiritus etiam passim in scripturis de Filio DEI prædicetur, & insignis hoc nomine locus sit 1. Cor. 15, 45. sæpius tamen de tertia in divinis dicitur persona; cui etiam singulari quadam ratione appropriatur, ob*

COR-

consignificatam processionem à Patre & Filio per *spirationem*, ut proinde nisi ἀναλογικῶς fidei & textus aliud jubeant, audita voce *spiritus*, illa non abs re in significato frequentiori, & famo- siori, meritoque accipiatur. Id quod etiam hoc loco obtinet. Deinde *Spiritus* hujus, de quo loquimur, officium, quod est de Christo *testari*, singulari quadam ratione Spiritui Sancto, qui est tertia Deitatis persona, competit, eidemque à Christo tri- buitur, ut vidimus, Joh. 15, 26. Ad verba hæc à se in Evan- gelio exposita, Johannes hoc loco respexisse videtur, munus *testificandi de Christo Spiritui* assignans. Accedit quod in testimo- nio perhibendo *Spiritus* etiam *Filio* contradistinguatur, & qua- talis proin non de secunda Persona, vel λόγος ἐνοσίχωνος Deitate, sed necessario de tertia Divinitatis Persona explicari debeat. Quod exinde ulterius confirmatur, quia τὸ πνεῦμα τὸ μαρτυρῶν, *Spiri- tus qui testatur*, per particulam ὅτι refertur ad illos μαρτυρῶντες ἐν τῷ ἔρεινῳ, quod tres sint, qui testantur in cælo: πνεῦμα autem, de quo τὸ πνεῦμα μαρτυρῶν testatur, quod sit ἡ ἀλήθεια *veritas*, inseritur numero testium, qui testantur ἐπὶ τῆ γῆ, *in terra*. Non enim vi- detur de uno eodemque spiritu id accipiendum esse, cum ait: Καὶ τὸ πνεῦμά ἐστι τὸ μαρτυρῶν, ὅτι ὁ πνεῦμά ἐστιν ἡ ἀλήθεια, & *Spi- ritus est qui testatur; quod Spiritus est veritas*.

§. 7. Dimissis itaque his & aliorum interpretationibus, quas ut adferamus non opus esse censemus, nos per τὸ πνεῦμα τὸ μαρτυρῶν, *Spiritum qui testificatur*, intelligimus Spiritum S. tertiam SS. Trinitatis personam. Sic enim contextus, & res ipsa urget. Intendit quippe Apostolus ostendere, quod, si *fides* nostra audire debet *victoria quæ mundum vincit*, credere etiam de- beamus, quod *Jesus sit Christus & DEI Filius*. De hoc vero cum in terra testentur non solum duo Sacramenta, Baptismus & S. Cæna, sed & Evangelium de Jesu Christo, quod ob intrinse- cam divinam efficaciam, atque vim persuadendi insitam & con- natam, non tantum testatur quod *Jesus sit Christus*, sed id etiam intellectui nostro persuadet, non persuasione humana & artificiosa, 1. Cor. 1, 17. c. 2, 4. 13. 2. Petr. 1, 16. sed divina, de qua B. D. Hulsemann. de Auxil. Grat. p. 179. sqq. ut assentiatur, hoc

hoc ita se habere; prius de qualitate, fide, & dignitate huius testis, verbi nimirum Evangelici agit, infallibilem, & fallere nesciam auctoritatem divinam ei asserendo, cum ipsius Spiritus Sancti testimonio sit *veritas*, licet à mundo pro stultitia habeatur. Melius vero verbo DEI scripto sua quam habet, ideo quia est *θεσπιος*, auctoritas & veritas, contra petulantiam ingenii humani, vindicari non potest, quam ex Spiritus Sancti cujus impulsu exaratum est, 2. Pet. 1, 21. testimonio. Nec melius enim, nec certius, *spiritus*, h. e. Evangelium, de sua veritate attestationem accipere potest, quam ex Spiritus Sancti demonstratione. Conf. B. Dorfeb. Diss. c. §. 14. cap. 4. *Evangelium enim non est, ut idem loquitur, independentis, sed omnino dependentis auctoritatis & veritatis.* Præterea si connexionem nostrorum verborum cum consequentibus attentius consideramus, nil impedit, quo minus ita dicamus, imo quo minus dici sic debeat: Nimirum Apostolum probaturum *Aquam & Sanguinem*, de quibus verbis immediate præcedentibus locutus fuerat, testes esse, quod JESUS sit verus mundi Redemptor, Messias & Salvator, & proin etiam verus & proprius DEI Filius, hisque etiam tertium additurum in Ecclesia testem, *Evangelium* nimirum, quod cœu infra probabitur, & ex v. S. constat, *Spiritum* appellavit; huius aptitudinem ad testificandum, dignitatem, fidem & eminentiam, efficaciam & sufficientiam ad conscientiam confirmandam, ne fluctuet fides, probare ex attestatione Spiritus S. testificantis quod verum & infallibile DEI verbum sit. Id cum sic expressisset: *Και τὸ πνεῦμά ἐστι τὸ μαρτυρεῖν ὅτι τὸ πνεῦμά ἐστιν ἡ ἀλήθεια*, etiam *Spiritus is est qui testatur, quod Spiritus sit veritas*; in v. seq. 7. & 8. expolitione quadam usus, explicat ulterius, ad quod genus testium pertineat *Spiritus testificans*, quod Spiritus sit veritas, & rursus ad quem ordinem testium referri debeat *Spiritus, qui est veritas*, de quo fit testificatio. Prior nimirum, quod etiam ad priorem ordinem testium, *τὰ μαρτυρῶντων ἐν τῷ οὐρανῷ*, *testimonium in cælo perhibentium*; posterior vero etiam ad posteriorem ordinem testium, *ἐν τῇ γῆ μαρτυροῦστων*, *in terra testificantium*, referendus sit: Licet tres testes in cælo testificantes ita testentur, ut simul è cælo erga homines testificentur, sitque illorum testimonium *cum tribus terrenis*

B

testi-

testificantibus *conjunctissimum*, & per illa *efficax*, & *operosum*, ceu explicat B.D. *Sebastian. Schmidius* noster *Comm. h.l. p. 5 18. sqq.* simul explicans, quid de *Estij* Continuatoris, *Justiniani*, *Lyrani*, *Salmeronis*, & aliorum de hoc testimonio ἐξηνόου habendum. Quæ cum ita sint, mirum non est, interpretationem hanc, quod per *Spiricum qui testificatur*, tertia persona SS. Trinitatis intelligi debeat, ceu *communio*, & *textui convenientiore*, & olim & hodie, & sic pluribus fuisse probatam. Patrum, Doctorum etiam Pontificiorum, Calvinianorum, testimonia & consensum produxit B. *Dorscheus* noster, in *Dissert. c. 9. 11. sq.* Ex nostris consentiunt *Hunnus h.l. Dorsch. l.c. c. 4. §. 14.* *Calovius* in *Bibl. Illust. h.l. Scherzerus Coll. Anti-Soc. Disp. II. p. m. 23.* & alii: Quibus adderem *Flacium* in *Gloss. super N.T. h.l.* nisi lapsus noster esse desisset, suo in lapsu pertinaciter perseverans. Socinianus *Jonæ Slichting.* et si hæreticas de *Spiritu Sancto* foveat opiniones, in *Comment. tamen super 1. Ep. Joh. h.l.* per *Spiricum testificantem* intelligit *Spiricum illum, quo JESUS fuit unctus*; quem nos *Spiritus S. à Patre & Filio procedentem, & personaliter subsistentem*, neget id licet *Spiritus Socinianus*, esse defendimus,

§. 8. Quando vero (3.) de hoc *Spiritu S.* dicitur: *Εστὶ τὸ μαρτυρεῖν*: Uti τὸ μαρτυρεῖν prædicati locum habet, quod de subjecto πνεῦμα enunciatur; ita τὸ ἐστὶ in hac prædicatione: *Τὸ πνεῦμά ἐστὶ τὸ μαρτυρεῖν*, *Spiritus testatur*; seu *Spiritus est is qui testimonium perhibet*, copula est, subjectumque cum prædicato explicite connectendo idenditatem suppositi, seu personæ, quæ hic datur, significat; quod scil. persona Spiritus Sancti sit persona testimonium perhibens, testis, & contra, quod persona testimonium perhibens sit Spiritus Sanctus, cui hoc opus ad extra competit non *exclusivè*, quoad reliquas SS. Trinitatis personas, sed *appropriative*. Ipsum vero prædicatum quod attinet, articulus præpositivus τὸ, quando dicitur τὸ μαρτυρεῖν, non negligendus videtur. Ad peculiare quippe Spiritus Sancti testimonium respicitur, quod est *testari*, quod *Spiritus sit veritas*; & quod Spiritus S. etiam sit, qui hoc testimonium perhibeat, & perhibere debeat; ad cordis etiam convictionem usque, & *idem divinam excitandam*, qua id quod testatur apprehendatur,

tur,

tur, unice id præstare possit. Et hæc interpretatio in ipso textu locum habet. Noverim licet alias, *Socinianos* ludere cum articulis, ut pueri solent cum astragulis, & improbem id etiam cum *B. Scherzero* Coll. Anti-Soc. disp. XI. p.m. 106. Sed id hoc loco non fit. Participium *μαρτυρεῖν* autem, quo Apostolus utitur, notat actum. Est enim participium verbi activi. Hoc vero cum interdum *nominafcere*, interdum *verbafcere* soleat, an id nominis, an, vero verbi vim hic habeat, quæri potest. In vim autem nominis substantivi illud transire dicimus. Nam si verbi significationem assumeret, ob verbum substantivum *ἔστι*, haberet significationem verbi temporis præsentis, notaretque præsentem in corde pio testandi, sive testimonii perhibitionis actum. Ast si nominaliter participium hoc τὸ *μαρτυρεῖν* explicamus, hoc sensu: *Spiritus est Testis, quod Spiritus est veritas*, connotatur non solum testimonii perhibitionis actus, à quo testis sic appellatur; sed simul etiam expressius significatur, quod non solum præsentis, sed omni tempore testimonium de *veritate Spiritus* testatus fuerit, testetur & testaturus sit. Cum itaque nominalis participii hujus explicatio plus dicat, quam verbalis; in textu etiam nulla appareat ratio, quæ nos inclinet ad *verbaliter* participium *μαρτυρεῖν* explicandum, *nominaliter* illud intelligere placet. Ne dicam, cum testis proprie talis sit persona, nulla vero ratio allegari possit, cur Spiritus Sanctus non testis proprie talis dici debeat, quod hinc argumentum pro ejusdem subsistentia personali, contra Macedonianos, de quibus *Nazianz.* Orat. 37. *Socrat.* H. E. II. c. 35. & *Socinianos* in *Moscorov.* Catech. Racov, c. 1. p.m. 29. solide peti queat, de quo alibi, Testis est Spiritus Sanctus, ob testimonii actum quod perhibet, sive ob actum perhibiti testimonii, quod notat actionem testis, qui testatur. Spiritus Sanctus itaque testis est, ideo quia *μαρτυρεῖ*, testatur, hinc *πνεῦμα τὸ μαρτυρεῖν* dictus, Quamquam enim *ψ. 8.* rebus quæ personæ non sunt, *aqua*, & *sanguini* τὸ *μαρτυρεῖν* tribuitur, *improprie* tamen id fit, & *velut medium & instrumentis*, per quæ tres illi, qui in cælo testes sunt, *ut personæ* operantur, explicante *Dorscheo* in *disf. de Sp. aq. & sang.* c. 6. §. 22. Spiritus S. vero qui testatur, quod Spiritus sit veritas, non id facit ceu medium, & instrumentum, per quod agens principale

operetur, sed tanquam testis Patri & Filio æqualis, imo μαρτυρῶν, uti docetur ψ. 7. sq. *Μαρτυροῦν* autem significat & sacris & profanis scriptoribus, *testari, testimonium perhibere & reddere; testimonio comprobare, publice & serio rem aliquam asserere, & confirmare eandem publicâ professione.* Vid. Leigh. Crit. l. N. T. voc. μαρτυρέω. Eadem est significatio verbi *testari*, ceu ex Cicerone doceri potest.

§. 9. Cum vero vel ex citatione, & compulsionem iudicis, alterius fides ad rei dubiæ confirmationem invocetur, ut de eadem testimonio suo asseveret, vel assertionem aliqua extrajudiciali rei dubiæ confirmationem suo testimonio præstet; de illius generis testibus agitur Matth. 26, 60. 62. Rectius licet illorum perfidia, quam fides, ad testimonium contra Christum dicendum invocata fuerit. Hujus generis vero testificatio notatur Luc. 4, 22. quo Christo, Oraculum Jesai. 61, 1. interpretanti, *omnes testimonium perhibuisse* dicuntur, h. e. assensu, assertionem assentiente, & testimonio suo ejus dicta comprobasse. Hoc enim vult ἐμαρτύρησεν αὐτῷ. Uno nimirum omnium ore, publicoq; testimonio, veritatem concionum ejus approbarunt, uti explicat B. Brentius noster, felicissimus sacrarum literarum interpres, in Comment. h. l. Homil. 38. f. 270. Joh. 3, 26. discipuli Johannis sic ad Magistrum propter Christum loquuntur: *Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, ὃ σὺ μαρτυροῦμαι, cui tu testimonium perhibebas.* Literam citra necessitatem deserere videtur Theophylactus h. l. cum horum verborum ad mentem discipulorum Johannis hunc facit sensum: *Quem tu baptizasti, quem tu clarum fecisti.* Alter enim hoc testimonium Johannis explicatur Joh. 1, 15. usque 37. & concernit jam baptizati Salvatoris personam, officium, opera & beneficia. *Μαρτυροῦμαι, testimonium perhibuit Johannes de Christo, de ejus persona & beneficiis, & quæ vera erant asserendo, commemorando, & publica hac assertionem fidem illorum quæ dixerat certam faciendo, eademque suis verbis confirmando.* Add. Joh. 1, 7. v. 32. In c. 5. v. 36 operibus quæ à Patre ad perficiendum sibi data fuerant, vim testimonii tribuit Christus. *Αὐτὰ τὰ ἔργα, inquit, ἃ ἐγὼ ποίω, μαρτυροῦν ὑμῖν ἔσονται, opera quæ ego facio, testantur de me.* Quia enim ut B. Aegid. Hunn. Comm. h. l. explicat, *virtutem plane divinam redolebant, &*

omni-

omnibus creaturis imitatu prorsus impossibilem, evidentissime & efficacissime, ad plenarium cordis humani convictionem, realissime etiam assererent hoc, certificabant & confirmabant, quod Pater JESUM misisset tanquam Filium suum, & Salvatorem mundi, quod ea opera faceret, quæ Messiam facturum esse Prophetæ prædixerant. Esai. 35, 5. Matth. 11, 4. sq. Hoc sensu etiam verbum μαρτυρεῖν in nostro loco accipitur de testificatione aliqua vera, reali, actuali, efficaci, sufficienti, eaque proprie tali, atque principali, ceu Personæ testificantis, qua Spiritus Sanctus in dubio hoc: *An Spiritus sit veritas?* h. e. An verbum Evangelii, quod testatur, quod JESUS sit Christus, sit DEI verbum, & verum? ita fidem hujus rei, & tam valide facit, divinoque modo asserit, & comprobat, mentibusque hominum veritatem hanc sic imprimit, ut de ea certi sint certitudine divina, ceu à Spiritu Sancto, ejusdemque testificatrice operatione illuminati, de veritate verbi divini Evangelici convicti, adversus dubia etiam, à quibus in hac vita non liberamur, quæque nunquam non à Diabolo, mundo & carne moventur, muniti sufficienter, atque confirmati. Non enim conjecturalis est opinio, quæ fluit ex testimonio Spiritus Sancti.

§. 10. Ad actualem itaque Spiritus Sancti gratiam hoc ejus testimonium referimus, dicitque id operationem ejusdem veram, proprie talem, realem, divinam tamen, & divino agendi modo convenientem. Μαρτυρεῖν enim aliter nos accipere debere, supra jam negavimus, cum nulla ratio adferri queat, ob quam *improprie* id accipi debeat. Est vero hæc operatio Spiritus S. testificantis, vel ut is extrinsecus adhuc tantum cor legentis pullat, & provenit ab extrinsecus pulsante, Apoc. 3, 20. & pulsando simul cor legentis de divinitate verbi, quod legit, convincente, ut persuasus *jannam* pulsanti, & ingredi cupienti Spiritui S. cor aperiat: vel ut ille jam inhabitat. Perpetua enim est hæc testificatio, quamdiu vel verbum DEI legimus; vel in cor receptum custodimus; & continuatur per continuam representationem rei auditæ, vel lectæ. Illius exemplum habemus in *Justino Martyre*, qui de seipso testatur in Dial. cum Tryph. f. 225. quod in commendata sibi Prophetarum & Apostolorum scripta incidens Gentilis adhuc, *solam illorum Philosophiam*

*phiam ἀσφαλῆ τε καὶ σύμφορον, certam atq; utilem compererit. Similiter Theophilus Antiochenus l. 1. ad Autolyc. f. m. 78. fidem meam, inquit, plurimum adjuverunt licet sacra quas legi, inprimis tamen Prophetarum oracula &c. Απόδειξιν ἔν λαβῶν τῶ γινόμενων, καὶ πρῶτα ἀπὸ φωνημάτων ὅτι ἀπιστῶ, confirmatus igitur ex iis quae praedicta sunt à Prophetis, & contigerunt, non amplius hesito; ἀλλὰ πιστῶς ἀπὸ τῶν Θεῶν, sed DEO fidem habeo, lubenti animo ei obtemperans. Hoc vero, qui Spiritu Sancto obsignati sumus, quem in Baptismo accepimus, ceu Spiritum ὑποστάσεως, Rom. 8, 15. Gal. 4. quotidie experimur, quoties scripturas legimus, vel actu reflexo in nos ingressi, quæ legimus devota mente repetimus. Sicut enim organum quando pulsatur sonat, ita Scripturæ sacræ in usu meditationis, repetitæ etiam constitutæ vis sentitur. Et uti gratiosa Spiritus Sancti gaudet præsentia, καὶ λόγια Θεοῦ animantis, *Dannh. Hodof. p. 94.* quem à verbo separare nunquam licet, sollicite id monente B. *Hülsemanno* de Auxil. grat. p. 191. §. 4. ita hic testificando de aliqua re, *non tantum*, ut *Dorscheus* loquitur *diff. de spir. aq. & sang. c. 6. indicat & significat veritatem per modum vestium humanorum*, sed simul *intime veritatem mentibus hominum implantat, voluntatem secretissime movet, fortissime suo testimonio, ea de quibus testatur, comprobat & asserit, sic ut sit intima & penetrantissima quædam testificatio*, in mentem, & in mente. Ex quo & hoc sequitur, quod cum hæc gratia Spiritus S. testificatrix species etiam quædam sit gratiæ illuminatricis, atque docentis, & proin actualis, ea non operetur in nobis, testificatio ipsa etiam, atque testimonium non detur in nobis per modum habitus permanentis, sed per modum actus transeuntis.*

§. 11. Patet præterea hoc quoque ex dictis, quod non enthusiastica quadam ratione, nec per afflatum quendam, qualem Enthusiastæ & Fanatici fingunt, hoc perhibeat testimonium Spiritus Sanctus, immediatè; sed *mediate*, per verbum, quando illud audimus, legimus atque meditamur. Ad hoc assertum vero explicandum non debemus distinguere cum *Dordracenis Ultrajectinis, Syn. Act. P. II, inter operationem verbo DEI propriam, & peculiarem Spiritus S. operationem, ab ipsa verbi operatione distinctam*, quasi operatio verbo DEI propria ab operatione Spiritus S. diversa foret. Hoc enim si statuitur, sequitur, quod

quod verbum DEI per se non sit δύναμις & Θεός, potentia DEI, contra Rom. 1. Hoc vero dato, divinam quam habet in se efficaciam negari, manifestum est. Semper vero, & per se cum δυνάμις & Θεός sit verbum DEI, etiam quatenus, & quando per illud Spiritus S. efficaciter, & cum cordis humani convictione aliquid testatur, ejusmodi δυνάμις per se esse, & manere, statuendum est. Testificando itaque per ipsum verbum in usu legitimo constitutum, tam efficaciter Spiritus S. agit in intellectum, & in intellectu hominis, ut ingerat ei sensum ac notionem confirmationem in dubitante parientem, quod aliquid sit id vere quod est, dubium licet de eo aliquod ortum sit. Nisi itaque Enthusiasticum velimus statuere, certe subtiliorem, si non istum crassorem Libertinorum, Davidis Georgij, Henrici Nicolai, Francij, & similis farina hominum, qui se ideo Zelotas spiritus appellant, quod DEUS suos sine ullo verbo externo, solo spiritus instinctu velit ducere, & docere, uti ex *Waleo* loquitur *Hoorbeck* Inst. Theol. c. 2. n. 23. p. 53. accessoriam quandam & à verbo separatam vim Spiritus Sancti statuere non debemus, quam ne in unico tantum actu, per quem testetur, abesse à verbo concedere licet, cum divinam illam vim testandi de veritate cœlesti in se continet, ideo quia DEI verbum est. Eximie id contra *Rathmann.* explicarunt *Dnn. Wittenbergenses Theolog.* in der *widerholten, richtigen, gründlichen und unwiderleglichen Lehre von der heiligen Schrift* c. 10. p. 206. sqq. Consentit ex Doctoribus Ecclesiæ B. *Athanasius* t. I. Opp. in Ep. ad *Marcellin.* f. 983. 51. inquit, ἐν τοῖς ᾤ γεγραμμένοις ῥήμασιν ὁ Κύριος, est in scripturarum verbis Dominus.

§. 12. Testatur autem Spiritus Sanctus per verbum, I. *formaliter*, idque vel 1. verbis Scripturæ aliquid asserendo, quæ credenda, speranda & agenda sint significando, & sic de illis, quod vere talia sint, creditu scil. speratu & factu necessaria, testificando. Hoc sensu à testimonio humano, & Diabolorum per *Pythones*, & *Ariolos*, revocamur ad *testimonium* Spiritus S. *per legem*, h. e. per verbum DEI, *Jes.* 8, 19. sq. Vel 2. facta enarrando, & quæ contigerunt acta, cum suis circumstantiis explicando, & ad intelligendum objiciendo, ut efficacissimi testimonii vim in mente intelligentis, & Spiritus Sancti persuadere volentis operationi non resistentis, obtineant, de qua testifi-

c249-

catione ita locutus est *Hilarius* l. 5. de Trin. *confirmat fidei nostrae veram & salutarem professionem idem atq; unus in plurimis spiritus propheta, per successiones, & intervalla temporum non demerans religioſae doctrine praedicationem.* Ita miracula Christi exponendo, de passione, morte & resurrectione ejus testando, quod sit *DEI Filius, & Messias*, invincibile perhibet testimonium *Spiritus Sanctus*, *Matth.* 11, 4. *sqq.* *Joh.* 20, 30. *sq.* *Act.* 13, 33. *Rom.* 1, 4. II. Praestat hoc etiam *Spiritus Sanctus realiter* divina sua, quae & verbi est efficacia, idque tam efficaciter, ut, quod nulla autoritas humana, ne quidem *Propositio Ecclesiae* efficere valeret, mentibus humanis veritatem implantando, facta testimonii sui applicatione, ipsam hominis mentem attingat, factaque per vim divinam persuasivam, verbo intrinsecam, ejusdem convictione, divinam in ea operetur certitudinem, secretissime, et si non irresistibiliter, mota voluntate ad acquiescendum in assertionem verbi. ἰσχυρὰ ἢ ἐνεργητικὴ ἢ πνευματικὴ ἀποκαλύψις, potentem & operosam *Spiritus (DEI) revelationem* *Scripturam* sacram vocat *Basilius*, in *Pl.* 115, f. 313. quod divina nimirum per illam se exerat efficacia, per quam *Spiritus Sanctus*, cujus est ista efficacia, mentem humanam percellit, ut assensu divino in nobis producto, & doctrinae caelesti, *Scripturis* revelatae, fidem habeamus, & *Scripturae* articulos fidei exhibenti, & proponenti, credamus. Vid. *Dorsch.* in *Kirch. Dev.* c. 2. §. 136.

§. 13. Hæc divina efficacia, & divinum *Spiritus S.* per sacras literas testimonium, cum *Scripturae* sacrae per se competat, etiam seposita *Ecclesiae* autoritate, atque propositione, certum est falli *Thomam Baconum*, alias *Southwellum*, qui *Analyſ. Fid.* disp. 3. c. 11. n. 176. p. 195. latissime disputat, quod *Scriptura non sit immediate & per se credibilis sine Ecclesia*, seu non mediante *Ecclesia*. *Spiritus S.* enim testimonium, quod summum est, & omni autoritate majus, independentem se habet, etiam quoad nos, ab omni autoritate *Ecclesiae*. Unde *Johannes* cap. 5. v. 9. ἡ μαρτυρία, inquit, ἢ Θεοῦ μείζων ἐστίν, testimonium *DEI* majus est, omni nimirum alio, & sic etiam testimonio humano. Nec bene se explicat *Southwellus*, l. c. cum notandum esse ait, quæstionem non esse, an per motiva credibilitatis precise, possit *Scriptura* reddi immediate credibilis aliquo in casu, & per accidens, videlicet respectu idiotæ alicujus *Ecclesiam* ignorantis. Ex in-

intrinsicam enim efficaciam & virtutem, & sic per se, non per accidens, verbum se reddit credible, subjecto quod verbum DEI audit, vel legit, debito modo disposito, nec praecipuo, vel male ad divina testimonia audienda praeparato. Subjectum autem recte se habens etiam idiotam esse posse, qualem Southwellus praesupponit, ex verbis Christi colligimus. *Confiteor*, inquit, *tibi Pater, Domine caeli & terra, quod abscondisti haec sapientibus, & intelligentibus: & revelasti ea infantibus.* Certe Pater, ὅτι ἅταυτα ἐγὼ περὶ ἡμῶν ἔειπα, quia sic beneplacitum factum est coram Te. Pergit vero Southwellus: Igitur quod quaerimus est, an semper & absolute, atque adeo respectu viri cordati, prudentis & doctissimi cuiusque, dentur motiva seu argumenta, quae convincant, credible esse Scripturam sacram esse divinam & *ἰερωσύνην*: Immediate, inquam, id est absque testimonio Ecclesiae infallibili. Negat quidem dissentiens, & testimonium Spiritus Sancti summum & infallibile, per verbum suum ad cordis convictionem testificantis, & ad cor humanum, quod verbum pie tractat, per illud applicantis, *privati Spiritus* convictio tradit; de quo infra. Dico vero contra, nullum cordatum, prudentem, doctum & pium esse futurum, in cuius animo, pie docili, nec malitiose resistenti, fidem verbi Spiritus Sanctus operatur, qui signaculum Spiritus Sancti in se sentiens, & testimonio Spiritus Sancti omni certitudine plenissimo convictus, pronondum plene convicto, quod verbi divinitatem attinet, se sit habiturus, nisi prius Ecclesiae testimonium audiverit super hac re. Non sic *Iustinus Martyr*, non sic *Theophilus Antiochenus*, de quibus supra, conversi sunt. Non sic in Nicæno Concilio Philosophus iste, cui disputando par nemo esse poterat; quem, non audito prius testimonio Ecclesiae infallibili, virtuti simplicitatis fidei, & Doctrinae Christianae, unice cessisse *Ruffinus* refert H.E. l. 1. c. 3. Plura ex *Baronio* & *Bzovio* commemorat exempla *D. Dorscheus* in Theol. Zach. P. II. disp. 1. §. 33. p. 48. *B. Augustinus* in tract. de Catechizand. rud. Catechumenos suos non sic informatum ivit. Sit, ceu disputat *Becanus* in Theol. Scholast. P. II. t. 2. c. 8. q. 8. §. 4. quod assensus fidei directive resolvatur in auctoritatem Ecclesiae proponentis & discernentis: Neque tamen simpliciter necessarium id est, quod in certo casu cum aliis concedit *Erbermann*. *Bellarmin.* vind. t. I. p. 129. assert. VI. nec etiam seposita Scriptura

C simpli

simpliciter tutum. Non enim aliam unquam, nisi expedi-
 entiae necessitatem quandam agnoscimus ratione directionis
 Ecclesiae, quam hoc modo, & in certo casu non rejicimus, sed
 ceu utilem rudioribus, & simplicioribus praerimis, admitti-
 mus; licet Scripturarum luce non affulgente, in eandem, ob er-
 roris periculum, cui visibilis ille coetus obnoxius est, fidei suae di-
 rectionem hodie satis tuto nemo resolverit; quicquid sit de even-
 tu meliori, qui per accidens nonnunquam sequitur. Sane Dia-
 lecticus iste, cujus ex *Ruffin.* modo fecimus mentionem, Chri-
 stianus factus fidem suam, fideique assensum *directive* in autori-
 tatem Ecclesiae proponens & decernentis non resolvit; uni-
 verso enim Concilio homo lubricus insultabat; sed in primam
 veritatem, seu in auctoritatem DEI revelantis per verbum, in quo,
 & per quod Spiritus S. divina dominabatur efficacia, ad Philo-
 sophum directam, & applicatam. Sic enim fidem operari, ut
 credat quis & fidei articulos, & illi qui Scripturae articulos pro-
 ponit, ut h. l. factum, est opus à Spiritu S. proveniens. Ita ve-
 ro locutus & confessus est Spiritus S. testimonio convictus
 Dialecticus: *Donec verbis mecum gesta res est, verba verbis opposui,
 & quae dicebantur, dicendi arte subverti; ubi vero pro verbis virtus pro-
 cessit ex ore dicentis, non potuerunt resistere verba virtuti, nec homo ad-
 versari potuit DEO: Et ideo si quis vestrum potuit in his quae dicta sunt
 sentire, quae sensi, credat Christo, & sequatur hunc senem, in quo loqui-
 tus est DEUS.* Haec Philosophus apud *Ruffinum.*

§. 13. Fallitur hic vero vehementer *Becanus*, quando
 Theol. Schol. P. I. tom II. c. 1. q. 4. solenni praemissa formula
 nostris insultaturus sic loquitur: *Haeretici nostri temporis viden-
 tur & publicam & privatam revelationem ad credendum exigere:
 quia publica revelatio, quae Prophetis & Apostolis facta est non potest
 singulis in particulari applicari, nisi per internam & privatam revela-
 tionem, quae unicuique propria sit. Quam alio nomine solent appellare
 vel internum & privatum Spiritum testificantem. Catholici docent,
 publicam revelationem sufficere; eamque singulis applicari per praedica-
 tionem Evangelij, & auctoritatem Ecclesiae.* Verum si *Lutheranos*
 his aculeis petit *Becanus*, nimis praecipit ille est; sin *Calvinianos*,
 qui aetatem ex illis habent, respondeant. Omnis vero cavilla-
 tio illorum, qui nobis hoc nomine inique insultant, inde ori-
 tur.

tur, quasi privatum Spiritum, à Spiritu DEI diversum, vel à verbo DEI separatum, nobis arrogaremus. Sic enim l. c. n. 5. rursus *Becanus*: *Si adversarij præter hæc duo, prædicationem Evangelij scilicet, qua fit applicatio illius revelationis, quæ Prophetis & Apostolis facta est; & internam gratiam, quæ excitat & adjuvat hominem, ut velit & possit credere Mysteria fidei, quæ audit; fingant aliquod tertium, nempe privatum spiritum revelantem, sive testificantem, qui applicet nobis revelationem publicam, quæ Prophetis & Apostolis facta est; audiendi non sunt: Quod per solam prædicationem Evangelij, possit fieri sufficiens applicatio.* Nolle vero debet *Becanus*, Lutheranos Spiritum Sanctum à prædicatione Evangelij non separare, quem verbo semper assistere docent, ita ut ejusdem assistentia ab illo sit inseparabilis, sic ut operatio verbo DEI propria, pro nulla alia quam Spiritus S. operatione haberi debeat, ceu in superioribus jam diximus. Idem est Spiritus S. qui publice testatur in Ecclesia per publicam verbi prædicationem, & qui etiam in corde per verbum in illud admissum, & in eodem receptum, testimonium internum perhibet, non contumeliose *Spiritus privatus* appellandus, ne exacerbetur, *Jes. 63, 10.* Nec docemus cum *Bellarmino* l. 1. de Grat. & lib. arb. l. 1. c. 13. in Resp. ad prim. concionem externam solum proponere objectum, sed non infundere lumen menti ad illud cognoscendum; neq; aspirare affectum ad illud diligendum; quam disciplinam in *Calvinianis, Socinianis, & Arminianis* etiam à nostris notari constat. Credimus vero ex Scripturis sacris, & sic ex testimonio Spiritus S. de verbo suo, quod, eximie mentem nostratium explicante *B. Hülsemanno*, de Auxil. grat. p. 180. hoc peculiare habeat DEI verbum, præ quovis alio sermone communicabili, quod nativam atq; insitam habet divinam quandam virtutem, quæ non solum verum dictorum sensum, & intellectui divino congruentem homini indicit, sed **PERSUADET** etiam, ut assentiatur, (si res credenda sit;) eam ita & non aliter se habere; (si facienda;) hanc oportere sic, & non aliter fieri. Quæ prolixè & solide à *B. Viro* explicantur. Si ergo credimus persuasi vi divina verbi, prædicatione in nos plantati, *Jacob. 1, 21.* & applicari, hoc ipso credimus operatione Spiritus Sancti; fide ex interno Spiritus S. dictamine, operatione à verbo, in cor admissa *Matth. 13, 19*, inseparabili,

bili, proveniente, eo modo, uti *Spiritus DEI testatur cum Spiritu nostro quod simus Filij DEI*, Rom. 8, 16. sine nota Fanatismi. Non ergo fingimus *tertium, nempe privatum Spiritum revelantem, sive testificantem, qui applicet nobis revelationem publicam, qua Prophetis & Apostolis facta est.* Signaculum enim Spiritus S. qui divinitatem revelationum nobis persuadet, & testimonium ejusdem omni certitudine, & vi persuadendi divina plenissimum, ex scripturis & per scripturas in animis hominum se exerens, præsupponit applicationem revelationis publicæ, sine qua illud dari non posset, cum per illam testimonium Spiritus S. se animis pie verbum tractantium insinuet. Æque inepte itaque, atque male, signaculum hoc quo veritas divina à Spiritu ex Scripturis, & per Scripturas, in animis nostris, verbum DEI admittentibus sine malitiosa repugnantia, confirmatur, *Spiritus privati* nomine traducitur tam publice, quam privatim; & quidem à talibus, qui sæpe numero quid in *Lutheranis* reprehendant, non intelligunt. Optime hos informat B. Dorscheus Theol. Zach. P.I. disp. 1. §. 30. *Est autem, inquit, illud testimonium à Spiritu Sancto per Scripturam, & ex Scriptura, & in Scriptura sensus suos divinos imprimente promanans, adeoque se singulis etiam hominibus insinuans, illaque de divinarum scripturarum majestate (& aliorum credendorum etiam) fidem faciens, nequaquam privatum; sed est ipsum publicum & solenne divinitatis testimonium, ordinarium testificationis principium in Ecclesia, unus idemque Spiritus.* Sicut enim *Baptismum infantibus collatum non vocamus privatum baptismum, cum sit illa ipsa publice Ecclesiæ commendata solennitas, sic & sensum divinum de sacris literis à Spiritu S. singulis collatum, nefas est NB. in oppositione ad publicum privatum sensum, & privati Spiritus dictamen appellare.*

Quid *Gretserus, Coturius, Southwellus, Erbermannus*, hic moveant, aliâ, DEO annuente, disquiretur occasione.

Hoc nunc stent litore puppes.



DE
TESTIMONIO SPIRITUS SANCTI
INTERNO

DE
SCRIPTURÆ SACRÆ VERITATE.

ex I Johann. 5, 6.

POSTERIORE VICE.

§. 1.



Ivus Johannes, Salvatoris

nostri consanguineus & Apostolus, cum
I. Ep. 5, 6. καὶ τὸ πνεῦμά, inquit, ἐστὶ τὸ μαρ-
τυρεῖν, ὅτι τὸ πνεῦμά ἐστὶν ἡ ἀλήθεια. et si ver-
bis posterioribus dicti hujus, ὅτι τὸ πνεῦ-
μά ἐστὶν ἡ ἀλήθεια, *objectum* testificationis
hujus veracissimæ, & efficacissimæ, satis
perspicue exprimat, ut artificiosa, & lon-

ge petita ejusdem investigatione opus non sit, si verborum sim-
plicitatem, quæ omni Scripturarum sacrarum interpreti curæ
cordique esse debet, sequi malimus; Doctorum tamen Virorum
dissensus remoram hic aliquam injicit, ut pede non impedito
progredi non liceat. Priorem itaque dicti partem, quæ de
Spiritu testimonium perhibente, ejusdemq; testificatione egit, cum prior
nostra consideraverit meditatio; in posterioris partis, quæ do-
cet, *de quo, & quid Spiritus iste veritatis testetur, ἐξηγήσει* traden-
da, posterior hæc, DEO bene volente, decurret disquisitio.

§. 2. Antequam vero de *testificationis* hujus *objecto* ver-
ba faciamus, I. quid sibi velit particula ὅτι dispiciendum. Non
vero eodem modo hæc redditur ab Interpretibus. Ve-
tus Latinus, qui & *Vulgaris* audit, Latine vertit *Quoniam*, tri-
buens voculæ huic sensum *causalem*; cum alii *εἰδικῶς*, & *objecti-*
ve, quod *objectum* nimirum testificationis Spiritus S. respiciat
& determinet, illam accipere malint. Diversimode etiam

A 2

apud

apud profanos Scriptores eandem usurpari, *Budaus* in Lexic. docuit; non minus eximie *Flacio* in Clav. voc. *Quia* f. 1019. sq. explicante, in Scripturis sacris varie conjunctionem *ōn* accipi. Ex illis qui *causali sensu* eandem interpretantur, ex nostratibus sunt *D. Beurlinus*, Theol. Tubingens. quondam Clarissimus, annot. in 1. Joh. h.l. p. 132. b. *Hornej.* in Comment. h.l. p. 123. *B.D. Calovius* in Bibl. Illustrat. h.l. f. 1661. Nec simpliciter id repudiat *B. Gerhardus* dispp. P. II. p.m. 1325. *Beurlinus* enim ad verba: *Spiritus est qui testificatur*, l.c. ita notavit: *Spiritum esse testem maxime idoneum & fide dignum, patet ex eo quod sit veritas, quæ in teste maxime requiritur.* Annuit l.c. *D. Calovius*, malumus, inquiring, *cum aliis accipere particulam ōn sensu causali quia, vel quoniam, ut confirmetur Spiritus testificatio.* Verum ut hujusmodi rationem *testificationis* Spiritus Sancti subjiceret, eandemque hoc modo *confirmaret* Apostolus, non erat necessarium. A nemine enim, qui ejus divinitatem credebatur, illa in dubium vocabatur. Et qui verum DEUM Spiritum Sanctum esse inficias ibat, illi etiam non erat religio hoc de eodem negandi, *quod esset ipsa veritas.* Et cum *B. Gerhardus* l.c. diss. ex 1. Joh. 5, 7. §. 38. quod *particula ōn causaliter accipi* debeat, eandem asserti sui attulerit rationem, nimirum *quia Spiritus veritas est, & proinde testimonium ejus verum ac certum;* ob allatam difficultatem, dum Spiritus S. testimonium hujusmodi confirmatione non indigere ostenditur, cum aliis malumus, pace doctissimorum Virorum, *voculam ōn accipere eidem.* De quo paulo post.

§. 3. *B. D. Horneji* explicatio, præter hoc quod cum supra allatis commentariis optimorum Theologorum conspiceret, aliquid peculiare habet, quod considerandum. Sic enim illa habet: *Tantum ita reddi hac debebant: Et Spiritus is est qui testatur: Quia Spiritus est veritas. Oratio enim elliptica est, & hic sensus: Spiritus Sanctus est, qui testatur illud, Jesum scilicet esse DEI filium, cui spiritui omnino credendum, quoniam non tantum verax est, sed ipsa veritas.* Ast si ideo sensum aliquem literalem esse, & genuinum, asserere licuerit, quod artificiose excogitata ellipsi fluat, vel fluere videatur, facile erit etiam cardinalia Scripturæ dicta hostibus veritatis elidere. Sed jam ante

B. Hor-

B. Hornejum ellipsin istam agnovisse alii videntur, ipse etiam Estius in Comm. h. l. *Sensum* enim hunc facit: *Insuper Spiritus Sanctus est qui testificatur, Jesum esse Christum DEI Filium & mundi Salvatorem, cujus testimonium haudquaquam rejici potest: QUONIAM Spiritus est veritas, quum sit DEUS, ideoque nec falli possit, nec fallere.* Verum hæc ellipsis probanda est; cum nondum sit evictum, id nostro loco *testificari Spiritum S. & cum eundem testificari* ait Johannes, ejusdem de hoc testimonium intelligere nostrum Apostolum, *quod Jesus scil. sit DEI Filius; & quod hoc subaudiri necessario debeat, cum dicitur: Et Spiritus est qui testatur.* Simplicissime enim, citra figurarum Grammaticarum non necessariarum subsidium, respondetur ad quæstionem, *Quid testificatur Spiritus S. vel de quo?* hoc modo: *Testificatur quod Spiritus sit veritas;* ita ut particula *ὅτι objective* accepta, determinet testificationis objectum. Constat sane, Ellipseos usum sobrium & mediocrem, nec nisi necessarium, atque subsidarium, idque sufficientibus ex causis, esse debere in Scripturis interpretandis, cum alias facile ex quolibet quodlibet fere fieri possit. Quod si vero particula *ὅτι objective* accipitur, non solum nullus ellipsi non necessariae relinquatur locus, sed & verborum simplicitati nulla vis infertur, salva analogia fidei, & contextus; salva etiam analogia nostri loci cum aliis locis.

§. 4. In explicanda itaque significatione particulae *ὅτι*, malumus illorum sequi interpretationem, quibus illa *objective* vel *ειδικως* accipitur, sic ut *objectum* determinet, circa quod Spiritus Sanctus testificando versetur, quod est *Spiritus*; de quo testimonium suum divinum perhibet, *nempe quod sit veritas.* Et quod sic etiam accipiatur particula *ὅτι*, ut præter significationem *causalem*, etiam *determinativam* objecti, vel *explicativam* modi, vel *utriusque*, simul habeat, dubium non est, doceturque à Glasio etiam Philol. S. l. 3. tract. 7. Can. 16. p. 820. Cum itaque per *πνεῦμα*, *Spiritum*, de quo *Spiritus*, Sanctus scil. ceu in priori Dissert. ostensum *testatur, verbum Evangelij* intelligitur, in debito suo usu lectionis, auditionis, meditationis, & sic Ministerio Ecclesiastico, quod est *ministerium Spiritus*. 2. Cor. 3, 6. 8. quatenus voce ejusdem sonorum est, non excluso, constitutum, ceu in se-

quentibus probabitur, de cuius veritate efficacissimo, divinoque testimonio in corde nostro, ad convictionem usque, testificatur; recte dicitur, quod particula ὅτι sit *determinativa* objecti, & *explicativa* etiam modi versandi circa determinatum objectum. Nimirum, versatur Spiritus Sanctus circa verbum Evangelii hac ratione, ut veritatem ejus suo testimonio asserat, & comprobet, testando scil. de ejus veritate, & quod verum, & infallibile DEI verbum sit, cor nostrum convincendo. Quæ interpretatio, uti reliquis simplicior est, nec coacta, ut cæteræ; ita particulam ὅτι merito accipimus in significatione, quæ huic interpretationi ceu genuinæ inserviat. Favet huic significationi, & explicationi voculæ ὅτι, B. noster *Lutherus* in *Versione*, quæ sic habet: Und der Geist ist's/ der da zeuget/ de quo vero? & quid? das Geist Wahrheit ist. Testatur nimirum *de Spiritu*, non de seipso, sed verbo Evangelii; & quidem hoc quod sit *veritas*. Sequuntur *Lutherum* ex nostratibus *Menzerus* *Disp.* *AntiPist.* 1. §. 77, n. 4. t. II. opp. p. 1580. 1719. *Hülsemann.* *Breviar.* c. 9. §. 4. *Dorscheus* in *dissert.* de trib. in ter. test. spir. aq. & sang. c. 4. §. 14. p. 28. asserens acceptionem eandem contra *Socin.* qui in *Comment. h. l.* illam it impugnatum, ex communi, qua & alii nisi sunt hypothese, quod scopus Apostoli sit *ostendere ex apertis testimoniis, Jesum esse DEI Filium sive Christum*, ad quod *spiritus* testificationem, quod *Spiritus sit veritas, imperimentem esse credit*. De qua re infra. B. D. *Sebast. Schmid.* *Comment.* p. 511. et si in *versione* particulam ὅτι, per *quia* Latinè reddidit, non tamen *sensu causali*, sed *explanativo* se locutum docuit, Cadit difficultas, si, ut B. *Dorsch.* l. c. censet, dicatur, *Spiritum, qui testificatur esse ipsam tertiam SS. Trinitatis personam, adeoque aliud quid ab eo spiritu, de quo testimonium est, quod sit spiritus verissimus, sive veritas ipsa: qui Spiritus est ipsa Evangelij vox.* Id quod jam probandum.

§. 5. Quæritur itaque II. quid per τὸ πνεῦμα intelligi debeat, quando dicitur: ὅτι τὸ πνεῦμά ἐστιν ἡ ἀλήθεια. Primo dicimus, quod sit *objectum* testificationis, circa quod Spiritus Sanctus *testificando* versatur, quando Apostolus ait: Καὶ τὸ πνεῦμά ἐστι τὸ μαρτυρῶν, *spiritus est is qui testificatur.* Non idem alias de hac,

hac,

hac statuunt interpretes quæstione, quodnam sit id hoc loco
 nostro, circa quod testificando Spiritus Sanctus testis officium
 præstet, idque ad Johannis mentem, in hoc quem explicamus
 loco, & quæ Apostoli mens hoc nomine sit. De diversis alias re-
 bus verbo Prophetarum & Apostolorum veracissimum hunc te-
 stari testem, sat constat: Speciale vero, idque ad mentem Evan-
 gelistæ nostri, illud quodnam sit, quod *testificationis*, quæ h.l.
 Spiritui S. tribuitur, *objectum* dici debeat, merito disquiritur.
Christum vero esse id, de quo Spiritus testificando perhibeat
 testimonium, & sit *testificationis* hujus *objectum*, non pauci
 statuerunt. *Cajetanus* equidem, Cardinalis, in *Enar. h.l.* cum
Vulgati sui versionem, authentico textui Græco non responden-
 tem notasset, nonnullis interjectis, *Spiritus Sanctus, inquit, est,*
qui testificatur de sanguine Christi oblato in cruce, & aqua baptisma-
li; sanguinem Christi in cruce oblatum, & aquam baptisma-
lem, objectum testificationis Spiritus Sancti, ad quod Johannes
respiciat, quando eundem ut testificantem nostro loco introdu-
cit, constituens. Improbat in Cajetano hoc Johannes Lorinus
Comm. h.l. f. 119. ut & in Vatablo & Clario, quod non Vulgatum
sequantur, secundum quem hic sit sensus: Videlicet reddi testimo-
nium à Spiritu Sancto, quod Christus sit verus DEUS, cui veritatis at-
tributum attribuatur, sicut Sapientia, & nomen Verbi, atq; alia &c.
Quem præterea, addit, recte etiam dici veritatem, quia quæ audivit
à patre, fideliter ac veraciter nota fecit nobis. Quem recte etiam
Veritatem dici, gratis licet, contendit Lorinus, cum seipsum vocet
veritatem, Joh. 14, 6. Spiritus testificantis objectum, circa
quod testimonium perhibendo versetur, Christum ut est verus
DEUS hoc testimonio comprobandus faciens. Guilielmus Estius,
uti Lorino accuratior est, ita distinctius loquitur, & sua interpre-
tatione Græcum textum authenticum cum Vulgato suo concilia-
turus, Comm. h.l. f. 895. nostræ, inquit, lectionis sensus hic est: sed
& Spiritus Sanctus testificatur, Christum esse veritatem Job. 14. Ve-
ritatem autem id est per omnia veracem in omni verbo & doctrina,
quam tradidit. Nonnullis vero interjectis ita pergit: Secundum
Græcam lectionem sensus est: Insuper Spiritus Sanctus est qui testifi-
catur: Jesum esse Christum DEI filium, & mundi salvatorem: cujus te-
stimo-

testimonium haudquaquam rejici potest, quoniam spiritus est veritas &c. Conveniunt proin hi duo posteriores, *Lorinus* atque *Estius*, *Christum* constituendo *objectum* ejus *testificationis* Spiritus S. de qua *Johanni* h.l. sermo: Dissentiunt vero, cum *Lorinus* ex *Vulgati* verbis rejecto *textu* Græco probare nititur, Spiritum Sanctum *testificari* & de *Christi* vera *Deitate*, & de *doctrinæ* ejusdem *veracitate*; *Estio* posterius hoc *testimonium*, ejusdemque *testificationis* *objectum*, hujusque *determinationem*, tribuente *Versioni* *Vulgatae*: priorem autem *testificationem*, cum *objecti* *declaracione*, referente ad *Græci* *textus* *sensum*. Accuratiore autem est *Lorino* *Estius*, cum quod hic præ illo plus tribuit fontibus; tum quod accuratius inter *veracitatem* *doctrinæ*, & *veritatem* *divinitatis* *Christi* distinguit; id quod *Lorinus* neglexit. Sic vero *objectum* *testificationis* Spiritus S. non Romano-Catholici tantum interpretes explicant, sed & ex Reformatis *Bullinger*. in *Comm.* h. l. f. 103. *testificationem* Spiritus S. intelligit de *testimonio* ejusdem, quod *Jesus* sit *Christus* *verus* *DEI* *filius*. Hunc secutus *Gualterus* *Homil.* 44. in *1. Joh.* 5. *Et cur hic*, inquit, *Spiritus* S. *scil.* *testis* est de *Christo*? *quia* *veritas* est. *Non potest ergo non testari de Christo*, in quo omnia implentur. Ex nostris vero *D. Beurlinus* in *annotat.* ad *1. Ep.* *Joh.* anno 1557. editis, idem *testificationis* hujus, quæ Spiritui S. tribuitur, *objectum* constituit, cum *testificari* eundem ait, *Jesum* esse *Filium* *DEI* & *Salvatorem* *nostrum*: Quæ interpretatio & *B. Hornejo*, & *B.D. Calovio* l. supra cit. placuit, *B. Gerhardo* nostro in *Dispp.* P. II. De ex dicto *1. Joh.* 5. §. 38. & 39. cum *Cajetano* *objectum* *testificationis* Spiritus S. esse *profluxum* *sanguinis* & *aquæ* *ex latere* *Christi* *in cruce*; cum aliis autem *Christum*, qua *mediator* & *Salvator* *noster*, & sic *specialis* *fidei* *objectum* est, contendente.

§. 6. Etsi vero res ipsa, quæ docetur, vera sit; analogiæ etiam fidei hæc ipsa interpretatio non contrarietur, & ab Apostolo probetur, quem rogatum ab *Asia* *Episcopis* contra *Cerinthum* etiam, *Asiae* *Ecclesiis* molestum, & hominem portentosum, *Irenæ.* 1. contra hær. 25. *Euseb.* H. E. l. 3. 25. edit. *Christophoros* aliosq; hæreticos, & maxime tunc *Ebionitarum* dogma consurgens, qui asseruerunt, *Christum* ante *Mariam* non fuisse, pro *divinitate* & *divina*

vina

vina ejus nativitate suum Evangelium scripsisse refert Hieron. de Script. Eccles. in Johanne; cum diu ante Hieronym. sic scripserat Tertullianus de Præscr. f. m. 108, *Johannes in Epistola eos maxime Anti-Christos vocat, qui Christum negarent in carne venisse, & qui non putarent Jesum esse Filium DEI. Illud Marcion, hoc Ebion vindicavit: Analogia tamen textus eandem non urget. Ne dicam interpretes plures inter nostates, pietate & eruditione insignes, eidem non subscribere. Cajetani enim quod attinet sententiam, B. Gerardo nostro non omnino improbatam, quod D. Johannes dicendo: *Καὶ τὸ πνεῦμα ἐστὶ τὸ μαρτυροῦν*, ad hunc aquæ & sanguinis ex latere Christi fluxum, & Spiritus S. de eo testimonium, in historia Evangelica, Joh. 19. respexerit, gratis assumitur, nec absque petitione principii; imo rectius negatur. Interpretatio enim est non expectata, cui proin simpliciore in textu fundatam jure prætuleris. Minus vero coacta erit, si ὅτι particula *εἰδικώς* accipitur, ita ut objectum testificationis Spiritus Sancti sit *Spiritus*, qui dicitur esse *veritas*. Cumque in textu etiam propius, & expressum aliquod detur, quod *testificationis* hujus objectum esse dici queat, *Spiritus* scil. qui dicitur esse *veritas*, rectius etiam circa id testificando Spiritus S. versari dicitur ad mentem textus, & loquendo de testificatione, de qua in textu agitur, quam si remotius aliquod, & per ellipsin quandam, absque ratione sufficienti, & non nisi in gratiam præconceptæ hypotheseos excogitatam, omissum, hoc nomine allegatur. Tale vero est, si ellipticam fingimus dari in verbis Apostoli orationem, hoc sensu: *Spiritus estis qui testatur* (Jesum scil. esse Christum DEI Filium, & mundi Salvatorem, cujus testimonium haud quaquam rejici potest) *quoniam Spiritus est veritas*. Testificationis alias Spiritus S. objectum etiam Christum esse, pie nemo negaverit, explicatque B. Ægid. Hunnius t. I. opp. f. 1170. *Sicut enim, ut notat ad locum nostrum B. Hülsemann, in Brev. c. 17. §. 22, Spiritus S. docet, & confirmat omnem veritatem divinam, ita docet & confirmat etiam hanc veritatem: Quod Jesus sit DEI filius, nosterque Mediator & Salvator: Sed de hoc jam non quæritur. Multo minus in textu apparet ratio, quare, uti Cajetano visum fuit, Spiritus Sancti testificatio ad fluxum sanguinis Christi in cruce, & aqua*

B bapti-*

baptismalis restringi debeat, cum ne quidem ad objectum testificationis, de qua h.l. sermo, pertineat.

§. 7. Cæterum quod *πνεῦμα*, Spiritus ille, de quo dicitur quod sit ἡ ἀλήθεια, sit h.l. *objectum Spiritus S. testificantis*, & ejusdem testificationis, probatur primo ex Apostoli scopo proximo, & speciali, atque singulariter intento, quem superiori disp. §.7. jam notavimus. Quanquam enim ὕ.6. cap.5. 1.Joh. etiam ad *confirmandam fiducialem Christi mediatoris apprehensionem per testimonium Spiritus S. in verbo & sacramentis spectet*, ut loquitur meritissimus noster Gerhardus l.c. §.38. p.m. 1323, & proinde, uti ὁ μακαρίτης rursus censuit §.sq. 39. de *confirmatione specialis illius fidei, qua per & propter Christum mediatorem & Salvatorem nostrum DEUM nobis propitium statuimus*, (hæc enim fides est victoria mundum vincens, de qua ὕ.4. c. nostri) verba Apostoli de *testificatione Spiritus S.* etiam explicari possint, sensu nimirum consecutivo, & intentione generali; proxime tamen, & immediate, prima item atque speciali intentione, Apostolum dicimus id agere, ut cum *aqua & sanguini*, h. e. Baptismo & S. Cœnæ tertium testem in terra, *Spiritum* nimirum, h. e. Evangelium addere constituerit, prius de veritate, dignitate & autoritate hujus testis Christianos certos reddat, infallibilem & divinam autoritatem ei asserendo; quæ sane facilius in dubiū vocari potest, quam ipsius Spiritus S. autoritas. Id vero cum solam Spiritus Sancti attestationem in cordibus nostris præstare posse, Apostolum non latet; velle etiam eundem in præsentī negotio, quo de tribus in terra testibus agitur, id agere significaturus Johannes, *Spiritus*, ait, *est qui testificatur*, quod *Spiritus*, h. e. *Evangelium*, quod tertius est de Christo in terra testis, aptissimum sit ad testificandum hoc nomine; perspicue notans, *objectum testificationis Spiritus S. esse Spiritum*, seu *Evangelium*, tertium in terris de Christo testem, quod is sit DEI filius, & mundi Salvator. Hujus testis dignitas, fides, eminentia, & aptitudo ad testimonium perhibendum in re tanti momenti asseritur, per hoc quod dicitur esse *veritas*. De quo in super. dissert. §.7. prolixius. Deinde quando habemus *objectum testificationis Spiritus Sancti*, de qua h.l. agitur, in textu expressum, & cum actu testificandi conjunctum, uti quo minus pro
objecto

objeſſo habeatur, neque textus, neque fidei, neque aliorum Scripturæ locorum analogia repugnat, quo jure, & qua neceſſitate urgente, aliud quid aliunde petendum, & ex ellipſi, quæ citra neceſſitatem hic fingitur, reſtituendum, ut objecti vices ſuſtineat, ſubſtituitur? Conſentiunt noſtrates *Mentzerus* Diſſp. Anti-Piſt. Apol. t.I, opp. p.1959. *Hülſem.* Brev. c.9.ſ.4. *Dorſch.* Diſſert. de trib. in terr. teſt. c.4. ſ.14. *Dannhæw.* Hodof. p.969. ſq. Ex Calvinianis *Beza* in tranſlat. ſuggillatus, licet gratis, hoc nomine à *Socino*.

ſ. 8. Reſtat itaque ut quid *πνεσμα*, de quo *Spiritus S.* teſtificatur quod ſit *ἀλήθεια*, *veritas*, ſignificet explicetur. *Vulgatus* interpres *Spiritum* hunc, qui *veritas* eſſe dicitur, interpreta- tus eſt de *Chriſto*, textu originali obſtante licet. Minime proin hoc nomine boni interpretis munere defunctus eſt *Lorinus* Comm. h.l. f.119. cum verſione fontibus prælata *melior*, in- quit, Græco ſcil. textu, & verſione Syriaca, *editio noſtra*, h. e. *Vulgata*, & ſine dubio ſequenda, & τὸ πνεσμα, quod *ἀλήθεια* eſſe dicitur, de *Chriſto* explicat, & eundem *Spiritum* illum eſſe dicit, de quo *Spiritus S.* teſtificatur, quod ſit *veritas*, h. e. *verus DEUS* : cui, ut ſupra audivimus, *veritatis attributum attribuat*, ſicut *Sa- pientia* & *nomen Verbi*, atq; alia quæ pertinent ad intellectum, per quem proceſſit à *Patre*, totam ejus ſubſtantiam vere exprimens adæ- quate, perfecte. Contra vero nos dicimus, meliorem eſſe tex- tum Græcum *Vulgato* interprete, & ſine dubio hoc nomine præ illo ſequendum, ceu originalem, idque exemplo etiam *Cajetani*, nec plane invito ipſo *Eſtio*. Deinde non concedimus, quod *Chriſtus* hoc loco ſit objectum teſtificationis, ob rationes ſupra allegatas, quibus docuimus, analogiam textus aliam requirere interpretationem. Nec caret, cum *Lorini* explicationem nulla ex textu petita ratio ſolide probet, illa expoſitio, qua *Spiritus* ſic absolute poſitus *Chriſtus* eſſe dicitur, omni violentia : & pec- cando contra ſimplicitatem, quæ cæteris paribus ſcripturarum interpreti curæ cordique ſemper eſſe debet, ſimul peccat in re- gulam bonæ interpretationis, qua analogum, imo quævis vox æquivoca, absolute poſita ſtat pro ſuo ſignificato famoſiori. Famoſius autem ſignificatum vocis *πνεσμα* & quod ſit, quan-

do Christum significat, *Lorino* probandum est: Licet non ignoremus, vocem *Spiritus* in Scripturis denotare etiam Deitatem, jam indeterminate, quat. scil. ut *Gregor. Nazianzenus* Orat. 4. loquitur, *est una tribus personis communis Deitas*, Joh. 4, 24. Jam determinate, divinam sc. Filii naturam, 1. Petr. 3, 18. Rom. 1, 4. Add. *Gerhard. & Weller.* in Com. h.l. Ebr. 9, 14. *D. Sebast. Schmid.* Comm. h.l. & quod *Spiritum hunc æternum Christus habeat in unitate personæ*, uti loquitur modo laudatus *B. Schmidius* noster. Quæ de *Processione Filij à Patre per intellectum* habet *Lorinus*, ipsi relinquimus. De sublimi enim hoc mysterio non sic locuti sunt beati Patres, Scholasticis antiquiores. Conf. *B. Dorsch.* in Pentadec. disp. 2. §. 25. sqq. p. 83. sqq. *Veritatis* denique appellationem in Scripturis Christo tribui non negamus. Num vero hoc loco ejus elogium eadem sit, ut *veritas sit verus DEUS*, manet in quæstione, nec à *Lorino* probatur, à nobis autem negatur, ceu assertum *Αλλ' ου* versioni *Vulgati* interpretis: *Quem meliores habuisse codices Græcos, quam qui nunc in manibus habentur*, uti memini alicubi locutum esse *Justinianum*, ego nondum credo.

§. 9. Alii per *Spiritum*, de quo Spiritus S. testatur, intellexerunt eundem ipsum Spiritum Sanctum. Sic enim *B. Ambrosius* l. 3. de Spir. S. c. 11. *ut de S. Spiritu*, inquit, *scripsisse se Evangelista referaret, per aquam inquit & Spiritum venit Christus JESUS. Non solum in aqua, sed per aquam & sanguinem & Spiritus testimonium, quoniam Spiritus est veritatis.* Sequuntur hanc interpretationem ex nostratibus, ceu supra notatum, *Beurlinus, Gerhardus, Hornejus, & alii.* Nos vero sequimur dissentientes, cum ex ea ratione, quod huic loco, ceu etiam *B. D. Sebastian. Schmid.* Comm. h.l. p. 511. observat, *non videatur congruere*, spiritum de seipso testificari, cujus rei supra jam dedimus rationes; tum quod Spiritus, cujus dignitatem & eminentiam suo testimonio, seu testificando, it Spiritus Sanctus assertum, sit in ordine testium in terra, ceu ex contextu & scopo Apostoli supra, & in priori dissertatione ostensum. Etiam non negligendam esse ducimus manifestam illam in textu occurrentem distinctionem, *B. Dannhæwero* in Hodof. p. 969. notatam, qua Spiritus testificans separatur ab eo Spiritu, de quo testatur quod sit

fit

fit veritas; qui absque solida ratione, quæ hæctenus allata esse non videtur, pro uno & eodem Spiritu haberi non debent. Fœdissimi enim hæretici, & Fanatici, qui tempore Johannis Apostoli grassabantur, licet verum Spiritum S. tertiam divinitatis personam, Patri & Filio ὁμοούσιον, & ab utroque ineffabili modo ab æterno procedentem, abnegarent & impugnatum irent; simpliciter tamen Spiritus S. non rejiciebant, sed falsum quendam, quem ipsi excogitarant, & pro vero Spiritu Sancto scelerate urgebant, tantum abfuit ut errorum autorem esse confiterentur, ut impudens *Simon Magus*, Spiritus S. Personam in se etiam referens, in gentibus extra Judæam & Samariam quasi Spiritum S. se adventasse, mentitus fuerit apud *Irenæum* l. 1. cont. hæret. c. 20. Qui & *Augustino* de hæres. c. 1. de se jactasse dicitur, quod in linguis igneis super Apostolos venerit. Idem extincto Simone de se Menander dixit. Similiter nec Ebionitæ Spiritum S. negarunt; pessime vero quid esset docuerunt. Vid. *Colberg*. *Origin.* hæres. c. 1. §. 11. p. 33. Et hoc etiam fuit, quod Johannis temporibus potissimum seculi primi hæretici impugnarunt, divinitatem nimirum Jesu Christi, & veritatem Scripturæ sacræ. Illud de Simone Mago, Cerintho, & Ebione, reliquisque scelerati Simonis discipulis satis constat. Hanc negarunt *Simoniani*, nec legem, nec Prophetas à bono DEO profecta esse contendentes; *Cerinthiani*, quorum furor N. T. libros potissimum petebat; *Ebionæi*, quos & N. & V. T. libros rejecisse partim, partim corrupisse Scriptores memorant, prolixius id explicantibus *Irenæo*, *Epiphanio*, *Eusebio*, *Augustino*, & aliis. Scripturæ sacræ itaque, atque Prophetæ, quos Hæretici seculo Johannæo grassantes rejiciebant, cum de Jesu Christo testentur, Act. 10, 43. & de horum testimoniis potius, quam Spiritus S. testificantis qualitate quæstio fuerit, de istorum etiam dignitate asserenda præ hujus testimonio Johannem fuisse sollicitum, recte creditur, ceu aliquoties jam diximus.

§. 10. His ita discussis, sequitur illorum interpretatio, qui per Spiritum, de quo fit h. l. Spiritus S. testificatio, intelligunt cum doctrinam, & veritatem caelestem, & divinam à Spiritu S. traditam, in Scriptura sacra contentam, & sic ipsam Scripturam Pro-

pheticam & Apostolicam, atq; credenda, uti explicant *Ménzerus* *Anti-*
Sadeel. II. t. 1. opp. p. 2166. & *Apolog. prim. disp. Antipistor.*
 t. 2. opp. p. 1959. *Hülsemann.* *Brev. c. 9. §. 4. c. 17. §. 22.* *Carpzov.*
Dispp. Isagog. in Syst. Theol. art. 1. de Script. S. p. 536. §. 3. tum
 in specie doctrinam Evangelij, ipsam Evangelij vocem, verbum salutis
 & reconciliationis, verbum gratiae & sapientiae caelestis, promissionem
 gratiae in Christo factam; verbum Evangelij quod de mysteriis divinis
 restificatur, uti loquuntur *D. Dorscheus* de trib. test. §. 15. p. 26. 28.
D. Gerhard. *Dispp. Theol. P. II. p. 1326. sq.* *B. Sebast. Schmid.*
Comm. h. l. p. 511. *Quensted.* *System. Theol. P. I. f. 100.* Non hic
 fingendus est dissensus optimorum horum Theologorum, nec
Gerhardus sibi ipsi contradicere credendus. Illos enim quod
 attinet, subordinatio dictorum manifesta est, secundum regu-
 lam: *Quicquid tribuitur toti*, similari scil. quale est Scriptura re-
 spectu *ἑσθησως*, cujus omnes partes sunt divinitus inspiratae,
 & haecenus toti Synonymae, essentialiter, tribuitur & parti. Nil
 ergo repugnat, quo minus, quemadmodum verbum DEI in
 genere, ita & in specie *Evangelium*, *Spiritus* dici queat, *Spiritu S.*
 etiam utrique perhibente testimonium, *quod sit veritas.* Qui
 per *Spiritum* omnem doctrinam, & veritatem divinam à *Spiritu*
Sancto traditam intelligunt, *Evangelium* ceu partem simul in-
 cludunt, exemplo *B. Hülsemann.* *Brev. c. 17. §. 22.* cujus verba su-
 pra §. 6. sunt producta. Quibus vero *Spiritus* significat ver-
 bum Evangelij, ejusque promissiones, reliquas divini verbi lite-
 ras non excludunt, sed in universum sacrarum literarum digni-
 tatem, & auctoritatem divinam, quam ex *ἑσθησως* habent, eunt
 assertum, ceu *Dorscheus* fecit, in *Diss. de trib. test. & c. c. 9. §. 25.*
 p. 43. Illi interpretationem suam, ceu Scripturae sacrae univer-
 sae suam auctoritatem confirmantem, tam late, ceu in causa fa-
 vorabili, quam possunt, ad omnem *Spiritus S.* doctrinam, &
 omne DEI verbum *ἑσθησως* extendunt. Hi illorum sententiam
 probantes, eam ad verbum Evangelii, & mysteria ejusdem in
 sacris literis comprehensa, quae de *Jesu Christo* testantur, quod
Filius DEI & *Salvator mundi* sit, applicant, & de Evangelii hu-
 jus doctrina nominatim intelligunt. *Gerhardi* vero explica-
 tionem quod attinet, cum illa superiori *B. Viri* interpretationi
 commo-

commode addi possit, quod nil impediatur, quo minus Spiritus S. & de Christo testetur, quod sit Salvator, & promissiones Evangelicas verbo Evangelii, quod sacrae exhibent literae, contentas, confirmet privatim in cordibus fidelium; eidem istam etiam, ceu ulteriorem factae expositionis deductionem, & expolitionem, prius etiam dictorum limitationem, & quasi correctionem quandam, ut inter scribendum fieri haud raro amat, addendam esse censemus, non invito, meritissimo Theologo. Legantur quae habet ὁ μακαρίτης diff. cit. §. 39.

§. 11. Cæterum ad confirmandam hanc interpretationem, qua per *Spiritum*, de quo jam sermo, cum universam doctrinam à Spiritu S. traditam, & Scriptura sacra comprehensam, tam Legis, quae est pædagogus in Christum, & per suam Pædagogiam de eo testatur, modo sibi convenienti, Gal. 3, 22, 24. quam Evangelii; tum nominatim & peculiari quadam ratione hanc, vocem Evangelii sc. verbum gratiae de Jesu Christo Salvatore, intelligunt, cui & nos subscribimus, notandum. I. quod hæc *Spiritus* acceptio sacris literis non repugnet. Ad verbum Evangelii enim, imo universam Christi doctrinam illud Joh. 6, 63. pertinet, quando Salvator ait, τὰ ῥήματα, ἃ ἐγὼ λαλῶ ὑμῖν, πνεύμα ἐστὶ καὶ ζωὴ ἐστίν, *verba quae ego loquor vobis, Spiritus sunt, & vita sunt.* Nec improbamus illorum interpretationem, qui Es. 11, 4. per πῦρ *Spiritum labiorum* Christi intelligunt verbum Evangelii, per quod Spiritus S. regnum Diaboli destruit. Non etiam rejicimus, quod ad idem ostendendum, quod *verbum Evangelij vocetur Spiritus, & ministerium Evangelij ministerium Spiritus*, à B. Hülsemann. de Auxil. grat. p. 182. & D. Seb. Schmid. Com. h. l. p. 510. provocetur ad 2. Cor. 3. ψ. 6. & 8. Cum enim verbo divino insita & connata vis divina sit, ideo quia est verbum θεόπνευστον, & à Spiritu S. immediate inspiratum, ex ejusdem etiam immediata inspiratione scriptum, cujus divina virtus à verbo hoc propterea sic est inseparabilis, ut ne in unico actu separationem Spiritus S. à verbo fingere liceat, ceu prolixè ab Hülsemanno nostro de Auxil. grat. p. 190. sqq. explicatur; Spiritus hinc etiam illud dicitur, quod Spiritus S. assistentia, vi & virtute, cor humanum convincente & convertente, semper gaudeat, hæcque ab illo sit inseparabilis,

rabilis,

rabilis, ipsam denique Spiritus Sancti vim divinam, imo ipsum Spiritum S. verbum Evangelii animantem & actuantem in se contineat. Unde Christus l.c. verba sua ζωὴ, vitam, h.e. vim vivificandi habentia etiam πνεῦμα, Spiritum, h.e. divina Spiritus S. efficacia intrinsece prædita, appellavit. Non male Origenes 4. τῷ ἄρχων, si quis, ait, cum omni studio & reverentia, qua dignum est, prophetica dicta consideret, eo ipso talis dum legit, & diligentius intuetur, certum est, quod aliquo divino spiramine mente sensuq; se pulsari agnoscat. Nec II. aliam Spiritus significationem & interpretationem, quam ut verbum DEI, & quidem verbum Evangelii de Jesu Christo potissimum, notet, admittunt scopus Evangelistæ & Apostoli, atque circumstantiæ textus; de quo jam §. 5. proxime præcedenti, & in superiori disp. §. 2. & 7. actum. Verissimum nimirum est, Evangelium æque firmo de Jesu Christo, quod Redemptor mundi sit, testari testimonio, & testari debere, quam aqua & sanguis de hoc testantur, ad quod proinde etiam præ aliis remittimur Joh. 5, 39. 1. Cor. 1, 6. sq. 2. Pet. 1, 19. Unde quando §. 8. Spiritum duobus hisce in terra testibus, aqua sc. & sanguini, Apostolus addit, certum est per istum verbum Evangelii etiam intelligendum esse, cum præter illud nullus alius in terris testis detur. Priusquam vero testem hunc, Spiritum scil. cum reliquis duobus, aqua & sanguine, h.e. Sacramento Baptismi, & Sacræ Cœnæ Sacramento conjungeret, ceu actu una cum illis testantem, & semper ad consumationem sæculi usq; testaturum, ejus dignitatem & auctoritatem prius, per occupationem objectionis, quæ hoc nomine fieri potuisset, ixit assertum, dicendo, Spiritum Sanctum testari de Evangelio, quod divino isto Spiritu animatur, qui divina efficacia sua inseparabiliter verbo assistit, quod sit veritas, & proin testis in hac re maximi momenti, omni exceptione major. Ita enim, B. inquit Darscheus diss. de trib. test. c. 4, §. 14. p. 28. vehementer firmatur propositum Apostoli, quod prorsus est apertis testimoniis ostendere, Jesum esse DEI Filium seu Christum, si ostendatur, Evangelium, quod Spiritus & vita, sive anima Ecclesiæ Christianæ habetur, etiam æterno & incomprehensibili DEI Spiritu attestante, esse cœlestem veritatem. Ut enim testimonio aqua & sanguinis sua constat veritas, ex summa & infinita veritate, ita etiam

etiam

etiam Spiritus, h. e. Evangelium, accipit de sua veritate attestacionem ex Spiritu Sancti demonstratione.

§. 12. Superest ut explicetur, quid Spiritus S. de Spiritu & Evangelio testificando testetur? nimirum quod sit ἡ ἀλήθεια, *veritas*. Prædicatum hoc, quod de Spiritu enunciatur, non eodem modo ab omnibus explicari, mirum non est, quia de subjecto, de quo prædicatur, non idem omnes sentiunt, cum talia omnino sint prædicata, qualia à subjectis esse permittuntur. Sponte sua itaque concidunt commenta cum illorum, qui de veracitate Spiritus S. & veritate testificationis ejusdem, tum *Lorini*, qui *Comm. h. l. f. 119. veritatem* explicat de *attributo Christi*, quo tam veritas divinitatis ejusdem, & quod verus DEUS sit, quam veracitas sermonis & doctrinæ, quam prædicavit, notatur. Christus enim cum hoc loco, & in hac propositione: *Spiritus est veritas*, non sit subjectum enunciationis, nec de illo prædicatum *veritas* affirmari certum est: Quicquid sit de hoc, quod *Joh. 14, 6.* Christus de se dixit: *Ego sum veritas*: id quod in quæstione non est. Relinquitur ergo, quod *veritas* in textu nostro sit attributum verbi Evangelii, imo universi verbi divini; sive illud, quatenus voce ministerii sonorum est, audiatur; sive quatenus in scripturis V. & N. T. continetur, legatur, atque tam auditum, quam lectum meditemur; id quod perinde est. Manet quippe idem DEI verbum, sive prædicetur, sive legatur; sive verbis ore prolatis resonet, sive literis significetur. *Uti Caesar*, inquit *B. Dannhauer. Hodol. p. 29. à seipso non differt, representetur licet à pictore in mappa, à chalcographo in ære; ita verbum ore annunciatum à verbo scripto non differt essentialiter. Scripserunt divini viri que annunciarunt, & contra. Idem Moses auditur & legitur. Idem quoque Christus, Matth. 17, 10. Luc. 10, 16. Conf. etiam B. Irenæus contra Hæret. l. 3. c. 1. Distinctio enim inter verbum DEI traditum & scriptum, etiam bona est, sed sensu conjunctivo, non oppositivo. 2. Thess. 2, 18. vid. D. Ægid. Hunn. t. I. opp. f. 1345. sq. Dannh. Hodol. l. c. Calov. Syst. t. I. p. 513, Rivet. in Cathol. Orth. tr. I. q. 9. f. m. 94.*

§. 13. Tribuitur hoc elogium, quod sit *veritas*, etiam verbo Evangelii, & verbo Patris cœlestis ab ipso Christo, *Joh.*

17, 17. quando in precibus ad Patrem directis ait: Ὁ λόγος ὁ σὸς ἀλήθεια ἐστὶν, *verbum tuum veritas est.* Singularis hic est *Maldonatus* in Com. h. l. f. 477. Sciat enim licet, confiteaturque, *omnes auctores, quos unquam se legisse meminit, verba Christi sic intellexisse: Sermo tuus Evangelicus verus est:* Mavult illa tamen sic interpretari: *Sermo tuus, id est, novum Evangelium res vera est, non typica, non umbratilis, qualis erat lex &c.* Placuit hoc commentum etiam *Lorino* Comm. in I. Ep. Joh. 5, 6. f. 119. Verum uti hæc interpretatio manifeste simplicitatem literæ deserit, cuius defendendæ nulla solida ratio adfertur; ita priori & potiori significationi, qua *verum* mendaciis opponitur, & figmentis, falso item, tamdiu inhæremus, donecurgens ratio eam relinquere nos iubeat. *Verum* alias typis & umbris opponi non negamus, uti *veritatis* vocabulum diversa habere significata constat, *Flacio* in Clav. f. 1288. explicata, voc. *veritas*; hoc autem loco sic accipi id debere non concedimus. Sane verbum DEI ideo potius, quia verum & θεῶννευσον est, quam non typicum, semen audit regenerationis, per quod homines accensa fide convertuntur, regenerantur, atque illuminantur, h. e. *sanctificantur.* Nam & verbum DEI typicum θεῶννευσον est, & divinam habet efficaciam. Rectius ergo *Maldonato* loquitur *Barradius* t. IV. Comm. in Conc. Evang. l. 5. c. 18. ad verba Christi: *Sermo Tuus est veritas, cum hoc est, inquit, doctrina tua, quam ex me discipuli acceperunt & servaverunt veritas ipsissima est, a verbis enim tuis falsitas maxime aliena est.* Consentiant nostrates *Lutherus, Chemnitius, Chytraeus, Hunnius, Sebast. Schmidius, &c.* Similiter & à Paulo 2. Thess. 2, 13. promissiones Evangelicæ, atque sic ipsum verbum Evangelii, ἀληθείας, *veritatis*, elogio commendantur; de quo ex instituto egimus in Repetit. doctr. de Elect. §. 87. sqq. p. 92. sqq. ubi plura huc pertinentia dicta sunt. Add. Jacob. 1, 18. Galat. 2, 5. Col. 1, 5. Eph. 1, 13.

§. 14. Cæterum quod verbum Evangelii, imo verbum DEI θεῶννευσον in universum, sive in sacras sit relatum literas, iisdemque contineatur, seu ore ministerii annuntietur, ἀλήθεια, *veritas* appellatur, in eo interpretes accuratiores merito emphasin quandam non contemnendam observarunt, atque nota-

runt,

runt, abstractum pro concreto positum observantes, de quo *Glassius* in *Philol.* S. p. 394. qui hinc verba Christi Joh. 17, 17. *sermo tuus veritas est*, significare ait: *Sermo tuus est verissimus*. Addatur *D. Dannhaver*. noster in *Hermeneut.* S. p. 185. Verissimum itaque, & omnibus numeris ἀξιόπιστον esse verbum DEI, & in specie verbum Evangelii, quod ceu tertius in terra testis de Jesu Christo testatur, Johannes dicere vult, idemque etiam quod suo testimonio comprobare intendat Spiritus S. cum *testificari* dicitur quod *Spiritus sit veritas*, significat Apostolus. Abstractum enim cum notat formam sine subiecto, & ad rem in esse perfecto, & esse ideali exprimendam aptum est, summa & infallibilis veritas, quæ esse potest, Scripturæ sacræ & verbo Evangelii tribuitur, quando dicitur esse veritas: Uti de homine sincere pio, qui *ambulat in omnibus mandatis & justificationibus Domini inculpatus*, Luc. 1, 6. dicere vulgo amamus, quod sit ipsa Pietas, et ist die Frömmigkeit selbs. Hinc *B. D. Aegid. Hunn.* in *Comm. h.l.* verba *Spiritus est veritas* ita interpretatus est: *Spiritus* (quicquid sit de hoc, quod Spiritum Sanctum intelligat) *non modo est verax, quod alias in teste requiritur, sed ipsa omnino infallibilis & immutabilis veritas, ut excipi contra hunc testem nulla ratione possit.* Applicando hæc ad Scripturam sacram, quæ verbum Spiritus Sancti est, & hinc etiam *Spiritus* dici potest, non quidem affirmamus illam esse veritatem, uti DEUS veritas esse dicitur independentem; à DEO enim & Spiritu S. cujus verbum est 2. Pet. 1, 21. dependet; Contendimus tamen, infallibilis & immutabilis eandem esse veritatis, sic ut contra ejus testimonium nulla penitus ratione jure excipi possit. *Nunquam enim veritas sectata est fucum*, ut loquitur *Arnobius*. I. contra Gent. Cedamus igitur, *B. ait August.* t. 7. opp. de Peccat. merit. & remiss. l. 1. c. 22. circa fin. f. 669. & consentiamus *autoritati sanctæ Scripturæ, quæ nescit falli nec fallere.* De cætero patet, nimis jejunum esse *Grotij* h.l. commentum, quando ἀληθεια, inquit, ponitur pro ἀληθές, ἀληθές vero pro eo, quod fidem meretur. Major enim abstracti hujus est emphasis, significatque, Scripturam sacram, qua verbum veritatis Evangelicæ continet, esse *veracissimam*. Conf. *Dannh.* Hodol. p. 63. sq. Πορρωμαλικῶς autem hinc infertur, *Scriptura de se aliquid affirmanti, etiam propter se, non propter aliud.*

auctoritatem scil. Ecclesiæ, primo esse credendum. Vid. Dorsch. Anti-
 Kirch. p. 486. Calov. Syst. t. I. p. 598. Est enim divina veritas,
 & proin αὐτῶν, quæ à solo Spiritu S. autore suo testimo-
 nium primum accipit. Derogat proin dignitati & veracitati
 Scripturæ Bellarminus, quando l. 4. de V. D. c. 4. negat ex Scripturis
 haberi posse, libros sacros in particulari istos, qui sunt in manibus, esse
 veros: Quæ & Gretseri disciplina est in tract. de agnosc. scr. ca-
 non. c. 3. t. 1. Defens. Bell. f. 1872. negantis, nisi prius per Ecclesiæ
 ostium, h. e. per infallibilem eius testificationem de veritate hujusmodi
 testimoniorum certus reddar, ea apud me aliquid efficere posse. Aliud
 vero est veritas scripti simpliciter spectata, aliud veritas libri,
 quam comitatur majestas θεοπνεύσεως ex convenientibus κριτη-
 εἰσις agnoscibilis, & Spiritus S. signaculo etiam ob signata in
 corde debito modo disposito, & in quo Spiritui S. non obex po-
 nitur malitiose, & morose.

§. 15. Cæterum vis & significatio vocis ἀληθείας hic
 nondum terminatur, ut significet veracitatem tantum testimo-
 nii, & verbi Evangelii de Jesu Christo, consequenter ipsius
 etiam Scripturæ sacre, quod sc. infallibilis veritatis sit, & omnis
 erroris expers, ceu ad fidei, quæ mundum vincere debet, ἀσφα-
 λειαν consignata, Luc. 1, 4. sed & præter hanc veritatem mora-
 lem, hoc ἀληθείας elogio, quod verbo DEI tribuitur, etiam signi-
 ficatur veritas θεοπνεύσεως ejusdem, & quod sit verbum DEI di-
 vinitus inspiratum, atque tale, quale ut sit natura verbi θεοπνεύσεως
 exigit. Dicitur alias veritas rei, cum res talis est, qualis ut sit,
 natura ejus debita exigit. Statuimus itaque, Spiritum S. etiam
 de hoc in cordibus nostris convenienter præparatis testificari,
 ad convictionem usque, non humana & morali, sed divina &
 supernaturali testificatione & operatione, ut mente & volunta-
 te hac gratia illuminante, hujusque gratiæ pulsibus & motibus
 tacti, certi simus divina certitudine, scripturas quæ de Jesu
 Christo testantur, Joh. 5, 39. non solum esse veras, sed & vere
 divinas, & verbum DEI vere tale, & proin auctoritatis irrefra-
 gabilis, si vel maxime cur ita sint rationem dare non sciamus, ceu
 à Deo convicti & superati. Sic enim Deo fides se submittit. Recte
 hinc credimus, scripturas Prophetarum & Apostolorum esse
 DEI verbum & verissimum, quando per intrinsecam verbo, à Spi-
 ritu

ritu

ritu Sancto ortam vim persuadendi, & sic propter DEUM Evangelio credimus, & propter Evangelium Ecclesie, & non Evangelio propter Ecclesiam, uti eximie loquitur Wesselus Groningens. l. de potest. Eccles. explicante Dorsch. de trib. test. §. 25. Tam late vero significationem vocis ἀληθείας extendimus, cum quia vocabulo naturalis est, tum quia nihil vel in textu Apostoli, vel in toto quod hic tractatur negotio occurrit, quod eam restringere jubeat. De testimonio ipso Spiritus S. efficacissime sic agentis, prolixè actum est in diss. prior. §. 9. sqq. quibus add. B. Dorscheus in Theol. Zachar. P. II. p. 37. sq.

§. 16. Effectus hujus testificationis à Spiritu S. per ipsum verbum Evangelii, & Scripturæ sacrae quam legimus, in corde nostro facta, est *DIVINA SCRIPTURARUM CERTITUDO ad firmandam fidem in Jesum Christum.* Opus Spiritus S. per verbum, à quo separari nunquam iste debet, cuique inseparabiliter etiam assistit, & in quo, ut Theologi loquuntur, dominatur, in nobis quando pie id tractatur operantis, est testificatio illuminando cor nostrum, & illuminatum convincendo per vim divinam persuasivam operatrix, ut *firmiter* credamus, & de hoc *certo* statuamus, quod *Scriptura origine divina, ratione doctrinae vero, & rei revelata veracissima* sit, & consequenter fides nostra in eo, ceu probe firmata, quiescere possit. Facit hoc intrinsecus per verbum ipsam mentem hominis attingendo, & virtute divina divinam certitudinem intus operando; quali operatione & veritate autoritas Ecclesiae mentem hominis nunquam attingere potest. Fides enim qua utrumque credimus, quodque voce ἀληθείας etiam continetur, oritur & perficitur in nobis, non Ecclesiae, cui testimonii moralem certitudinem summam comprobantis vim non denegamus, sed solius Spiritus S. in Scriptura, ex Scriptura, & per Scripturam in legitimo usu constitutam, testificantis testimonio plus minusve, prout ordinate agenti in mentem hominis, malitiose saepe resistentem, & proin non eodem modo semper se habentem, agere licet, unde non idem quoad omnes sequitur effectus. Divina vero hæc certitudo, quam solus Spiritus Sanctus operatur, quando abest, fides in Jesum Christum, quæ mundum vincere debet, ex verbo concipienda stare nescit. Si enim fiducia nostra in sermone

Prophetarum & Apostolorū quiescere debet, necesse est ut certa sit, & *divinae originis* verbum esse, & *veritatis indubitatae*, & certum *verumq;* illius haberi *sensum*, ex verbo isto in Scripturis contento haustum. Vid. Dn. D. *Isaac. Faust.* in diss. doctissima de summ. Script. certit. §. 41. Et hæc *sensus divini veritas*, quando certi sumus, nos verbi certum, verum, & divinum sensum etiam habere, ob rationem super §. 15. circa fin. datam, etiam pars illius *veritatis* est, quam de *Spiritu*, verbo scil. divino in Scripturis contento, nominatim verbo Evangelii, Spiritum S. testimonio suo comprobare dixit noster Apostolus. Sicut enim Scriptura sacra non est *ἰδίως ἑρμηνεύσεως*, *propriae interpretationis*, 2. Pet. 1, 20. sed eundem habet interpretem, & factæ interpretationis iudicem primum, quem autorem, Spiritum nimirum Sanctum; quicquid sit de *interprete ministeriali*, & *iudice* interpretationis *subalterno*, quod munus Ecclesiæ, & omnibus fidelibus asserimus; ita licet mediocum bonæ interpretationis sollicitam applicationem necessariam omnino statuamus, ad inveniendam Spiritus Sancti per Scripturam interpretationem, quam ex sola Scriptura haberi affirmamus, *scrutando* scil. Joh. 5, 39. veritas tamen interpretationis, & certitudo de hac non habetur nisi ex Scriptura, quæ hinc etiam non abs re sui interpretis infallibilis dicitur, realis nimirum, non personalis; rideat licet *Gretserus* tr. de agnosc. sens. script. c. 2. Id quod alibi prolixius à nostris jam explicatum est. Conf. *Gerhard. Exeg. L. 1. §. 526. Dorsch. Theol. Zachar. P. II. p. 4. sqq. Calov. t. I. System. p. 469. Ex Reformat. River. Cathol. Orth. f. 113. Ερμηνεύειν* hinc Christus jubet Joh. 5, 39. *ταῖς γραφαῖς*. At, ut *Etymologicum Vener. magnum* explicat, ὁ ἐρμηνεύων ἐπι πολὺ ἐρωτῶν ἐυδιαλεῖσθαι, *qui scrutatur multum in inquirendo satagit*. Petrus 2. Ep. 1, 19. vult nos *θεωρεῖν λόγον θεοφητικῶν*, *attendere verbo prophético*. Notat B. D. *Gerhard. Com. h. l. p. 132.* eximiè, significare vocem *θεωρεῖν diligens & attentum quoddam studium in rem aliquam, ac singularem animi attentionem*, ita ut *Apostolus sed iam scripturarum indagacionem & meditationem requirat*. *Ἀνακρίνειν* debemus exemplo *Berroënsium, Act. 17, 11*, quod explicante *Cbryostomo h. l.* est *ἐχ' ἀπλῶς, ἀλλὰ μετ' ἀκριβείας ἀνερμηνεύειν*, *non simpliciter sed cum diligentia scrutari Scripturas*. Sic veritatem sensus verbi divini investigare laborantem

rantem

rantem DEUS aberrare non finit: *Si quis voluerit voluntatem DEI facere, cognoscat de doctrina eius, ait Christus Joh. 7, 17.* Obligante veritatem cognitam Spiritu S. quem Spiritum recte *Bellarminus* l. 1. de V. D. c. 3. §. *tota*, non tantum Ecclesiae, sed etiam multis privatis hominibus; imo quod nos contendimus, omnibus illis qui verbum DEI recte tractant; *concedi* ait.

§. 17. Hic vero contra nos infurgit *Lorinus* in Comment. ad l. nostr. f. 119. & formula solenni usus, *porro, inquit, non hic probare possunt haeretici, sufficere cuiusque privatum suum spiritum, nec egere testimonio Ecclesiae. Hoc per illud non excluditur, sed includitur, loquiturque per os & vocem, & ministerium Ecclesiae. Alioqui concludetur etiam, superfluum esse Scripturam, quae sine dubio non est Spiritus.* Prolixior & vehementior in exagitando hoc Spiritus S. per Scripturas in legitimo usu constitutas testificantis, testimonio interno *Gretserus* est in tract. de agnosc. script. Canon. c. 5. *Quanta, inquit, bone DEUS, vanitas est, committere uniuscujusque interno & privato afflatui divinorum librorum canonem, & quidem independentem à testimonio Ecclesiae &c. quantus hic licentiae aperitur campus? &c. Alius hunc, alius alium librum ex canone extrusit; & hoc quilibet ex interno Spiritus S. testimonio, si non mentiuntur isti sancti Spiritus jactatores inclyti.* Mox cum suo *Mulhusino* quaerit, *DEI, an cacodæmonis filius fuerit Lutherus, quando Epistolam ad Ebraeos, Jacobi, Juda, Apocalypsin à Canone rejecit?* Ne de atrocibus & virulentis hujus viri convitiis, quibus internum Spiritus S. testimonium petit, quid dicam. Jam enim f. 1895. scil. vocat id *afflatum privatum, & enthusiasum vesanum, phantasma de privato enthusiasmo, omnis ignorantia, & audacia latibulum ac seminarium, unctionem mirabilem &c.* In sequentibus f. 1901. admittit *Gretserus*, ut *Lorinus* fecit, *testimonium Spiritus Sancti, sed non sine Ecclesiae propositione, & declaratione, per quam Spiritus S. efficiat suam testificationem in cordibus fidelium de scripturarum certitudine, & veritate.* Sed mirum non est *Gretserum* internum Spiritus S. testimonium, cujus ipse expertus fuit, & quod ipso teste l. c. non nisi mundo corde praeditis obvenit, atque sic subiecto debito modo disposito, non male praeparato, *Enthusiasticum & fanaticum Criterium* appellasse; quem in *Colloquio Ratisbonensi* Sess. IX. p. 294. sq. Spiritum hunc veritatis atrociter blasphemasse constat. Insultat eidem spiritui *Coturius* Epit. Con-

trov.

trov. Demonstr. 2. c. 3. p. 69. *quis, inquit, videre vel audire certo potest spiritum, quem in se loqui ait catholicus. Et licet ille homo, qui se dicit talem spiritum habere, iudicium (in controversiis Theologicis) palam ferat, qua ratione tamen is probabit se talem spiritum habere?* Et nonnullis interjectis pergit: *Demonstrare certe nequam, te verum & infallibilem DEI spiritum habere, cum talem tibi in particulari per Scripturam aliquam nullibi DEUS sit pollicens, & omnes alij, qui aliter locum Scripturae aliquem explicant, etiam talem spiritum se habere dicant.* Add. c. 4. quo Lutheranos ex testimonio Spiritus, ut ait, *privati aliquid probantes, circulatorum esse fingit, qui in probando circulum committunt; cum rectius in his controversiis Coturio circulus tribuatur, non obstantibus illis, quae Southwellus Analyf. Fid. d. 4. c. 4. p. 233. sqq. adfert, ut Malderum, Gregorium de Valentia, & Becanum, ab his angustiis liberet.* Alias quod communem de spiritu privato cavillum attinet, Coturium secutus Southwellus, cum provocantes ad internum Spiritus S. testimonium in circulo versari docere molitus esset Analyf. fid. disp. IV. n. 20. sq. n. 23. ita loquitur: *Impossibile est ut sectarij certo & omnino firmiter sciant, hoc testimonium internum, in quod fidem suam resolvunt, esse à Spiritu Sancto non à Diabolo; esse spiritum veritatis, non mendacij, erroris, & vertiginis, nisi DEUS id eis revelet: tum quia fides nisi debet DEI autoritate, tum quia nulla est alia ratio habendi certitudinem in presenti.* DEUS ergo id debet dicere: *Atqui DEUS juxta ipsos nihil revelat nunc de facto nisi in Scripturis, nihil inquam de novo extra illas, ergo ex Scripturis hoc peti debet.* Addimus his consentientem Erbermannum in Bellarm. Vind. t. I. p. 26. contendentem similiter, *neminem à Christo & Apostolis ad interni Spiritus iudicium esse remissum: Et cum regula Catholica fidei certa, notaq; esse debeat; privatam istam Spiritus revelationem nobis ignotam esse, nisi forte miraculis fiat evidenter nota.* Pag. 32. internum Spiritus S. de Scripturis testimonium appellat *privatum vertiginis spiritum.* Pag. 40. *privatum spiritum vocat characterem hareseos, quem justissime irrident p; omnes.*

§. 18. Sed suo loco relictis convitiis, quibus adversarii perunt testimonium Spiritus S. in cordibus, in quibus operatur per Scripturas, internum, ob quae DEO redditori sunt rationem, Matth. 12, 36. cum hoc internum Spiritus S. dictamen, de quo loqui-

loquimur, sit ipsa authoritas DEI revelantis in quam assensus fidei formaliter resolvitur, per DEI verbum, quod legitur & auditur, ad legentem vel audientem applicata, quæ efficacissimum Spiritus S. testimonium secum ferens, animum hominis, in quo certitudinem operatur, etiam independentem ab Ecclesia ducit in assensum, ipso *Becano* doctore, *autoritatem Ecclesie non parere assensum divinum & independentem*, in Theol. Scholast. P. II. tom. post. tr. I. c. 8. q. 8. n. 8. & 9. p. m. 144. sq. Respondemus paucis, idque *Primo in genere*, pari modo à Gentilibus & Baalitis in V. T. Prophetis, ad verbum DEI ad se factum provocantibus, & Apostolis, illorumque *ἑσπυλοσ*, virisque Apostolicis in N. T. à Philosophis infidelibus, insultari potuisse, imo insultatum fuisse. Jer. 5, 13. Act. 17, 18. 1. Cor. 1, 23. sq. Non autem hi ad Ecclesie propositionem se receperunt; sed ad vim verbi sui provocavit Paulus, 1. Cor. 1, 24. de qua fuit certissimus. *Deinde in specie* notamus, gratis dici, testimonium Spiritus S. internum, ex Scripturis, & per Scripturas per lectionem & auditionem applicatas, conceptum, efficacissime Spiritu DEI per istam applicationem se insinuante, & sic legenti audientique etiam privatim manifestante, quod toti Ecclesie publice revelatur ad cognoscendam *veritatem*, de qua Spiritus S. testatur, necessario includere *testimonium Ecclesie*, uti necessario, sic divino ordine in Ecclesia instituto exigente, requirit Scripturas, quo certi reddamur divina certitudine, & testimonium hoc internum non esse fanaticum, & Scripturam sacram esse divinam veritatem: *Propositioni licet & declarationi Ecclesie*, ubi illa datur, suum hic quoque locum, & usum concedamus. *Loqui Spiritum S. per os, & ministerium Ecclesie*, non negamus, si recte explicetur & intelligatur, Luc. 10, 16. 2. Thess. 4, 8. Ast cum non fanatico modo, sed per Scripturam nobiscum in Ecclesia & per eandem agere, inque corde nostro testari Spiritui S. visum fuerit, ad hoc testimonium cognoscendum, & percipiendum, nos insuper ista necessitate, quam adversarii urgent, *indigere testimonio Ecclesie*, negatur. *Neq; enim*, ut recte concludit B. Dorsch. Kirch. dev. §. 142. p. 489. quoad *certificationem majus quiddam operatur in animis nostris autoritas Ecclesie, quam autoritas summe veritatis revelantis, quæ est Scriptura sacra, imo ne tantum*. Addatur *Becan.* l. c. Sequitur hinc, quod

D si, ut

h, ut dissentientes §. superiori producti contendunt, *Gretserus & Cocurius*, non satis tuto Spiritui Sancto, privatim unumquemque efficaci per verbum ad cor nostrum applicatum operatione illuminanti, credere liceat, etiam non satis tuto eidem per Ecclesiæ testimonium loquenti credere liceat. Assistit enim Spiritus S. Ecclesiæ non inspirando, uti tali assistentia Spiritus divini sacræ exaratae sunt literæ, quæ hinc Spiritus S. assistentia etiam simpliciter inseparabili gaudent; sed aspirando, idque non immediate, sed mediantibus Scripturis, nec assistentia inseparabili. Deficere enim & errare posse Ecclesiam visibilem, indubium est. Rom. 11, 20. sq. Manet in hac controversia illud Johannis 1. Ep. 5, 9. *Εἰ πῶς μαρτυρίαν τῶν ἀνθρώπων λαμβάνομεν, ἡ μαρτυρία τοῦ Θεοῦ μείζων ἐστίν, si testimonium hominum accipimus, testimonium DEI majus est.*

§. 19. Deinde quod attinet certitudinem de Spiritu intus loquente, *testificante, & ejus testimonio*; de illa quæritur vel *absolute* loquendo, ratione *subjecti*, seu hominis, qui se talem Spiritum habere dicit, sine respectu ad alios, quicquid illi hoc nomine judicaverint; vel *relative*, in quantum aliis demonstrandum, quod verum & infallibilem DEI Spiritum in nobis testificantem habeamus. Prior certitudo, qua mihi scio, quod habeam *verum & infallibile Spiritus S. intus loquentis & inhabitantis*, Rom. 8, 9. 11, 6. *testimonium*, oritur ex efficaci Spiritus S. cor meum convincentis operatione, qua, etsi rationem reddere aliam non possim, tam certus & persuasus tamen sum ob fidem, quam Spiritus S. per verbum in me accendit, ut dicere cum Apostolo non dubitem, 2. Tim. 1, 12. *οἶδα ὃ περὶ Θεοῦ, scio cui credidi*: Et hoc satis est, rideat licet *Gretserus*; quemadmodum & Paulus à Græcis simili sibilo fuit exceptus. Divinitus ita persuasi de verbi divinitate, recte ex fide hac idem faciunt in hoc agone constituti, quod *Irenæus* l. 3. cont. hæret. c. 4. f. m. 242. autor est fecisse Barbaros ad Christum conversos, qui *sine charta & atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, si aliquis annuntiaverat ea, quæ ab hæreticis adinventæ erant, proprio sermone eorum colloquens, EX FIDE statim concludentes aures, longe longius fugiebant, ne audire quidem sustinentes blasphemum colloquium. Quod his sine charta licuit per verbum ore traditum persuasis, idem nobis*

nobis hodie licet per verbum scriptum convictis pari modo. Fides hæc etiam qua credo Scripturam sacram esse DEI verbum, ceu res per divinam & supernaturalem Spiritus S. operationem, non viribus naturalibus accepta, me certum hoc ipso quod ita credo reddit, testimonium internum, cui fidem sic habui, esse Spiritus S. non Spiritus erroris & vertiginis. Hoc enim nisi faceret, non esset vera fides, nec Spiritus S. me suo testimonio de hoc, quod *Spiritus sit veritas*, convicisset: quod illum tamen per verbum facere certum est. Ut vero, quod volunt adversarii, aliis demonstrem, me *verum & infallibilem DEI Spiritum* in me mihi sic testificantem habere, ad id non teneor. Num enim incredulo, vel irrisori teneor probare, me Solem videre? sufficit me de hoc esse certum. Si credere non vult alius mihi sic affirmanti, per me liceat. Possum tamen alteri sufficienter etiam probare, *Spiritum* in me testificantem, quod *Spiritus* h.e. verbum DEI & Evangelii in Scripturis contentum, *sit veritas, esse verum & infallibilem*, quia est Spiritus precibus à DEO impetratus, & lectione verbi obtentus, à quo est inseparabilis, Luc. 11, 13. Docere etiam alios possum, conceptum esse à me istum Spiritum ex usu ejusmodi scripturarum, quas hac virtute, à perpetua Spiritus S. assistentia proveniente, præditas esse voluit DEUS, ut me convincerent de sui veritate; quæque insuper ejusmodi motivis, tam internis quam externis gaudent, quæ non nisi in codice divinæ originis una sic conspirare possunt. Interim non negatur, cum *Spiritus, ubi vult, spirat*, Joh. 3, 8. fieri posse, ut in diversis subjectis etiam motus ejus, citra salutis periculum, diversimode se exerant & sentiantur, ut mirum non sit, B. Lutherum præoccupatum illorum opinione, qui *Jacobi Epistolam* pro non Canonica habuerant, quæ etiam *Cajetani* fuit sententia, de ejus autoritate aliter statuisse, atque in Ecclesia jam statuitur. Non omni interim *ad Spiritum internum provocanti* credendum esse, concedimus. Conf. *Dorsch. Kirch. dev.*, p. 489.

§. 20. Perperam denique *Circulus* hic nobis objicitur. *Southwell. Analyf. Fid. disp. IV. c. 2. n. 20. p. 217.* eundem sic format: *Credere Scripturas propter arcanum Spiritus testimonium, & iterum credere hoc testimonium arcanum esse à Spiritu Sancto propter easdem*

*scripturas, est circulos agere. Sed liberet Southwellus sive Baconus, se & suos prius à circularis, in quos incidunt, cum talibus coarctare nostros laborat. Interim qua ratione illi putant ex iisdem sibi licere extricare suos, eadem ratione nostri ab iisdem se liberant, idq; felicius. Patebit id conferenti Erbermanni Vind. Bellarm. tom. I. p. 130. & consideranti, qua ratione ille doceat, sine ullo circuli, vitio Fidem Catholicam resolvì etiam posse NB. aliqua ratione in Ecclesia auctoritatem; quidque hoc nomine videatur Southwello l. c. p. 229. n. 51. quibus addend. ex nostratibus B. Dorsch, in Kirch. dev. p. 486. §. 140. sq. Sane in re hac tortuosa & difficili, ut loquitur Southwellus, doctrina de propositione & declaratione Ecclesie iisdem, imo & gravioribus urgetur instantiis, quam nostra. Nec arctioribus circulis nos coarctamur, & constringi possumus, quam Apostoli, & viri Apostolici olim à Gentilibus, & eorum Philosophis coarctati sunt, & coarctari potuerunt, h. e. revera nullis. Objicienti interim cur credis Scripturas sacras esse DEI verbum? recte respondetur, ob testimonium Spiritus S. *testificantis quod Spiritus sit veritas*, cor meum convincens. Ulterius: Cur credis, & unde scis, hoc testimonium esse à Spiritu Sancto? Respondeo, quia est ex Scripturis, & per Scripturas, tanquam Spiritus S. medium agendi unicum in me exortum, tam efficaciter, ut *sciam cui credam*. Unde scis Scripturam sacram esse medium Spiritus S. à quo is est inseparabilis, unicum? Respondeo, quia præter hoc in universo terrarum orbe nullum datur; per quod etiam Spiritus S. ipsam Ecclesiam docet. Manifestum est motiva hic mutari, & in hoc regressu demonstrativo intercedere novam aliquam rationis negotiationem. Hoc non objiciam, quod Scriptura sacra per modum principii indemonstrabilis, seipsum licet clarificantis, se habeat, ita ut nullus hic circulus jure objici possit, secundum ea quæ hac de re prolixè disputarunt Toletus, & Zabarella.*

F I N I S.





L. D. B. V.

DE

MYSTICA THEOLOGIA.

S. I.



DE Mystica Theologia, cujus

corruptionis hodiernus *Quietismus*, sub fictæ pietatis specie, monstrosum edidit specimen, non idem omnium est iudicium, ipsis etiam *Pontificiis* Doctoribus non idem sentientibus. *Videntur enim*, inquit *Sandaus* Theol. Myst. præfat. ad Relig. *gloriarî Mystici, quod DEUM am-*

*plius ament, quam intelligant. Quod sine actu intellectus voluntate sola DEUM percipiant. Quod intellectu aque ac voluntate, sine ullis tamen actibus elicitis, divina patiantur. Quod fruantur contemplatione pura, sine ulla conversione ad phantasmata. Quod dum absorpti herent in divina caligine, à DEO agantur: spiritus autem viribus actioneq, sua destituatur: imo moriatur anima, ac propriam formam amittat: & nihilominus DEUM, etiam intuitive, aliquando videant. Addit vero idem: Hec à sapientiæ abscondite ignavis vel ludibrio habentur, vel ad invidiam exaggerationibus attolluntur. De *Rubroch* etiam, *Harphio*, & aliis, quorum laus inter Mysticos magna fuit, & adhuc apud complures artis hujus, quam sic vocant, Doctores viget, id satis constat; quos ab hæreseos suspitione apud suos non abfuisse, ipse *Sandaus* autor est in Theol. Myst. p. 650. sqq. cui add. *Voërius* Ascet. p. 77. Ne de certamine novissimo inter Illustrissimos Gallix Præfules, *Archiepiscopum Cameracensem Francisc. de Salignac Fenelon*, & *Episcopum Meldens. Jacobum Benignum Bossuetum*, quid dicam, quod occasione libri, à Dn. *Cameracensi* scripti, cujus titulus est: *Explication de maximes**

A

des

des saints &c. certatum fuit, & ad Theologiam Myfticam pertinet; illo in *Instruct. Pastor.* ad Myfticos etiam provocante; hoc vero Myfticos suos vindicante, cum alibi, tum imprimis in *l. de Nov. quæst. tract. 1.* qui inscribitur *Myftici in tuto*; & Adversario *Fanatiffimum* objiciente in *summ. Doctr. D. Camerac. ArchiEp.* n. 5. atque sic Theologiæ Myfticæ ad Enthufiasmum tendentis, talesque extra DEI verbum, & sine eo jactantis, excessum & abufum recte notante; hujusmodi licet afflatus cœlestes, atque revelationes, in suis Myfticis alii multum admirentur, magnique faciant. Conf. *Francisc. Rous* in Interior. Regn. DEI tract. 1. c. 3. p. m. 13. Parum hinc magnifice de hac *Theologia Myftica*, de qua apud Romano-Catholicos, quod attinet ejuldem dignitatem, sublimitatem & utilitatem, tot elogia extant, sentiunt etiam Reformati Theologi, *Hoornbeck.* in *summ. Controv.* l. 4. p. 384. *Autor* scripti, cujus titulus est: *Traite historique sur la Theologie mystiq.* art. 13. p. 75. §. 2. Cumque etiam ex nostris nonnunquam extiterint, extentque, qui prætextu Pietatis, & myfticæ cum DEO unionis, Christi etiam Salvatoris nostri, plus justo *Theologia* isti *Myftica*, quæ vulgo sic dicitur, indulferint, desiderio Dn. *Respondentis*, SS. Theol. Cultoris eximii, satisfacturi, de hoc disciplinæ genere nonnulla notabimus. Faxit DEUS feliciter!

§. III. *Theologia* itaque, quæ *Myftica* audit, dicitur ita *ἄπο ἔκρυπτον*, quod significat *occultare*, item *claudere*, ita ut *Sandæo* explicante Theol. Myft. Comment. 1. exerc. 1. p. 2. *Theologia Myftica* sit ex vi nominis illa, quæ *arcanis* constat & *mysteriis*; quæ *secreta* continet: & *sub literario cortice, sensuum sacramenta*. A *Pseudo-Dionysio* l. de Theol. Myft. c. 1. dicitur *simplicia* & *absoluta, immutabiliaq;* *Theologia* *mysteria abstrusa* continere. Præcipit idem suo etiam *Timotheo*, videat, ne quis eorum, qui non sunt initiati sacris sue religionis, istas audiat. Hinc à *Christiano Hoburg*, Ecclesiæ in Ducatu Brunsvicensi primo ministro, in Theol. Myftic. præf. sæpius appellatur *occulta*, die *wahre verborgene Theologie*, daß uti loquitur §. 21. *der verborgene Grund des Hertzens in der Krafft Gottes von der Selbheit gereiniget, und von dem Liecht Gottes erleuchtiget, inwendig der verborgene Mensch des Hertzens vvieder aus Gott gebohren, mit Gott vereiniget, in Gott lebe, zeitlich und ewiglich.*
Add.

Add. §. 23. Hanc contradistinguit Præf. 1. §. 5. *der auffern, gemeinen, Wort- und Wind-Theologie*, cujus lumen *falsum lumen* appellat §. 6. quo nomine, seu convitio potius, nostratam Theologiam, qualis in Scholis orthodoxorum etiam docetur, & Fanatismum improbantem, intelligit. Translatam autem denominationem hanc esse à Theologia Gentili ad hunc Theologiæ Asceticæ explicandæ modum, qui Mysticis scriptoribus placet, patet ex illis, quæ *Casaubonus* Exerc. 16. ad *Baronius* Annal. p. 481. de Gentilium *Mysterijs* exposuit. Dicebantur enim his etiam *Mysteria*, quæ ad morum emendationem, & hominum vitam corrigendam pertinebant, & instituebantur, uti ex scriptis Platoniorum & Pythagoricorum doceri potest. Invenias sane inter hodiernos etiam Pietastros, & Fanaticos, qui, quæ in suis conventiculis privatis tractant & peragunt, tanto studio occultare laborant, ut credere non abs re liceat, ipsa etiam Eleusinia sacra, mysteria Cereris initiorum, nullo magis quam silentio solennia, non plus clam fuisse habita.

Quis Cereris ritus audet vulgare profanis?

dicitur apud *Ovid.* 2. de art. sub fin.

§. III. Patet autem ex dictis, *generaliori* sensu voce *Mystica* uti *Sandaum* l. c. p. 3. cum eodem sensu Theologiam Mysticam dici contendit, quo sensus Scripturæ, qui Mysticus dicitur, sic audit, quod scil. *subsit illi mysterium*, quemadmodum Theologia Mystica mysterijs constare & arcana continere dicitur; *Hoburgum* autem, & alios, Theologiam hanc sic appellare sensu magis determinato, quod circa abdita & occulta versetur. Sic enim Præf. 1. §. 22. loquitur: *Unsere Theologie ist daher eine verborgene Theologie, vveil sie nach dem ersten theil das verborgene des Hertzens angreiffet, die tieff im hertzen verborgene unart biß auff die vvurtzel der Selbheit und Eigenheit entdecket &c. Und darauff im zvveyten Theil lehret sie, vvie der verborgene mensch des Hertzens müsse invvendig im verborgen, da das reich der finsterniß von Natur, vom Liecht und Geist Gottes je länger je inniger erleuchtet vverden: Biß endlich im dritten theil der verborgene Mensch des Hertzens vverde mit Gott ein Geist in zeit, bleibe ein Geist in evvigkeit.* Sensum de cætero *Mysticum* quod attinet, de quo non *Sandaum* tantum, sed etiam *Bellarminus* 3. de V. D. c. 3.

A 2

& alii,

& alii, ex nostris autem B. *Glassius* Phil. S. l. 2. P. 1. tract. II. s. II. p. 289. qua cautione contra adversariorum insidias à nobis admitti soleat, explicat B. D. *Dannhann*. Hermeneut. S. p. 26.

§. IV. Caterum præter hanc modo notatam vocis *Mystica* & *Theologia Mystica* acceptionem, datur adhuc *strictior*, quæ significat certum exercitii spiritualis, eumque ultimum potissimum, qui dicitur *via unitiva*, gradum. Hoc sensu de *Theologia Mystica* egit etiam *Pseudo-Dionysius* 1. de *Theol. Myst.* c. 1. quo de introitu *in divinam caliginem*, quam sic vocat, in primis sollicitus est. Unde non abs re doctissimus *Thomasius*, *Schediasm.* p. m. 57. opinatur, *strictum hunc sensum ex eo obtinuisse, quia Mystica Dionysii Theologia libellus solam exequitur viam unitivam.* Recte hæc observantur. Et si enim *Pseudo-Dionysius* l. c. c. 1. viam etiam *Purgativam* & *illuminativam* insinuatam eat, *Platonismum* more suo ut alibi, sic & hic, *Christianismo* applicans; ex instituto tamen *viam unitivam* cum DEO it explicatum. Hac acceptione quid sit *Theologia Mystica*, explicans *Carolus Hersentius* in *Appar. ad Dionys. Areop. Theol. Myst.* p. 33. dicit, quod sit *perfecta & exquisita DEI cognitio super omnem aut sensus, aut mentis operationem, supra affirmationem aut negationem, quæ intimâ essentia anima cum essentia DEI unione & conjunctione, cum summa pace, silentio, & ignoratione perficitur.* Hoc sensu de *Mystica* etiam loquitur, & quid sit, explicat *Sixtus Bergomensis*, *Francisc. reform. in Via montan. ad cæl. via* L. art. 3. p. m. 429. sq. Observat vero *Voëtius* in l. de *Exercit. Piet. Proleg. q. 7. p. 7. sq.* præter *strictiorem* hanc, atque *latiorem*, modo notatam, adhuc *generalio*rem, eamque etiam receptam *Theologia Mystica* apud *Scriptores Romano-Catholicos* acceptionem, qua cum *Theologia Ascetica* coincidit, nec ab ea differt; dum aliquando *Mystica* apud illos, per *Synecdochen speciei pro genere* late accepta, notat omnem *Theologiam*, & omne scriptum, quod *praxin & exercitium pietatis*, sive totum & collectum, seu partem aut speciem ejus, ac divisim delineat aut explicat; sive in actu signato, sive exercito, sive utroq. Patet id ex *Catalogo autorum Theologiae Mysticae*, quem exhibet *Sandæus* in *Theol. Myst.* p. 646. sqq. & *Anonym.* cujusdam *lettre sur les PRINCIPES, & les CARACTERES des Principaux AUTEURS mystiques & spirituels des derniers siècles.*

Doctores

Doctores hujus disciplinae dicuntur *Mystici: Rerum spiritualium magistri: Contemplativi*: De quo *Autor l. traité historiq. sur la Theol. Mystiq. p. 3. sq.* Ipsa autem doctrina solet à Doctoribus, qui eam tradunt, appellari *Theologia spiritualis, arcana*. Apud *Pseudo-Dionysium de Myst. Theol. c. 1. audit divinorum mysteriorum disciplina*. Scriptori *Anonymo*, qui novissime occasione controversi. de Quietismo edidit librum, qui inscribitur: *Le Christianisme Eclairci &c. in stricturis ad l. cit. Traite historique sur la Theol. myst. &c. p. 335. dicitur la Theologie, qui traite de la mystique*. *ArchiEpiscopus Cameracensis*, de quo §. 1. vocat *les maximes des saints*. Pythagorici & Platonici Philosophi ut & ipsi suam Theologiam Mysticam habuerunt, sic ea *Hierocli Com. in Aur. Pythag. p. m. 304. appellatur ἱεραλικὴ ἀναγωγή, sacerdotalis disciplina, quæ sursum evehat*; item *τέχνη τελεστική, ars mystica. p. 310.*

§. V. *Totaliter itaque, & partialiter*, cum de Mystica Theologia loqui possimus; priori modo considerata, si, quid sit, dici debet, satis constat, non eadem id ab omnibus explicari ratione. Nam alii de *Mystica Theologia actuali*, seu contemplatione mystica; alii de *habituali*, seu habitu Theologiae Mysticae loquuntur; alii *inadequate* ejus naturam exprimunt, à certo effectu, insigniori etiam proprietate & operatione eam describentes, idque haud raro satis obscure, & insufficienter. Si convenienti caractere, & simpliciter *quid sit* hæc Theologia, ad mentem Doctorum ejusdem, notari debet, non abs re dicitur, quod sit doctrina explicans illam Theologiae Practicae partem, atque speciem, quæ triplici, purgativa, illuminativa, & unitiva via, pias & devotas animas ad intimam & perfectam unionem cum divina essentia ducere præ tendit. Rectene an falso, jam non disquiro. Clariora interim hæc sunt, quam *Sandai* definitio in *Theol. Myst. p. 6. cui Theologia Mystica est notitia contemplativa sapida DEI, ac divinorum*; & respondent disciplinae *Hugonis de Palma* in *Theol. Myst. cujus p. 5. verba hæc sunt: Oportet ut anima, quæ vult ascendere ad illum altissimum in presenti, in quo mentes Angelica absorbentur in gloria, velut earum imitatrix, primo purgetur: secundo divinis fulgoribus illuminetur: tertio in summo apice affective constituta ad culmen amoris unitivi*

A 3 perficia-

perficiatur; notans in *trivio* hoc *sacro*, triplicem animæ viam ad DEUM. In his totam consistere Theologiam Mysticam Hugo citatus notat. Add. *Lett.* laudat. *sur les Princip.* &c. p.7. sq. Ad mysteria insuper, quæ hic fingunt, & quæ triplici hac via animæ contingere, præter Scripturam multi contendunt, explicanda, magno etiam apparatu insolitorum vocabulorum utuntur, ad Enthusiæsmum usque, varias etiam revelationes, visiones, melancholica item deliria, & alia fide parum digna, grassante; licet alii aliis sint moderatiores, nec penitus rejiciendi.

§. VI. Quanquam enim hujusmodi Theologiæ Mysticæ excessum, & varios qui passim dantur abusus, improbemus, infantem tamen cum sordibus ejiciendum esse, ut loquuntur, minime censemus. Male equidem sæpe nostrates audiverunt, ceu contemptores Theologiæ Mysticæ. Innocentes vero sumus, si hæc dica nobis scribitur, ob neglectum & contemptum Theologiæ Mysticæ orthodoxæ, qua veram, quæ non nisi una est, animæ ad DEUM viam ex Scripturis it explicatum. Etsi enim hanc Theologiæ Christianæ partem non cum Theologiæ Mysticæ elogio commendarint, commendentque nostrates; ad illam tamen Theologiæ Moralis partem, quæ *Asctica* dicitur, & de exercitiis pietatis agit, eandem à nostris revocari, atque ex Scripturis, unica & adæquata Theologiæ Mysticæ etiam norma, explicari contendimus. Vid. ex nostris B. *Calovius* in *Isagog.* ad *Theol.* l. 2. c. 5. p. 259. sqq. *Hilfemann.* *Method. Stud. Theol.* p. 304. sq. ex *Reformatis Voët.* in *Ascet. Proleg.* q. 1. Ignorantiam itaque suam, si non malitiam, prodidit *Besoldus* in *Motiv. transf.* ad R. E. p. 119. sq. quando Evangelicos ita notavit: *Vieler Orten werde von den Luthernern die imitatio Christi für ein Aberglauben gehalten. De mortificatione carnis & sui ipsius; de meditatione; oratione mentali; contemplatione; elevatione mentis ad DEUM; de casibus & examine conscientia; de compunctione cordis, & unione cum DEO per viam purgativam, illuminativam, unitivam, werde nicht gelehrt/ ja solche termini werden nicht verstanden/ sondern spöttlich verlacht.* Sed sufficienter homini maledico os obturavit B. D. *Wagnerus*, *Theol. Tubingens.* in *Censur. contra Besold.* c. 7. §. 3. p. 372. sqq. quem vel solius B. *Arndij*, felicissimi post *Lutherum* Theologiæ Mysticæ repurgatoris, libri *de Vero Christianismo* in ruborem dant, quibus doctrina de imitatione Christi, & qua
ratione

ratione Christus in nobis vivere debeat, eximie ad praxin Christianam explicatur. Ne dicam, ipsum *Kempisium* de hoc argumento commendari, caute omnino licet legendum, à nostratibus *Calovio* l.c. p. 260. *Dannhavvero* Theol. Conscient. t. 1. p. 545. Ex Reformatis *Thomam à Kempis*, quem pro autore habet libel. de Imitat. Christ. laudavit etiam *Voëtius* l.c. p. 8. penitus licet non probante *Maresio* de quo *D. Colberg*. In *Platonisch Christenthums* P. 1. c. 1. p. 82. sqq. Falsum præterea & hoc est, quod apud Evangelicos *de unione cum DEO per viam purgativam, illuminativam, & unitivam nil doceatur*; & quod *hujus generis termini à Lutheranis non intelligantur*, sed potius non absque sibilo *derideantur*. In Dissertationibus, enim quas nuper de *Novo homine, ejusq. renovatione & induitione* habuimus, aliud ex Theologis nostratibus fuit ostensum. Docuimus etiam in Diss. III. de Induit. nov. hom. §. 12. quomodo expurgato Gentilismo triplex ista via, & doctrina de *Unione cum DEO per viam purgativam, illuminativam, unitivam*, convenienter scripturæ explicari possit, & à nostris explicetur; licet nec nomine Theologiæ Mysticæ, nec terminis, quibus isti Theologi, qui Mystici audiunt, delectantur, utantur. Ista enim mysteria, quæ à Mysticis jactantur, non solum nondum sunt probata, & rectius magna ex parte Enthusiasum, quam veram Theologiam, inferre sæpe dicuntur. Termini etiam hujus artis, technici licet sint, sicut & Scholastici suis utuntur terminis, quia tamen ab *ὑπερπρωσσι τῶν ὑγιαίνόντων λόγων* abeunt, aptique sunt ad Fanatismum occultandum, & nomine Theologiæ Mysticæ, & terminis huic doctrinæ propriis, re ipsa, quatenus in Scripturis sacris continetur, præter & ultra quam hic sapere non licet, contenti nostrates abstinent, & abstinere malunt, imo debent.

§. VII. Et quæ nos adstringet necessitas ad Platonismum Christianæ disciplinæ *Pseudo-Dionysii* exemplo applicandum? In qua, quod attinet hoc disciplinæ Mysticæ scil. genus, Philosophiæ Platonicæ, inconvenienter ad pietatis exercitia passim applicatæ, abusus manifestus est, antiquissimis jam temporibus introductus. Et si enim certum sit, in Veteri & N. T. à Prophetis & Apostolis, ipso etiam Salvatore Christo, traditam legi doctrinam de *Unione Mystica DEI, Christi etiam atque fidelium, purificatione*

purgatione item, atq; illuminatione mentium nostrarum; con-
 stetque insuper, Theologos orthodoxos ex Scripturis sacris,
 a dato & unico Theologiae Mysticae principio, ut dictum,
 gratiam Spiritus Sancti Evangelicam, meritis Christi partam,
 in Unitivam, illuminatricem, sanctificatricem, atque rege-
 neratricem distinguere, de quo *Dannharr.* Hodol. Phœn. IX.
 p. 563. sq. p. 924. 938. 946. 952. sqq. simul tamen addimus,
 in sequentibus temporibus Scripturae simplicitatem, & sim-
 plicem Theologiam Mysticam, si hanc appellandi formu-
 lam usurpare velimus, multiplici abusu Philosophiae Platon-
 icæ; cui Patres multi plus justo, imprudenterque interdum in
 dogmatibus religionis Christianæ explicandis aperte indulse-
 runt; & additamento corrumpente, varium & puritatis suæ &
 simplicitatis accepisse detrimentum, atque magis magisque in
 multis, Fanatismo, & Enthusiasmo accessisse: Qui Theologiae
 Mysticae excessus, & abusus, merito notatur.

§. IIX. Cæterum quod a sumentum hoc Pythagoricum &
 Platonium attinet, quo illa pars Theologiae, quæ de praxi fidei
 & honorum operum præprimis sollicita est, atq; in sequentibus
 temporibus Theologia Mystica dici cœpit, à nativa simplicita-
 te defecit, nimius hujus Philosophiæ amor jam ante *Pseudo-*
Dionysium in *Justino Martyre* apparuit. In Apol. enim I. f. m. 51.
 expresse negat, ἀλλότρια εἶναι τὰ Πλάτωνος διδάγματα ἢ Χριστοῦ,
alienas esse à Christo Platonis doctrinas. Hujus, ut & *Pythagora*
 placitis, discipulus ejus *Tatianus* abusus est, ad fœdum quen-
 dam, & Ecclesiæ molestum *Pietismum* excogitandum. Questus
 hinc est *Tertullianus* in l. de Præscr. c. 7. f. m. 98. de illis, qui *Pla-*
tonicum Christianismum protulerunt. Cum enim prisca credide-
 rint, *Justinus Martyr* etiam Cohort. ad Græc. f. 28. sqq. Apol.
 II. f. m. 81. 92. *Clemens Alexandrinus* Pædag. l. 2. c. 1. 1. Strom.
 f. 315. & alii, ex Mose Platonem multa hausisse, idque asserue-
 rint etiam, ita ut à *Clemente* 1. Strom. f. 274. ὁ ἐκ τῶν Ἑβραίων φιλο-
 σοφῶν, ex *Ebrais Philosophus*, fuerit appellatus; in Platone quo-
 que inventa, ceu ab Ebræa Philosophia provenientia, vid. *Clem.*
 5. Strom. f. 558. l. 6. Stromat. f. 629. ad religionem Christianam
 applicare, & hanc illis accommodare, hoc est, Platonismum
 cum Christianismo commiscere, & confundere non dubita-
 runt.

runt. Fecerunt hoc cum eruditionis ostendendæ gratia, ad amoliendam à se à Gentilibus objectam ignorantiam; tum ut religionem Christianam iisdem probabilem redderent. Questus est de hac ad Gentilium & Philosophicorum decretorum similitudinem temperandæ Christianæ fidei ratione doctissimus Jesuita *Petavius*, iniquior licet sæpe in nostros, Præfat. t. II. Theol. Dog. c. 3. Verba vero prolixiora sunt, quam ut producantur. Formulas hinc à Platone petierunt, *Pythagora* etiam usitatas, qui & ipse τὰ πλείστα, καὶ τὰ γραιότερα τῶν δογμάτων ἐν βαρβάροις, plurima, eaq̄ præstantissima dogmata apud Barbaros didicisse dicitur eidem Alexandrino Doctore 1. Stromat. f. 303. ad explicanda dogmata religionis Christianæ; quæ, quod eadem cum Platonis Philosophia esse crederent, ejusdem etiam assertis ista exornatum ibant, annuente *Clemente* 1. Strom. f. 278. Conf. etiam *Augustin.* t. I. opp. de Verit. relig. c. 4. f. 704. docentem, *Platonicos paucis mutatis verbis atque sententiis Christianos factos*, & proinde non multum abesse à Christianis.

§. IX. Eidem *Clementi Alexandrino* à nonnullis id vitio vertitur, quod inter primos Theologiæ Mysticæ autores fuerit, qua assumpto sc. Platónico hæc misceri, eidemque simplicitas doctrinæ Christianæ, Asceticæ etiam, involvi, certe ad Platonico-
rum decretorum similitudinem, ut *Petavium* recte sentientem audivimus, temperari cœpit. Memorat etiam *Euseb.* H. E. l. 6. c. 13. quod ἀπασιν omnibus, quæ tradidit, κατὰμίγνυσε ἢ τὰ φιλοσοφῶν δόγματα, Philosophorum quoque opiniones intermisceret. Hujus facti rationem ipse dedit 1. Strom. f. 277. sqq. πειλέξασι. inquit inter alia, οἱ σρωματεῖς ἀναμιγνυμένω τὴν ἀλήθειαν τοῖς φιλοσοφίας δόγμασι μᾶλλον ἢ ἐγκεκαλυμμένω ἢ ὑπεκεκρυμμένω, καὶ ἵνα περ τῶν λεπτόρων τὸ ἐδιδόχον ἔκαρυν, continebunt hi libri qui dicuntur σρωματεῖς admixtum veritatem Philosophiæ decretis; vel potius coopertam & absconsam, sicut testa operitur id, quod est in nuce esculentum. Quod fidei semina, ἀληθείας σπέρματα, solis conveniat servari τῷ πίστεως γεωργοῖς, fidei agricolis. Tribuit etiam Philosophiæ ib. f. 282. quod πρὸς τὴν ἀλήθειαν, προδοποιῶσι τὸ ἐπὶ χειρὶ τελειώματον, praparet, ei viam muniens, qui à Christo perficitur. Ne dicam, passim in l. 5. Stromat. non solum Contemplationis, qualis etiam à Mysticis hodiernis describitur, sed etiam triplicis illius viæ, quam Theolo-

B

gia

gia Mystica hodie tanto verborum apparatu explicat, fieri mentionem. Nec dubito, quin Myfici contemplativi, ceu pro se dicta, allegaturi sint verba Clementis Strom. l. 6. f. 551. ubi ea legerint, cum *ἡμεῖς Θεῶν δι' ἀγάπης τ' Θείας ἵνα δὴ τὸ ὅμοιον τῷ ὁμοίῳ θεωρῶμεν, κατὰ κέροντες τ' λόγῳ τ' ἀληθείας ἀδόλως καὶ κατὰ τὴν δίκην τ' παρρησιῶν ἡμῶν παιδῶν, oportet nos DEO effici conjunctos ac familiares per divinam dilectionem, et simili contemlemur simile, pure & citra fraudem verbum* (quo fit illuminatio) *audientes veritatis, instar puerorum, qui nobis obediunt.* Non minus iidem contendunt, *triplicem animæ viam* tradere verba ejusdem, quando Strom. 5. f. 553. *Φρόνιμοι, ψυχὰ κατὰ τὴν αἰσθητικὴν παραμένοι· σωεῖσθαι σφῶν αὐτὰς ἐν ἀγνοίᾳ κατὰ τὴν αἰσθητικὴν, τὸ φῶς ἀνάπτεσθαι, καὶ τὸ νῦν ἐγείρεσθαι, καὶ φωτίζεσθαι τὸ σκότος, καὶ τὴν ἀγνοίαν ἐξελαίνεσθαι, καὶ ζητεῖσθαι τὴν ἀλήθειαν, καὶ τὴν διδασκαλίαν τὴν ὑπερφάνειαν ἀναμύεσθαι,* *prudentes animæ mundæ ut virgines, cum intelligant se esse sitas in mundana inscitia, lumen accendunt, & mentem excitant, tenebras illuminant, & ignorationem expellunt, & quærunt veritatem, & expectant adventum præceptoris.* L. 4. Strom. f. 534. monet, contemplativum *Ἀλλὰ τ' ἰδίᾳς εἰλικρινῆς κατὰ τὴν αἰσθητικὴν ἐποπτεύειν τὸ Θεόν, per suam sinceram purgationem DEUM contemplari.*

§. X. Etsi vero hæc etiam ceu recte dicta accipi, & explicari possint, collata tamen cum reliquis viri hypothefibus, quas de Gnostico suo fovet, de ἀπεθείᾳ ejusdem, *orta ex conjunctione cum DEO, qui nullis passionibus obnoxius est, per charitatem;* item quod *ex cognitione diligens, γνωστικῶς ἀγαπῶν, in uno immutabili habitu maneat,* l. 6. Strom. f. 650. sq. *Ἀδιώκτον γὰρ, inquit f. 651. τὸ ἀπαρτὴν τελειωθέντα δι' ἀγάπης, καὶ τὴν ἀπλήρωτον τ' θεωρίας ὁ φροσώμιον αἰδίως καὶ ἀκέρως ἐπιώμενον, ὑπὲρ τοῖς μικροῖς, καὶ χαμαιζήλοις ὑπερπεσόντα, fieri non potest, ut qui semel jam est consummatus per charitatem, & inexplebilem contemplationis delectationem æterne & insatiabiliter percipit, eaq; fruitur, parvis & humilibus quibusdam & abjectis deleatetur.* Et quod sic affectibus omnibus exemptus in divinam quandam naturam transeat, *θεομενῶν, deificatus,* l. 4. Strom. f. 535. sqq. Item de ἀναμαρτησίας studio, ceu in hac vita obtentu possibilis, 6. Strom. f. 665. De perpetuis Gnostici precibus mentalibus, *ex quo per charitatem DEO familiaris factus est:* *Εὐχεταὶ τοίνυν ὁ γνωστικὸς, καὶ κατὰ τὴν ἔννοιαν πάντων τῶν ὄντων δι' ἀγάπης*

ἀγάπης αἰκείμην τῷ Θεῷ, 6. Strom. f. c. Add. 7. Strom. f. 722. Hæc, inquam, & similia inter se collata, manifeste docent, Platonizantem *Clementem* in multis semina disciplinæ dispersisse, quæ in sequentibus temporibus Mystici ulterius, sæpe etiam contra autoris mentem, extenderunt, & suis speculationibus præter & contra Scripturam indulgentes, novis additamentis auxerunt, repurgatum introducturi Platonismum.

§. XI. Fecit id in primis *Autor*, qui in seculo, ut non abs re videtur, quarto, sub *Dionysii Areopagita* nomine orbi Christiano imponere voluit. *Halloixij* enim & *Chaumontij* asserta tanti nobis nondum videntur, ut aliter statuamus. *Theologiam Mysticam* hic primus scripsit, aperte Christianismum cum Platonismo, & hunc cum illo miscens, certe eundem ad Platonis mentem accommodans, & ad Platoniorum decretorum similitudinem temperans. Scriptorem hunc si quis legerit, & cum *Porphyrij*, *Jamblichi*, *Plotini*, *Hieroclis*, & similium scriptis contulerit, cognoscet, quod illis contemporaneus, aut ab iisdem non multum remotus, illorum etiam vitulo ararit, τῆ Πλάτωνος ἀγκέκαθαρμένη φιλοσοφία, purgata Platonis Philosophia addictus, ut loquitur *Hierocl.* in l. 7. de Prov. & Fat. apud *Phot.* in Biblioth. Cod. 214. f. m. 283. Phædrum Platonis sane à crassis erroribus repurgatum ivisse *Dionysiastrum*, dicto libro; & quæ sit vera ratio divina caliginis, ἡ θεία γνώφω, quæ Platonem latuit; quo ve pacto item Moses eandem intraverit; & quæ sit vera ratio εἰς τὴν γνώφω τὴν ἀγνωσίας εἰσδύειν τὴν ὄντως μυσηγόν, in vere mysticam ignorantiam caliginem irrepenti, ut loquitur c. 1. Theol. Myst. add. Ep. 5. ad Dorotheum docere voluisse, in quo explicando Plato penitus aberravit, licet de anima reflexione εἰς τὸ ὄντως ὄν, ad id quod vere est, sursum facta, & mentis acie in DEUM summa attentione erecta, passim garriveret, in Phædr. f. m. 346. sq. non dubitamus. Scopum certe eundem cum illo habuit, unionem nimirum cum DEO, etsi melius, explicandi. *Hierocles* in Comment. in aur. Pythag. p. 308. cum ἡ περικλικῆ, ejus quod in actione consistit, duas fecisset species, civile & mysticum, sive, uti loquitur, πολιτικὸν & τελεστικὸν; hoc describit, quod sit ἀπὸ τῶν ἱερῶν μεθόδων τὰς ὑλικὰς φαντασίας ἀποτέμνον, sacris artibus terrenas cogitationes amputans. Μέθοδοι ἱερῆαι, sanctæ artes hujusmodi sunt via illa purgativa, sive καθαρμοὶ & καθάρσεις

Pythagoreorum, de quibus etiam Hierocles l.c. p. 296. sqq. Porphyrii sentent. P. II. c. 34. ad quas Introversio pertinet, de qua rursus Porphyrius in sentent. ab Alyfio Lolino servatis c. 42. Illuminativa item, & Unitiva via, de quibus Jamblich. in Protrept. quatenus non à Pythagora & Platone tantum, illisque qui horum virorum disciplinam secuti sunt, sed etiam à Theologis Mysticis, Theologiæ isti Platonica plus justo addictis, tam olim, quam hodie, explicatae sunt, & adhuc à Theologia Mystica, non repurgata præprimis, explicantur, præter & contra Scripturam sacram, cum qua, quod attinet vias divinæ cognitionis, & cum DEO unionis, unice statuendum. Analogæ disciplinæ huic Pythagoricæ sunt quæ habet Dionysii, uti audit, Theol. Mystica, quam, ex Scripturis licet, ut ajunt à Pythagora desumptam, quæ tamen Gentilis potius est, quam ex sacris literis petita, & à Pythagora & Pythagoricis potius interpolata, quam recte retenta, iste Pseudonymus sequitur. Parallelus enim plus justo disciplinæ supra expositæ est locus ejus, qui legitur in Theol. Myst. c. 1. quando ad suum Timotheum ita scripsit: Tu autem Timothee, pro maxima Mysticorum spectaculorum exercitatione, qua vales, prætermitte & sensus & mentis actiones, eaq; omnia, quæ & sub sensum cadunt, & animo cernuntur, & quæ non sunt, & quæ sunt omnia, teq; ad ejus, quod omnem scientiam superat conjunctionem, & unitatem pro parte virili ignorando excita. Introversionis autem hujus effectum ulterius explicans, ita pergit: Libero enim solutoq; ac liquido à te ab omnibus discessu ad divinarum tenebrarum radium, qui omni essentia superior est, contendes, cum & omnia demseris, & omnibus solutus fueris ac liber.

§. XII. Explicationem hujus doctrinæ facilem subministrant rursus Pythagorei, etiam sine Scripturis. Sic enim Porphyrius P. II. sentent. seu τὸ πρὸς τὰ νοητὰ ἀφορισμῶν, c. 34. αἰ. inquit, τὸ πρὸς θεωρίαν θεωρητικὴ ἐν ἀποσχισί κέντηται τὸ ἐν πεδύται διὸ καὶ κατὰ τὴν αὐτὴν λέγονται, ἐν ἀποσχίσει θεωρῆσθαι, τὸ μὴ σώματι τὸ πρᾶξι, καὶ συμπαιδείων τὸ πρὸς αὐτὸ. Αὐτὴ μὲν γὰρ τὸ ψυχῆς ἀφισαμῆνης πρὸς τὸ ὄντως ὄν, virtutes hominis ad contemplationem contendentes; qui est Theologiæ Mysticæ, de cujus abusibus agimus, finis inordinate intentus; consistunt in abscessu ab inferioribus: ideo & purgationes eadem appellantur, quæ in abstinentia ab actioni-

aclionibus, quæ corporis ministerio fiunt, & ab affectionibus erga corpus spectantur. Hæ enim virtutes sunt animæ ad verum ens se elevantis. Τῆς, hinc ait Hierocles Com. in Aur. Pythag. p. 309. Ἡ Πυθαγορικὴ ἀγωγὴ τὸ πέρας ὅλης δι' ὅλων ἰσσοπέρας γυρόσται πρὸς τὴν θεῶν ἀγαθῶν μεταλήψιν, ἰν' ὅταν ὁ θεὸς θανάτου καιρὸς ἐνσηῖ, καὶ ἀλιπόντες ὑπὲρ γῆς τὸ θνητὸν σῶμα, καὶ τὴν τέτα φύσιν ἰσοδυσοίμενοι, πρὸς τὴν ἔσθνίαν πορείαν ὡσιν ἔυζωνοι εἰ τὴν φιλοσοφίας ἀγώνων ἀθλητῶν, *hic finis est Pythagoricæ disciplinæ, ut toti penitus alati fiat ad bonorum divinorum perceptionem, ut cum mortis tempus instabit, relicto in terra mortali corpore, ejusq; natura (per purgationes scilicet) exuta, ad cæleste iter expeditiores fiant philosophicorum certaminum athletæ.* Applicarunt hæc insequentibus temporibus Mystici ex Christianis veteres ad suam Theologiam, quam isti doctrinæ attemperatum ibant, detrahentes Mysticæ Gentilium disciplinæ, & rursus addentes ex Christiana, quæ videbantur. Similiter quæ ex solis Scripturis explicari debebant, ibi Græcorum dicta, & plagia sacra corrupta, male & infeliciter etiam correctæ, doctrinæ Christianæ accommodabant. Ex recentioribus etiam Mysticis, quomodo *Hoburg.* in Theol. Myst. aperte, quasi cum *Porphyrio* & *Platone* potius, quam sanctis DEI viris loqui maluisset, applicarit *Platonicam*, & *Pythagoricam* hanc doctrinam, vid. l.c. P. I. c. 4. p. 38. c. 7. p. 95. De quo etiam infra. Scopus sane disciplinæ Pythagoricæ modo explicatus, hujusque vestigia, satis manifeste deprehenduntur in *Dionysii* hujus *ascensu in divinam caliginem*, quo mens uniatatur, & conjungatur cum eo, qui verbis exprimi non potest, ceu loquitur Theol. Myst. c. 3. ut non abs re dicatur, sicut per abusum & commixtionem Philosophiæ Aristotelicæ exorta est Theologia Scholastica, ita per abusum doctrinæ Platonice, cujus lineæ manifeste in Mysticorum, quos sic vocant, scriptis se exerunt, natum esse abusum Theologiæ Mysticæ; ejus autoribus, Monachis imprimis, contemplationibus suis plus justo, scripturarum ductu deficiente, indulgendo, ad entusiasmos usque, Platoni in *Pædro* f. 343. 347. notatos, & *Marsilio Ficino* explicatos in *Conviv. Plat.* Orat. VII. c. 14. modum excedentibus. Conf. etiam *B. Jacob. Thom. Schediaf.* hist. p. m. 54. sqq. qui prolixius explicat ultiores quos habuit, per *Johannem Erigenam*

nam Scotum potissimum, Theologia Mystica progressus, apud Latinos imprimis, à Monachis, qui contemplationibus, & piis etiam meditationibus, licet interdum male sanis, ultra scripturarum ductum, dediti fuerant, in deliciis habita, ob vitam solitariam, & hinc pauciora exercitiorum pietatis, DEUMque diligendi data impedimenta; quodque suum statum plus conferre, & ad finem ultimum, perfectiorem DEI dilectionem, accommodatiorem esse, sibi & aliis persuasum irent, contra verba DEI, Es. 1, 12. Matth. 15, 9. De quo etiam B.D. *Hülsem*. Man. Aug. Confess. disp. 14. §. 6. sqq.

§. XIII. Exulta in claustris fuit hæc Theologia Mystica illis abusuum & errorum accessionibus, quas in suis autoribus etiam multi ex Rom. Catholicis improbarunt. De *Johanne Rusbrochio* sane, tam olim quam hodie viro inter Mysticos magni æstimato, vid. *Lettr. sur les Principes & les caract. des princ. auteurs mystiq.* p. 13. non dubitavit *Sandaus* in *Theol. Myst.* p. 650. hoc ferre judicium, quod *formulas habeat loquendi duras, non usitatas, periculosas, & nisi commoda interpretatione mitigentur, erroris indices; ita ut Johannes Gerson illum insinulaverit hæreseos in Almarico condemnatas.* Licet vero alii aliter sentiant, & novissime etiam *Autor* *literarum sur les princip. &c.* nolim tamen, inquit *Sandaus* rursus l.c. p. 651. ejus scripta *verset tyro, nec quilibet è turba ascetarum. Illorum lectio requirit virum in spiritualibus exercitatum, prudentem &c.* Nec dissentit *Meldensis Episcopus Illustrissimus, Jacobus Benigno Bossuet.* quando in *Instruct. sur les Estats d'Orail.* l. 1. §. 1. *questus de sermone & exaggerationibus Autorum Mysticorum, jam ab aliquot seculis usurpatis, de expressionibus etiam, quibus hic Rusbrochius utitur, non magnifice sentit; quas tandem tamen forsân, peute stre à quelque sens supportable reduci posse, non negare vult; referens eundem cum Harphio, Taulero, l.c. §. 3. p. 4. illorum scriptorum numero, quorum autoritas est fort petite, pour ne pas dire nulle, dans l'école.* In §. seqq. tribuit his scriptoribus *expressiones exorbitantes; propositiones & exaggerationes insuetas, & vanas speculationes.* Unde in disputatione de oratione mentali, ac devotione, perpendens verba *Tauleri*, cujus ossa in nostro Collegio Academico quiescunt, *Franciscus Suarez* t. II. opp. l. 2. de Orat. ment. c. 12. n. 17. f. 108. negat, quod *Scholastica subtilitate, sed mystica*

mystica

*mystica phrasi loquatur, & quod ideo in eius verbis non possit magnum fieri fundamentum, etiamsi eius auctoritati deferre velimus. Quid ergo mirum, si nos jactantiae horum hominum minus adhuc deferimus, non improbantes, ab aliis tam frequentes raptus, & hujusmodi ecstasés, quas suos Contemplativos passos ajunt, rectius, donec contrarium probetur, pro deliriis fanaticis, & illusionibus melancholicis haberi; qui ad Fanatismum certe viam sternunt. Superassent etenim, & superarent hodie ipsos Apostolos, charismate tali extraordinario si qui præditi superioribus seculis fuissent, & adhuc se præditos esse fingunt. Sane quod, quæ de Contemplatione Mystica disputantur, hodie etiam asserti Fanatismi suspectos facere dici queant scriptores, nuperum in Gallia Quietisticum certamen docuit, quo doctissimi Præsules Dn. *Cameracensis*, & Dn. *Meldensis*, Fanatismum sibi invicem circa Mysticorum disciplinæ explicationem objecerunt. Vid. hujus de nov. quæst. tr. 1. qui inscribitur *Myst. in tut. P.I. a. 1. c. 18. p. 29. & P.I. a. 3. c. 1. p. 73.* Recte etiam Illustrissimus *Bossuetus* tr. cit. *P.I. a. 3. c. 1. p. 73.* urget, quod in Contemplatione Mystica, quando *ab amore mixto ad amorem purum fit transitus*, non satis sit *DEI instinctui soli rem permittere*, atque sinere *DEUM* agere: *cum & hic valeat illud: quomodo audient sine predicante?* Et quod illud statuere *Fanatismus* sit. Add. ejusd. *Prefac. sur l'instruct. Pastoral. donné a Cambr. n. 60. p. 68.* quæ habetur in *Divers. écrit. sur le livr. intitul. Explicat. des Maxim. des saints &c.* Quietism. rediviv. sect. 6. c. 5. p. 412. sqq. quo etiam, qui *Fanatici* dici debeant, explicat. In eodem excessu nudarum speculationum, quæ petitiones principii involvunt, etiam *Sandaum* in Theol. Mystic. versari affirmamus; licet formulas, quæ *amatorie* sunt, *pia interpretatione* mitigandas esse, passim contendat: Id quod etiam de aliis recte dicitur, qui altius in hac vita contendere volunt, quam vel promissum est, vel in via hujus vitæ ducit Scripturæ lux, præter quam nulla datur, nisi Fanatismis & Enthusiasmis quis decipi velit. Certe quæ *Paulo Zacchia* in qq. *Medico-Legal. l. 2. tit. 1. de Melancholicis, attonitis, catalepticis, ecstasticis, fanaticis &c.* illorumque illusionibus disputantur, ita comparata sunt, ut respondeant interdū illis, quæ præter Scripturas sæpius de *silentio anima,**

anima,

anima, suspensione mystica, quiete passiva, morte sensuum, & omnium affectuum, ecstasi, justitio rationis &c. Mystices scriptores tradiderunt; Spirituales etiam se sensisse, ad suam provocantes experientiam, testati sunt: Quæ tutius & melius tales, pii etiam, sibi sciunt, si de talibus persuasi sunt, quam aliis persuasum eunt. Conf. quæ ex *Philipp. Raven. Clandestim.* Ultraject. Episcop. de hujusmodi abusibus exhibet *Voët.* de Exercit. Piet. c. 3. p. 88. Licet interim non negemus, fuisse alios aliis moderatioribus scribendo, loquendo, amatoriam DEI contemplationem præ se ferendo, & alia mystica fingendo; de quo plura habet *Autor* literarum *sur les principes & les Caract. des principaux Auteurs Mystiq.* Omnes enim Enthusiastas fuisse, in forma scil. & intentione tales, ego non asseruerim; recte etiam negat *Voët.* l.c. p. 77. q. 20. Pia quippe, & ex scripturis sacris, iisdemque conformes, institutæ de rebus divinis & sacris meditationes, quæ ad fidei exercitia pertinent, unionemque DEI & fidelium Mysticam conservant, sensumque divini amoris & gratiæ in nobis augent, ea cordis fiducia & certitudine, ut dicere possimus: *Scio cui credidi*, 2. Tim. 1. non sunt Enthusiasmus; nec qui talia exercent, commendant, sunt pro Fanaticis habendi. Nec ego *Kempisium, Taulerum*; quicquid sit de nævis illorum, temporis quo vixerunt imputandis; pro Fanaticis & Enthusiastis habuerim; uti nec *Böhmiium, Weigelium*, & alios, liberos à Fanatismo & Platonismo pronunciaverim; *Autor* licet literarum *de scriptoribus mysticis* sæpius productus n. 42. p. 51. *Böhmiium* hunc, si revelationes ipsi factas spectes, omnibus Mysticis præferre non dubitaverit. *Celuy-ci, inquit, est le seul, au moins dont on ait eu les écrits jusqu'à lui, auquel Dieu ait decouvert le fond de la nature, tant des choses spirituelles que des corporelles.* Cui etiam tribuit *une penetration toute centrale des choses Theologiques & surnaturelles.* - Certe, qui *Böhmi* hujus *Hochbeure pfort von Göttlicher Beschaulichkeit* legerit, non inficias ibit, *contemplationem Platonica Fanaticam*, non sine sanctissimi DEI nominis profanatione, ab homine hoc commendari, & ænigmatice ad imitationem *Valentini* declarari.

§. XIV. Cæterum ne *Böhmiium, Hoburgum, Weigelium, Molinosum, Malavallum*; *Sandaum* item, *Franciscum Salesium, Johannem*

nem

nem à Cruce, Harphium, Rusbrochium, Tereſiam &c. imperite nos confundere quis objiciat, quod inter Catholicos & hæreticos nullum agnoſcatur discrimen; diſtinguimus *primo* inter Myſticos ipſos, & illos, è quibus hi egreſſi ſunt. Inter Myſticos referendos eſſe ſcriptores modo dictos affirmamus: Alios interim Romanæ Eccleſiæ addictos fuiſſe; alios è noſtratibus, ex Reformatis etiam, per Enthufiaſmum egreſſos non negamus. *Böhmi-um* enim, *Hoburgium*, *Weigelium*, & ſimiles, cum Myſticos appellamus, illos Pontificios fuiſſe non aſſerimus. Hos concedimus è noſtris egreſſos eſſe, ſicut ulcus ex corpore ſc. 1. Joh. 2, 19. B. *Dannhauv*. Antich. ſ. 1. art. 5. §. 34. p. 157. Sciunt & Reformati ex ſuis, ne de noviffimis *Horchij* deliriis Fanaticis quid dicam, ejuſmodi Pſeudo-Myſticos enarrare, qui ad neſcio quam Deificationem Enthufiaſticam contendentes, talemque cum inſigni hypocriſi charitatis præ ſe ferentes, & urgentes, multis pietatem ſine fide, ex qua unice iſta nalcitur, æſtimantibus impoſuerunt. Conf. *Hoornbeck* ſumm. Controv. l. 6. Myſticis autem accenſendos eſſe qui hujusmodi unionem cum DEO Fanaticam, & Deificationem fingunt, uti *Böhmi-um*, *Weigelium*, & alios facere conſtat, ex Myſticorum Magiſtri *Pſeudo-Dionyſij* Theolog. Myſt. l. doceri poteſt; ad quem etiam, & alios Myſticos, in Romana Eccleſia claros, provocare ſolent, imo & commendare eoſdem. *Libertini hodierni*, inquit *Voëtius* de Exerc. Piet. c. 3. p. 81. *tanti fecerunt Myſticorum quorundam (nominatim Tauleri) libros, ut hinc ab orthodoxis in ſuſpicionem Libertiniſmi vocati ſint. Quin imo monſtroſiffimus omnium Enthufiaſta Henricus Nicolai, non veritus fuit eximium libellum Thomæ à Kempis de imitatione Chriſti, pro libitu mutarum vernacula lingua evulgare.* Add. *Colbergij* *Platonifch Chriſtenthums* P. I. c. 1. §. 16. p. 75. ſq. *Lettr. ſur les princip. & caracteres des princip. Auteurs Myſtiq. & Spir.* cujus Autor Myſticorum ſcriptorum Catalogo non *Taulerum*, *Harphium*, *Johannem de Cruce* tantum, ſed & *Hielem*, *Böhmi-um*, *Weigelium*; non *Thereſiam*, *Catharinam de Siena*, & *de Genua* tantum, ſed & *Antoniam Burignoniam*, noviffimam Fanaticam an. 1680. defunctam, inferit.

§. XV. *Deinde* dicimus, aliud eſſe loqui de *Theologia Myſtica* ipſa, aliud de ejuſdem *abufu & exceſſu*. Ipſam *Theologiam*
C
Myſti-

Myfticam quod attinet, fupra jam diximus, infantem cum for-
dibus non effe ejiciendum; & illam partem doctrinae Theolo-
gicae, quae de exercitiis pietatis & veri Chriftianifmi agit, quic-
quid fit de nomine quo appellatur, res modo fana fit, per fe non
effe pro Fanatica habendam, vel ex Scholis Orthodoxorum
eliminandam, nifi & genuini Chriftianifmi praxin, omnia exer-
citia verae pietatis, curam retinendae *μωνῆς*, & unionis Chrifti, imo
SS. Trinitatis, in nobis gratiofe inhabitantis, Joh. 14, 23. 1. Cor.
6, 19. c. 3, 16. c. 6, 15. 2. Cor. 6, 16. Eph. 3, 17. Studium denique
bonorum Operum, ex Chriftiani hominis vita, qui digne vivere
vult Evangelio Chrifti, profligare velimus. Utile enim, imo &
neceffarium eft, ut, quemadmodum fingulari tractandi ratione
folicite articuli fidei explicantur à Theologis, ut perfpicue & fo-
lide ex fcripturis doceatur, quid credendū, quo audientes Chri-
ftiani contra Indifferentifmum, Neutralifmum, Syncretifmum
& Eclogifmum, quin & Naturalifmum, hodie proh dolor graf-
fiantia monfta muniantur; ita & non minus folicite ex fcriptu-
ris, iisque folis, non incertis aliorum experimentis, (quae fi quis
certo fe habere credit, fibi refervare, nec coram aliis urgere de-
bet) *articuli pietatis*, uti B. D. N. *col. Hufm.* de fundam. diffenf. §. 54.
appellantur, ejufque exercitia, quae fcil. vere talia funt, ex arti-
culis & doctrina fidei, quomodo fc. ex eadem fequantur, recte
etiam institui debeant, exponendi & tradendi funt. Nam non
minus hic, quam ibi bono indigemus doctore. Eximie B. *Dann-*
havver. Hod. p. 19. *Non fibi, inquit, fuisq; mufis canis Theologia, fed*
ultimo rota eft practica & actiuofa, tamenfi quaedam incidant jucunde
contemplabilia, femper tamen ex intentione Spiritus Sancti ad praxin
referenda, δεξις & αἰθερα, 1. Tim. 3. Ex fublimiffimis hinc fidei
articulis Patres olim pie vivendi modū oftenderunt, rationesq;
petierunt, quibus veram pietatem demonftrarent, & ad illam
feftandam Chriftianos impellerent, iisdemq; perfuaderent. Sic
enim virtutes Chriftianas urgere debemus, ut non in fuper ha-
beatur myfteriorum articulorum fidei cognitio. Hoc fi fit, *Prac-*
tica, in *specie* fc. fic dicta, feu *Ascetica* Theologia vere audit *Myfti-*
ca. Specimen vero, qua ratione hoc modo Patres argumenta
ad veram pietatem impellentia derivarint, dedit B. D. *Bebelius* in
Antiq. Ecclef. Sec. III. p. 777. fq. Perinde etiam nobis videtur,
fi. quae

si, quæ ad doctrinam moralem, *παιδείαν, ἐπιτροβήωσιν*, consolationem, fidem, spem & charitatem pertinent, ita docentur, ut statim subjiciantur expositioni dogmaticæ certi capituli, & articuli doctrinæ fidei Christianæ, quod non incommode fit; vel ut articuli fidei Christianæ quoad veritatem & doctrinam peculiariter & seorsim, sub *Theologia dogmatica*, vel alio nomine; praxis autem Christiana, & exercitia pietatis, qua ex mysteriis religionis nostræ, & doctrina articulorum fidei fluunt, itidem separatim extra corpus doctrinæ articulorum fidei, sive sub *Theologia Practica*, in *specie & stricte* sic dictæ, sive sub *Ascetica*, sive *Theologia Mystica* nomine id fiat, cum id non nisi peculiarem tractandi modum, non peculiarem Theologiam inferat. Una est Theologia quidem, Eph. 4, 4. sqq. sed quoad modum tractandi est vel *Exegetica*, quæ in Scripturæ textuum interpretatione versatur: vel *didactica* stricte sic dicta, quæ & *dogmatica* audit, quæ articulos fidei systematice explicat; vel *Ascetica*, quæ & *Mystica* dici potest; licet & *strictius* hanc dici supra jam monuimus. Hæc exercitiis pietatis *πρὸς ἑσθήειαν*, 1. Tim. 4, 6. Christiano homini, qui in unione cum DEO & Christo permanere cupit, necessariis, occupatur, eo modo, quo B. Arndium, B. Gerhardum, & alios nostratium Ascetica scripsisse constat. Ante Lutherum etiam jam qui vixerunt nonnullos Mysticos fuisse, quorum Theologia penitus, ob pias meditationes, improbanda non est, supra notavimus; habetque B. Dannhaverus noster, vir Fanaticis minime bene cupiens, hoc loco Taulerum, & Thomam à Kempis, in Theol. Conc. p. 564. sq. jactanti Besoldo, quantopere affectus fuisset lectione Johannis Tauleri, Joh. Rusbrochi, Henrici Susonis, Thomæ de Kempis, & similium, ita respondens: *Si quid boni succi ex his libellis suxisti, sacris literis, & his consonantibus meditationibus, gemmarum instar intertextis debes.*

§. XVI. Cæterum quod *Theologia didactica* accidit, jam diu ante Lutherum, ut cum ab aliis, tum à Scholasticis, à puritate salutaris doctrinæ secessum fuerit, idque diversimode, ceu nostrates Centuriatores, Chemnitius, Nicol. Hunnius, cui adhuc solidum à Romano-Catholicis debetur responsum, demonstrarunt: Idem fatum fuit *Theologia Mystica*, quæ & ipsa passim à

fua puritate defecit variis *abusibus*, & *excessibus*, quibus facta est obnoxia. Abusus hos jam supra notare incepimus. Admixtus præmature fuit huic disciplinæ, ab ejus autoribus, *Platonismus*, seu ex instituto & data opera, seu per imprudentiam, & ex nimio erga Platonem affectu, quod doctrinæ in scripturis sacris traditæ ejus disciplinam respondere male crederent. Hanc quod sacrorum horum fontium rivum esse non dubitaverant, in eam cæco affectu sic irruerunt, ut mysticorum dogmatum explicationi imprudenter admiscerent, ordine dicendorum, modo item Philosophandi & contemplandi, quem rectius ex *Platonicis* & *Pythagoricis* scriptis, quam libris Prophetarum & Apostolorum ostenderis. De *Dionysio* certe, quem *Arcopagitant* vocant, usq; eo id manifestum est, ceu ostendimus supra, ut nemo rerum peritus id jure negare possit. Uti vero, quod 1. Cor. 5.6. Gal. 5.9. *Paulus* monet: *Μικρὸν ζυμὴ ὅλον τὸ φύρμα ζυμοῖ, parvum fermentum totam massam fermentat*; ita fermentum hoc Platonicum mysticam religionis Christianæ doctrinam usq; eo infecit, atque penetravit, ut hæctenus expurgari non potuerit; sic ut incaute multi Platónico Philosophandi genere delectentur, Platonem licet nunquam legerint, nec ejusdem se sequi lineas, aliisque eandem comendare agnoverint, ita ut ignorantes cæno Platónico inhæreant. Patet id manifeste *Jacobi Böhmij*, futoris Görlicensis, & *Hoburgij* exemplo. *Cælestem animam, fontem animarum omnium esse*, dogma Platonis esse docuit *Apulejus* l. de dogm. Plat. p.m. 54. In qq. Platonicis *Plutarchi* t.2. Opp. f. 1001. expresse ad mentem *Platonis* dicitur, quod *ψυχὴ θεοῦ ἔργον ἐστὶ τὸ θεῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ μέρος, ἐδ' ὑπ' αὐτῆς, ἀλλ' ἀπ' αὐτῆς καὶ ἐξ αὐτῆς γέγονε, anima non opus modo, sed & pars DEI sit, neq; ab ipso facta, sed de ipso, & EX ipso existat*. Ab hac Philosophia non abire, sed cum illa potius consentire videtur *Pseudo-Trismegistus*, cum c. 10. ait: *Ἀπὸ μιᾶς ψυχῆς ἔστι πάντες πᾶσαι αἱ ψυχῆ εἰσιν, ab una unive si anima omnes animæ existunt*. Quomodo? Explicatur c. 12. scil. *per diffusionem quandam, ὡς περὶ ἠπλωμένη, καὶ ἴα περὶ τὸ ἥλιος φῶς, uti solis splendor*. Divinas itaque cum hoc modo anima agnoscat origines, contendendum eidem Platónici & Pythagoræi docent, ut beneficio virtutum purgativarum expurgata rursus cum DEO autore reuniatur, & in eundem refluat, ex quo egressa

egressa

egressa est. De quo ex *Porphyrio* & *Hierocle* supra jam egimus. Addimus hac tantum vice verba *Plutarchi* ex l. 4. de plac. Phil. c. 7. t. 2. opp. f. 909. qui *Pythagoram* & *Platonem* statuisse ait, ἀφ' ἑαυτοῦ ψυχὴν ἐξήδου εἰς τὸ ἔ παρὸς ψυχῶ ἀναχωρεῖν πρὸς τὸ ὁμοῦν, animam interitus expertem exeuntem pervenire in cognatam sibi animam mundi, quæ Platonis DEUS fuit. Similis est *Philosophia Böhmy*, sive *Platonem* legerit; de quo merito dubitatur; sive non legerit. Sic enim in der hochtheuren Pforte von Götlicher Beschaulichkeit / c. 1. Die Vernunft versteht, daß sie ist AUS einem übernatürlichen grund herkommen, und daß ein Gott seyn müsse, der sie habe in ein leben und vollen gebracht &c. Nonnullis vero interjectis sic pergit: Die Vernunft tritt noch mehr in ihrem Unrecht leiden in eine hoffnung, daß sie dasjenige, vvas sie hat geschaffen, werde von dem leiden IN SICH einnehmen &c. Satis vero perspicue paulo post addit: In diesem versteht man recht &c. vwie das vernunft leben, als das natürliche leben, sich vvider in das einzuvwenden dar aus es ist gegangen &c. Rectius dicitur, Platonicos & Platonizantes sic loqui, quam viros Θεωπυλάκας.

§. XVII. Idem de *Christiano Hoburgio* doceri potest. *Dionysium Areopagitam*, provocet licet ad eundem, *Platonem* etiam, *Platonicosq;* atq; *Pythagoræos*, quorum scripta & fragmenta hodie supersunt, num legerit, suo loco relinquo. Id certum est, doceri posse facile, passim eundem in sua Theologia Mystica cum dictis Platonis potius, quam cum scripturis loqui. V. C. quando in Theol. Myst. P. I. c. 4. temperantiam, tanquam virtutem purgativam, & auxilium in via purgativa necessarium commendat, p. 38. sic loquitur: Sinten ahl vvo dieser invvendige geist mit überflüssiger speis und tranck überschüttet vvirtd, es gleich ist, als vven man einem Vogel die flügel beschneidet, daß er sich nicht erheben noch auffliegen kan. Ja eben also vverden dem Geist die flügel der ELEVATION und erhebung zu Gott durch solchen überfluß bebnitten, dß er nicht kan vwie ein adler auffliegen. Rem ipsam hic, & quod de Intemperantia docetur, ne quis cavilletur, non improbo; quum à vitio hoc & ipse *Christus* Luc. 21. dehortetur. Simile etiam, quo *Autor* utitur, per se non rejicio. Et sicut ex *Cicerone*, *Epicteto*, *Seneca* vel Poëta aliquo Græco, aut Latino, in scripto aliquo Theologico Practico, vel etiam Concionibus ali-

quid produci, à me non rejicitur, sobrie modo fiat; ita non video, quid impediatur, quo minus ex *Platone* quoque, in quo non parum eximie dicta, ad mores & vitæ praxin pertinentia, occurrunt, sententia, loco testimonii ab externis desumpti ad impios Christianos in ruborem dandos, petatur. Id interim certum manet, ex *Platone* & *Platonico* rivis formulas has Hoburgianas manare. Quod *alari* fieri debeamus, supra §. 12. ex *Hierocle* audivimus, cujus disciplinæ *Hoburgij* doctrina attemperatur. Frequens etiam de *als anima*, ejusdemque *πλερωματι*, *alatione*, atque *elevatione*, sermo est *Platoni* in Phædr. f. 344. sq. ut *Platonem* hic potius imitari, quam *Apostolum*, *Hoburgium* recte dici possit. Pythagoræorum dogma etiam esse, ipse *Hierocles* monuit Com. in Aur. Pythag. p. 291. sæpius explicans, cur *ala* vocentur *virtutes* p. 256. 259. 264. Et quis non Platonizantem eundem agnoscat, quando in Theol. Myst. P. 1. c. 7. p. 95. ita loquentem audiverit: *Gott ist das leben unser seelen, da deine seele von ewigkeit hero (per ideam) gebildet, in der zeit deiner schaffung aber heraus geflossen, und zu dem SIE vviderkehren, und als in ihren einigen ursprung vvieder einstießen (revertere anima in requiem tuam Pf. 116.) und in ihm einig und ewig allein ruhen mus: vvo ihr anders ewig vvol seyn soll.* Platonis dogmata illum ignorare necesse est, qui hæc Platonica & Pythagorica esse nesciverit, vel negaverit. Christiana doctrina à Platonismo repurgata, non sic loquitur, sed cum scripturis. Non minus in aliis Mysticis iteratur mentio *Ascensus*, & *elevationis* ad contemplationem, idque secundum disciplinam *Dionysii*, quem sic vocant, in l. de Theol. Myst. de cujus Platonismo supra egimus. Quem etiam *Hersentius* in appar. p. 33. confitetur.

§. XIX. Triplex illa Theologiæ Mysticæ via, *purgativa*, *illuminativa* & *unitiva*, prout à Mysticis quidem explicatur, etiam satis lubrica est. De ea omnes fere *spiritualium rerum Magistros agere*, autor est *Sandæus* Clav. Theol. Myst. p. 360. cui add. *Letar.* supra cit. *touchant des Auteurs Mystiques.* In dissertat. 3. de nov. homin. induit. §. 12. trivium quidem hoc in *Hug. de Palma* jam examinavimus. Hoc recte, & secundum scripturas, lucem viæ cœlestis, plene explicatum & intellectum, etiam non negabunt illi, qui inter gratiam Spiritus Sancti regeneratricem, sanctifi-

ctifi-

ctificatricem, illuminatricem, & unitivam distinguere norunt; comūior tamen interim, quæ hic datur, Mysticorum disciplina, quamcunque etiam fragrantiam & pietatem spirare videatur, à nobis probari non potest. Mysticam enim hanc quod atinet Hodosophiam, quod primæ ejus lineæ ductæ fuerint ex mente, & ad instituta, mentemque Platoniorum & Pythagoræorum potius, quam Apostolorum & sanctorum DEI virorum, licet etiam in scripturis mentio *purgationis, illuminationis & unionis* fiat, cum res ipsa docet, tum istorum temporum historia comprobatur, quibus Theologia Mystica distinctiori disciplina tradi, & adolere incepit. Loquatur scriptura de *cordium* nostrorum *purgatione*, Act. 15, 9. Ebr. 9, 15. 1. Pet. 1, 19. 1. Joh. 1, 7. Apoc. 1, 5. Velit, *surgamus, ut illuminemur*. Jes. 60, 1. add. Luc. 2, 32. Joh. 1, 9. Eph. 1, 18. c. 5, 8. 14. 2. Pet. 1, 19. Pl. 19, 9. Doceat denique, quæ sit ratio *unionis* nostræ cum DEO & Christo, Joh. 14, 23. 1. Joh. 3, 24. Eph. 3, 17. Joh. 6, 56. 1. Cor. 6, 19. 2. Cor. 6, 16. Non hujus, ceu sapientiæ vialis ductu, scripta est hæc Hodosophia à Mysticis, quos vulgo sic vocant, prout à nostratibus eadem fuit explicata; id quod merito & per se improbamus. Ratio ordinis enim & modi tractandi secundum se considerata, si quis distinctioris disciplinæ gratia ea uti voluerit, æque orthodoxæ, atque heterodoxæ, & Platonice doctrinæ applicari potest. Satis vero manifestum est, id egisse Mysticos, ut in suis viis, quibus animas devotas ad perfectam charitatem, & supremam hujus vitæ beatitudinem tendere docent, explicandis, Pythagoræorum & Platoniorum commenta potius, & lineas, quam D. Pauli doctrinam & placita usurparent. Certum id est ad Mysticorum mentem, vias has tres niti distinctione virtutum in *καθαρτικὰς, purgativas, τὰς πρὸς τὸ νῦν, intellectuales, & ὑποδειγματικὰς, exemplares*, de qua ex instituto *Porphyrius* P. II. sent. c. 34. p. 235. sqq. quas à virtutibus Politici, quæ in *μελετιοπαθειᾶ* consistunt, & ab *Aristotele* explicantur, distinguens, dicit esse *τὴ πρὸς Θεωρίαν ἀνιόντι*, *ad contemplationem tendentis*. Hunc vero & Mystica Theologia informare molitur, facitque id eodem modo, iisdem viis, ad Christianismum licet applicatis, juxta hypotheses quoque domesticas, in scholis Evangelicorum non probatas, quibus *Porphyrius* con-

templan-

templantem incedere jussit, quo *anima ad τὸ ὄντως ὄν, verum ens*, h.e. DEUM, *se elevare possit.*

§. XIX. In *via purgativa*, quæ secundum *Hugonem de Palma* in Theol. Myst. p. 5. sq. est *incipientium*, intenditur, eodem auctore, *hominis naturalis NB. perfectio* quoad *sensus*, *carnis* item *mortificatio*. Verbo: *Naturæ corruptæ reformatio*. Conf. *Philipp. à Trinit.* in Theol. Myst. καὶ ἰατρῆς, *purgationes Porphyrii*, ceu supra §. 12. vidimus, similiter in *abstinentia ab actionibus quæ corporis ministerio fiunt*, & *ab affectionibus erga corpus spectantur*. Finis est, uti mox *Bataneotes* loquitur p. m. 236. 238. ἀπαθεία, *carentia & vacuitas affectuum*; quæ est illa *perfectio*, de qua modo *Hugon. de Palma* audivimus. Non dissimiliter ad *Pythagoræorum Carm.* & ex illis de *Purgationibus* philosophatur *Hierocles* p. 291. sqq. Insuper hoc etiam non negligendum, urgere *Porphyrium* in *via purgativa τὸ γινῶναι ἑαυτὸν, cognitionem sui*, ceu *ἑρμέλιον καὶ ὑποβάθραν, τὴν καὶ ἰατρῆσιν* scil. *ψυχῆς ὄντος ἐν ἀποθείῳ πρᾶγματι καὶ ἐπερυσίῳ σπυδαδεμένην, fundamentum & basin purgationis, animam esse in re aliena, & substantiæ prorsus diversæ devinctam*. Hac mente etiam *Mysticus Fanaticus Weigelius* l. qui γινῶναι σεαυτὸν inscribitur, quo ad *Fanaticam purgationem*, quam ita inculcatum, suæ disciplinæ alumnos, & suis sacris initiandos informat, fundamenti & baseos loco ponit. l. 1. c. 1. p. 8. & c. 3. quod homo ex *tribus partibus, corpore, anima & spiritu constet*. Urget hanc *cognitionem sui ipsius*, ceu *ἀναγκασίαν πρὸς τὴν κακῶν λύσιν, necessariam ad malorum liberationem*, h.e. ad *purgationem*, *Hierocl.* ex *Pythagor.* disciplina *Com. in Carm. Pythag.* p. m. 277. quæ eidem etiam *ἑπιστροφὴ εἰς ἑαυτὸς, conversio ad se* dicitur, quam *sequi statuit καὶ τὴν ὑποπαγίω τῶν κακῶν, καὶ τὴν ἐκφανσιν τῶν πρὸς ἑδαιμονίαν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ προσηγοριῶν, & malorum liberationem, & eorum ostensionem quæ ad felicitatem à DEO porriguntur*. Quibus verbis præter *viam purgativam*, etiam *illuminativa* insinuatur. Eadem incedere etiam *Porphyrius* jubet, & cum *via purgativa* conjungit *P. II. sent. §. 34. p. 237. illuminativam, ἀρετὴ, inquit, virtus, anima scil. purgata καὶ τὴν ἑπιστροφὴν αὐτῆς πρὸς τὴν γνῶσιν, καὶ εἰδήσιν τοῦ ὄντος, post conversionem consistit in cognitione atq. scientiâ veri entis*. Ad *viam hanc* pertinere idem contendit *virtutes νοερώς τῆς ψυχῆς ἐνεργείας, anima intellectualiter operantis, τοῖς πρὸς τὸ νῦν*

τ̄ ν̄ν, intellectuales, l.c. Placet & hæc via Mysticis, quam prio-
 rem necessario excipere, & *Proficientium* esse contendunt. In-
 tendere eandem, ait *Hugo de Palma Theol. Myst. perfectionem ra-*
tionis, comparandam contemplatione veritatis: Ita ut quemadmo-
 dum *via purgativa* morum emendatione, & vitiorum expurga-
 tione absolvitur; sic *via illuminativa* in contemplatione rerum
 divinarum, & sanctissimorum sensuum cognitione consistat,
 p. 37. *Tertia* quæ dicitur via, audit *Unitiva*, eademque Contem-
 plativos incedentes DEO uniri, & in illum transformari, modo
 qui sane in vitam hanc non cadit, notat. Miris hic utuntur
ακυρολογίας complures, quas ipsorum etiam fidei consanguinei
 improbant, ceu supra jam est explicatum. Sane hinc suis con-
 templationibus in caligine, quam se ingressos dixerunt Mystici,
 dediti plus justo, & silentium animæ in altissima contemplatio-
 ne absorptæ, quietemque fictam, qua perfrui volunt animam
 silentem, & DEO unitam, præ se ferentes, verbo scripturæ desti-
 tuti in *Quietismum* inciderunt. Post *Sandæi Theol. Mystic. &*
Harphy Theol. Myst. l. 3. P. III. c. 18. f. 218. conf. Trait. histori-
que sur la Theol. Myst. art. 1. sqq. p. 16. Etiam *viam* quandam *uniti-*
vam l.c. p. 237. tradidit *Porphyrius, δει,* inquit, *καθηραμύλω*
(ψυχῶ) σωεῖναι τῷ ἁγιώτῳ, purgatam animam oportet cum auctore
suo conjungi; & ad eandem simul refert virtutes mentis ὁμοει-
μαλικὰς, exemplares; quas mentis, ν̄ κατὸ ν̄ς, ἢ ἀπὸ ψυχῆς καὶ θαρῶς,
qua mens & ab anima consortio pura, vocat sent. c. 34. init. Consi-
 deretur denique *Mystica Porphyriana* l.c. quæ p. 238. ita habet
 de triplici via, & virtutibus ad singulas vias pertinentibus: Ὁ
 ἐνεργῶν ἢ τὰς ἀρετὰς καθαρικὰς, δαιμόνιου ἀνθρώπου, ἢ ἢ δαίμων
 ἀγαθὸς ὃ ἢ ἢ μόνος τὰς πρὸς τ̄ ν̄ν, Θεός. ὃ ἢ ἢ τὰς ὁμοειμαλικὰς,
 θεῶν πατρὸς, qui operatur secundum purgativas, homo dæmonius, sive ge-
 nium bonus. Qui vero secundum solas intellectuales, DEUS. At qui se-
 cundum exemplares, Deorum pater; & in *Mystica Christianorum*
 Platonizante lineas sive Pythagoricas, sive Platonicas, manifeste
 id faciens deprehendet. Sane quæ *Henricus Harphius, Theol. Myst.*
l. 1. c. 23. de quatuor gradibus virtutum habet, aperte & fideliter
 ex *Porphyro* l.c. desumpta, & ad *Theologiam Mysticam* sic appli-
 cata sunt, ut *Batanaotis* disciplinam manifeste *Gregorij & Augustini*
 D doctri-

doctrinâ temperatam videre liceat. Nec diffitetur id ipse *Harphius*. In c. enim sq. 24. comendaturus hæc virtutum genera, ceu ornamenta pretiosa, ad *Plotinum*, imitatore[m] *Platonis* provocat, eademque verbis *Plotini* it explicatum; ita ut dubium plane non sit, præstantissimos etiam Mysticos Platonismum Pythagorizantem miscuisse cum Christianismo, sic ut, si istas tres vias ex Platonis Philosophis non petierint, sed ex scripturis, ut alii ajunt, ex Philosophia tamen Platonica & Pythagorica easdem explicarint, & in illis explicandis ad eandem respexerint, nonnulli etiam Platonizaverint imprudenter, licet de Platoniorum & Pythagoræorum disciplina nil audiverint, nec eandem sequi unquam in animo habuerint. Accedit, quod cum Mystici communiter sequantur *Dionysium Areopagitam*, uti credunt, Platonicum Philosophum, & Platonizantem Theologum, hoc ipso quoque in sua Theologia Mystica tradenda in Platonismi, à Gentilismo non satis purgati, communionem interdum incauti venerint, & cum Pythagoræis & Platonis potius, quam cum D. Paulo loqui maluerint, Christianamque doctrinam comiscantes, talia etiam jactarint, quæ sunt ultra hujus vitæ statum. Vid. etiam *Piccolom. Phil. de mor. gr. 4. c. 19. sq. Deificatio* certe, ut alia capita transmittam, sæpe numero sic explicatur, & viæ ad eandem, ut manifestius vestigia Platonis & Platoniorum, quam D. Pauli, deprehendere liceat. Ne de *Böhmio, Weigelio, Hoburgio*, & aliis Mysticis Fanaticis quid dicam.

§. XX. Triplex præterea ista Mysticorum via; (*Sixtus Bergomensis* in *Via Mont. ad cæl. quinquaginta vias ad cælum ducentes*, commendat;) præterquam quod strata sit virtutibus ad disciplinam Platoniam potius, quam Theologiam Christianam Asceticam ex scripturis docendam, & meliorem Philosophiam moralem explicatis, quamcunque etiam sanctitatis & pietatis speciem præ se ferant; etiam aliunde lubrica est, nec ad DEUM recta via ducit. Genuina Hodosophia docetur à Christo, Hodogeta sapientissimo, Joh. 14, 6. *Εγώ εἰμι ἡ ὁδὸς, καὶ ἡ ἀλήθεια, καὶ ἡ ζωὴ, καὶ οὐδεὶς ἔρχεται πρὸς τὸν πατέρα, εἰ δὲ ἐμὲ, ego sum via, & veritas & vita, nemo venit ad patrem, nisi per me.* Via unica, vera & viva, prodromus, Dux, & terminus est JESUS CHRISTUS. Via etiam, qua ad DEUM & unionem cum DEO tendimus, Evangelica est. Et
tunc

tunc recte pro via Christum habemus, & in vera via ad unionem cum DEO ambulamus, cum Christum amplectimur tali fide, quod ipsius solius merito justificemur, & salvemur, omnibusque bonis cœlestibus fruamur. Conf. *Brent.* Com. h. l. f. 706. sq. Triplex ista Mysticorum via, quantamcunque etiam sanctimonix & bonorum Operum speciem monstrare videatur, ad legem potius pertinet, & legalis est, & in exercitio operum consistit. Summus similiter, atque purissimus, qui cogitari potest; amor Contemplativorum legalis est, Luc. 10, 26. sq. & operis rationem habet. Lex autem uti non ducit ad justitiam coram DEO, ita nec ad unionem mysticam cum DEO, quæ justificationem sequitur. Fide itaque uti DEO unimur, quæ in intellectu & voluntate datur, ita ejus effectus, dilectionis autem consequens, ista unio dici potest. Joh. 14, 23. Idem præterea trivium animæ orthodoxe explicatum, describit officium ejus, qui cum DEO unitus est, & in gratiosa hujusmodi unione permanere desiderat, minime vero causam, & medium ejusdem. Debemus *in novitate vite ambulare*, Rom. 6. quod viam purgativam & illuminativam, ex scripturis monstrandam, non quibuscunque Mysticorum explicationibus docendam, complecti non negamus. Sed hoc ad officium hominis, & descriptionem subjecti arctius in dies per fidem cum DEO unien- di, pertinet, & ad unionem istam per peccata non amittendam; cum *iniquitates nostræ dividant inter nos, & DEUM nostrum.* Es. 59, 2. Loquuntur Mystici ex Romano-Catholicis de fide quidem, sed non nisi generali, quæ solo assensu absolvitur, & charitate formatur; non vero speciali, quæ est fiducialis meriti Christi apprehensio. Audi *Harpesium* in Theol. Myst. l. 1. c. 86. f. 110. qui enarrans *tres fidei actus interiores*, nimirum, *credere DEUM; credere DEO; & credere in DEUM* Hunc dicit esse, *per charitatem tendere in DEUM.* Sequitur hinc, Theologiam Mysticam hanc, & quæ huic similis, quantamcunque sanctitatis & pietatis speciem præ se ferat, quoad ipsum fundamentum genuinæ *Ascetices* à nostra differre. Charitatem enim & amorem summum pro effectu fidei, non pro forma habemus. Gal. 6.

§. XXI. Cæterum cum præter pietatem, quam præ se ferunt Mystici, varia etiam jactare, & ad sua insuper *experimenta*

provocare soleant, quid de his habendum, etiam disquirendum. Supra hac de re jam aliquid in §. 13. dictum. Certe cum illa magna ex parte divinis promissionibus destituantur, nec sanctorum exemplis ex scriptura sacra probari possint, in qua de ejusmodi contemplatione, & talibus, quæ illi accidere finguntur, nihil legitur, nemo prudentioribus vitio vertet, si spiritus quales sint, majori sollicitudine probamus, 1. Joh. 4, 1. Sane qui de justificatione hominis coram DEO, non recte docent; nec fiduciali apprehensione Christi cum hoc animæ nostræ Sponso uniuntur, audiendi non sunt, quantamcunque etiam pietatis speciem de se spargant, & quicquid de commercio cum DEO, ejusque sensu & dulcedine fingant. *Contemplatio* definitur ab *Autore* l. qui inscribitur: *Le Christianisme. Eclairci* p. 205. quod sit *une elevation qui exclue TOUÏ l'embarras des sens.* Est hæc ipsissima *oratio quietis, aut unionis,* uti loquuntur. Disputat hac de elevatione etiam *Francisc. Suarez.* t. 2. l. 2. de Orat. Ment. c. 14. *negatq; quidem implicare contradictionem, elevari mentem hominis in hac vita ad hoc contemplationis genus, quod intelligit le contempletur sine ullius sensus cooperatione.* Bene vero sentit *Suarez,* certo non constare, an hic *modus intellectualiter cognoscendi alius communicatus sit.* Id vero in hac quæstione, quando *Myistici* de *Contemplatione* tam proluxa verba faciunt, uti *Sandaum* in *Theol. Mystic.* l. 1. à pag. 54. ad l. 2. p. 280. fecisse constat, *satis nobis non est, quod id non repugnare scribat.* Sic enim id, quod inter præcipua sui status jactant *Myistici,* in dubio relinquitur; prout etiam relinqui debet. Quid olim DEUS, quod attinet ecstases, fecerit, legi potest *Act. 10, 10. sqq. Act. 11, 5. Act. 22, 17. 2. Cor. 12, 2. 4.* An idem hodie facere velit, certius negatur, imo tutius, quam affirmatur; tantum abest, ut cuilibet jactanti credamus. Nec statim pia & attenta devotio, cordisque & virium animæ beneficio Spiritus Sancti ad DEUM facta elevatio, quam piis & devotis, Deumque ex fide diligentibus non denegamus, pro vera ecstasi haberi debet. Avocentur enim sensus ad intra, non tamen ita ligantur, quominus se ad extra exserant, certe exerere nitantur, & per varia objecta externa etiam turbentur tam externi, quam interni. Neminem etiam latet, quid vehementia affectus in sensuum exter-

norum

norum suspensione facere possit. Unde cum, ut *Thomas* loquitur in 2.2. q. 175. art. 2. *Resp. ex hoc, quod appetitus vehementer ad aliquid afficitur, potest contingere, ut ex violentia affectus homo ab omnibus aliis alienetur.* Fieri ut id potest viribus naturæ in appetitu vehementiori circa objectum aliquod naturale, vehementer afficiens; ita dubium non est, quin hominis renati, & Spiritus Sancti inhabitantis gratia instructi, cum ejus motibus actualibus impulsivi, Rom. 8. Gal. 4. tum hujus viribus adjuti. Cor. 3, 5. appetitus intellectivus sic in divina ferri possit, ut in sensibus externis aliquid suspensionis exoriat. Probamus id ratione *Suarezij* l. c. c. 15. n. 12. quia cum hujusmodi anima virtus est finita, hinc absorpta vehementer in superioribus ac inferioribus actionibus, non potest simul ad inferiores & externas descendere. Et hoc modo Mysticorum & Mysticarum, v. c. *Theresia.* aliorumque contemplationes, ecstases & facultatum suspensiones, suo loco in præsentem relinquimus. Frequenter enim, licet inæqualiter, talia contingunt. Piis etiam ac devotis animabus, fide Salvatorem suum ardentissime amplexis, contingere non absimilia, non dubitamus. At *miracula non esse multiplicanda sine necessitate,* ipse *Soavius* monet. Naturaliter etiam quid possit fieri nimia vehementiorique facultatum superiorum intensione ad contemplationem, patet exemplo *Hesychastarum,* sive *Umbilicantimorum,* de quibus ex *Simeonis Xerocerei Monasterij Abbatis* opere de Sobriet. & attent. egit *Leo Allat.* de Eccles. Occid. & Orient. Conf. l. 2. c. 17. p. 830. *Quackerorum,* de quibus in mea Colluv. Quack. p. 18. *Quietistarum,* memorante *Caracciolo* ArchiEpisc. Neapol. in lit. ad Innoc. XI. Pontif. d. 30. Januar. 1682. Vid. *Act. de la Condemn. des Quiet.* Melancholicum denique temperamentum; quo sane complures horum hominum præditos fuisse notum est, ceu de *Foxo,* etiam *Quackerorum* autore constat; quod ad hujusmodi suspensiones facultatum disponere possit, supra jam dictum est. Accedente itaque, in sexu præprimis fœmineo, malo huic facultatum intensione in certum objectum, nemini non constat, quales inde sequi possint, secutique sint effectus. Elementaris sane ille calor præternaturalis, quem cum amore mystico conjunctum nonnulli retulerunt scriptores, ea, quæ hæcenus dixi, non parum confirmat. De *Catharina*

de

de Genua sane autor est *Johannes Faboda* in alloc. sac. p. 308. quod cor ejus sic caluerit, ut vix manu contingi valeret. Similia de aliis referuntur. Dicta tamen hæc nolumus contra Pietatis exercitia, & quod in DE O, tanquam summo bono, & centro cordis nostri, unice quiescere debeamus, dicentes quotidie ex Ps. 73. *Domine, qui mihi præter te*, ita ut dormientes etiam fide Salvatorem, ceu animæ nostrum sponsum unicum, ardentissime per totam vitam complectamur. Minime enim probamus illam disciplinam, quæ docet, sufficere si *DEUM actu elicit* diligamus in sine vita; quam *Vasquezij* esse, & aliorum, docet *Escobar* Theol. Moral. t. I. Ex. 2. c. 4. n. 21. p. m. 63. Conf. *Montalt.* lettr. Provin. X. p. m. 144. & quæ *Wendrockius* prolixè disputavit hoc nomine contra *Sirmondum*, in not. ad *Montalt.* p. 271. sqq. De *Quietistarum* doctrina quoad amorem Christi, vid. *Dn. Bosquet.* Episc. Meld. de Nov. q. tract. I. P. I. c. 3. p. 76.

§. XXII. Atqui, inquit, ad sua hic *experimenta* provocare solent *contemplativi*, atque *Spirituales*. Sic enim ex *Martino Del Rio* disquis. Mag. autor est *Francisc. Suar.* l. c. c. 19. *experientiæ constare, pati spirituales viros hujusmodi ecstasim invitos. Sæpe enim DEUM precari vehementer ne hujusmodi raptum pati sinat, præsertim coram aliis, & non obtinere, sed invitos supra se elevari.* De ipso *Augustino* & *Hieronymo* refert *Sandaus* in Theol. Var. ad I, Thom. l. 3. Com. 40. sq. p. 740. 743. quod de se testati fuerint, provocantes ad experientiam, quod ad *essentiæ divinæ visionem* fuissent elevati. Verum illa testimonia quibus hoc it *Sandaus* probatum, tanti non sunt, ut nos movere queant, ceu partim male intellecta, partim suppositicia, uti haud obscure id *Sandaus* fateatur. *Hoburgius* in sua Theol. Myst. sæpissime ad propriam provocat experientiam, v. c. P. I. c. 2. p. 9. sqq. c. 5. §. 10. p. 57. & sæpius. In nupero certamine *Quietistico Illustriss. Archiepisc. Cameracens.* etiam provocavit ad *experientiam Sanctorum* in hac materia Mystica, in Instr. Pastoral. p. m. 35. Verum enim vero hujusmodi *experientia* (æ) *est insufficientis.* Nam non datur quoad omnia, nec ubique, nec semper. De puro v. c. amore, quo contemplatio constat, & qui ecstasim facere dicitur, sive alienationem à sensibus, cum disputant Mystici, disquiritur: An, & quid hic præstet operatio intellectus? negantque id constare expe-

expe-

experientia, *Sandaus* Theol. Myst. p. 528. quæ tamen, si hic da-
 retur, rem obscuram non parum illustraret. (6) Eadem est *in-*
certa & fallax, ceu illusionibus obnoxia. Nec alienæ expe-
 rientia statim vir prudens fidem habuerit; nisi, qualis illa sit,
 & unde orta, constet. *Secundum legem & testimonium* judican-
 dum, Ef. 8. non secundum illa, quæ alii jactant. *Meldensis* fa-
 ne *Episcopus* parum motus fuit illa *Cameracensis* Præfulis obje-
 ctione, idque merito. Unde in Prefac. sur l'Instruct. pastoral.
 don. à Cambr. p. 27. *denier*, inquit, *refuge de l'auteur*: (Came-
 racens.) *l'illusion des experiences: il en faut juger par la regle de la*
foy. Hujus principiis si sunt oppositæ, *ces experiences sont*
fausses, elles sont contraires a la regle de la foy: il n'est pas vray,
que les saints attestent qu'ils les ont senties. Imo ni aliunde de
 illis melius constet, pro petitione principii haberi possunt.
 Precatur quidem Paulus Philippensibus suis I, 9. *ἵνα ἴσθῃτε*
ἐν παντί καὶ ἅσπασαί τε αὐτὸν, abundare in cognitione & omni sen-
su, ut non simus destituti etiam cognitione experimentali,
 sed *gustemus etiam, quod bonus sit Jehova*, Pl. 34, 9. Ast nec
 ultra, nec præter, nec contra scripturam sacram. Sublimio-
 ra, extraordinaria item, nec divinitus promissa si jactantur,
 movere ea neminem debent, donec de divinitate talium cer-
 to constet. Conf. Matth. 24, 24. 2. Cor. 11, 13. sq. Gal. 1, 7. sq.
 Eph. 2, 20. 1. Joh. 4, 1. Apoc. 22, 18. Sint etiam talia divinæ
 irradiationis extraordinariæ radii, uti divinam bonitatem in
 arctum redigere nolumus, tales licet minime statuamus, vel
 sperandos, & expectandos ulli hominum esse censeamus; *ela-*
tive tamen, in ordine ad alios, & aliis aliquid probandi vim non
 habent. Ad legem & ad testimonium vocamur, Jef. 8. Pl. 119.

§. XXIII. Ab his & similibus abusibus, quos supra jam
 tetigimus, repurganda est *Theologia Mystica*, quam secundum
 DEI verbum repurgatam non rejicimus, nisi ipsam *Theologiam*
Asceticam rejicere velimus. Explicentur viæ vitæ Christianæ
 secundum doctrinam Evangelii, orthodoxe ex scripturis tradi-
 ti; asseratur fidei, fiduciali Salvatoris apprehensione in ejus
 merito recumbentis, efficacia per charitatem, Gal. 5, 6. Ma-
 neatur in statu hujus vitæ; nec affectentur, vel jactentur, quæ
 ad statum Patriæ pertinent. Platonismus non dominetur;

E

sed

sed si, quæ à Platonis dicta sunt, accommodari posse videantur, sobrie id fiat. Ancilla & hic etiam Philosophia Platonica, ubi sana, esse debet. Devitetur Enthusiasmus. Cesset hic κεννοφωνία & κεννοφωνία; retineaturque etiam in loquendo scripturæ simplicitas, quæ in necessariis hic non deficit, & ὑποτύπωσις τῶν ὑγιαίνόντων λόγων, 2. Tim. 1, 13. Absit etiam superbia & majoris pietatis persuasio, cum pios humilitas potius deceat.

§. XXIV. Coronidis loco distinguimus Mysticos reliquos in diversas classes. Nam I. qui ante Lutherum vixerunt in claustris, quod varie modum excefferint, variisque abusibus Theologiam Mysticam corruperint, ex dictis constat; à suis sæpe non magni æstimati. Horum tot, & tam frequentes raptus jactatos, ecstases, visiones item & revelationes; formam item verborum male sanorum, Platonismum etiam interdum potius, quam genuinum Christianismum spirantium; de qua B. Thomassius Schediasm. p. 54. Autor I. Trait. Historiq. sur la Theol. Myst. p. 12. 80. sqq. Conf. etiam Voët. Ascet. p. 55. 58. 68. 76. merito improbamus. Alii licet aliis sint puriores, minusq; jactabundi.

§. XXV. II. Plus aliis excedunt QUIETISTÆ. Speciem quandam Theologiæ Mysticæ horum disciplinam constituere, neminem negaturum arbitror; cum in ea omnes partes Theologiæ hujus appareant. Ulterius tamen eandem pergere, & ad sublimiorem adhuc quandam contemplationem grassari, ita ut in isto statu constituti Fanatici hujusmodi, nescio quo speculativo amore, scripturis incognito, & fidem justificam, memoriam etiam, amoremque Jesu Christi, qui perpetuus & ardentissimus esse debet, 1. Cor. 16, 22. exuente, suffocante, imo extinguente, ebrii, Christum animæ Sponsum omittant, imo negligant, nec suo amore ulterius dignum judicent: Se invicem enim talia per se sequuntur. Verba Autoris du Moyencourt celebrioris Quietistæ, in Exposit. Cantic. quam ceu excellentem commendat Auteur Literarum sur les Princip. & les Caract. des princip. Auteurs Mystiq. §. 79. p. 93. ita habent: L'on peut icy résoudre la difficulté de quelques personnes spirituelles, qui ne veulent pas que l'ame étant arrivée en Dieu parle de Jesu Christ, & de ses états intérieurs, disant que pour une NB. telle ame cet état est passé. Add. Prop. ab Innoc. XI. damn. n. 34. Quicquid sit, quod nonnulli

nulli asserere ausi fuerint, favere debere Quietistis Protestantes, quod isti Romano-Catholicorum cultum externum petere, & evertere videantur; prodigiosum hoc dogma, quod ipsum fundamentum fidei, & animam praxeos Christianæ directe petit, pios Protestantes, & qui JESUM amant, potius ad Quietistas, ceu male sanos Fanaticos impugnandos, & corrigendos, impellere debet. In periculosum hunc speculationum, & alibi jam à nobis etiam examinatum excessum, invectus est *Illustriss. Meldens. Episc. Jacob Bossuet* in *Instruct. sur les états d'Orail.* l. 2. c. 2. & sq. p. 38. in *Tract. de nov. quæst. I. P. I. c. 3. & 5.* Cumque *Illustrissimus ArchiEp. Cameracensis*, vir subtilissimus, Quietismum hunc mitigatum iret in *Explicat. des Maxim. des Saints sur la vie inter.* jure à *Meldensi* ei fuit contradicendum. Non enim quaritur, nec videndum, an in Contemplando conceptus sic formare & ordinare de facto, & artificiose possimus, ut perfectis animabus Christus subtrahatur; sed an sic formari debeant? id quod pernegamus. Alius *Quietistica* Theologiæ excessus est, quando suis *Spiritualibus* ejusmodi *Αντιθεται* tribuunt, quam in hanc vitam cadere posse, nec nos concedimus; nec cordatiores ex Romano-Catholicis concedent. Sic enim ipse *Molinos* in *Manud. Spir.* l. 3. c. 2. §. 7. *in via*, inquit, *interiori ita stabilitur virtus, adhesiones eradicantur, destruantur imperfectiones.* Certe si Propositiones condemnatae ab Innocent. XI. & *Molino* imputatae, recte sunt relatae, non abs re *Dn. Bossuetus*, *Meldens. Episc.* in *Instruct. sur les états &c.* l. 10. c. 1. p. 372. sqq. conformitatem *Begardorum & Quietistarum* instituit. De quo prolixius agere hujus loci jam non est.

§. XXVI. III. Species *Theologiae Mysticae* excessu peccantis, & hoc respectu *Mateologie*, est Fanaticorum, *Böhmij & Böhmistarum*, *Weigely*, & ipsius alleclarum; *Hoburgij*, qui tandem Menistarum concionator factus, in horum communione Domino suo cecidit, memorante *Goisfr. Arnoldo* in *Hæresiol.* P. III. c. 13. n. 18. f. 129. *Horchij* etiam, atque fratrum *Societatis Philadelphicae*; *Quackerorum* item, & similium *Pietastrorum*; *Anzinetta Burignonia*, & aliorum. Quanquam enim insignem præ se hirtulerint, ferantque sanctitatem, vitæ & morum, quin & dictorum in scriptis suis; ista tamen species fallax est, dijudicanda ex,

& secundum doctrinam fidei. Quæ enim *pia* dicta videri possint, qualia multa in Fanaticorum scriptis occurrere non nego, non statim sunt *pie*, ex vera fide scil. dicta, ita ut autorem à Fanatismo absolvere possint; præprimis si contra interdictum Pauli 2. Tim. 1, 13. ab ὑποτυπώσι τῶν ὑγιαίνοντων λόγων abeunt, κακνοφωνίαν & κενοφωνίαν itidem Apostolo prohibitam sectati, id quod citatos Mysticos Mataëologos facere, neminem latet.

§. XXVII. Sæpius productus *Autor* literarum *sur les princip. & Caract. des princ. Auteurs Mystiq.* §. 84. *Burignoniam* magnis quidem prosequitur laudibus; sed ei opponimus iudicium Dn. D. *Speneri*, Theolog. *Bedencf.* P. I. c. 1. sect. 69. Scriptis sane suis Fanatica hæc mulier, quam in Ecclesia tacere decuisset, *divinam auctoritatem* tribuit. Sic enim im *Bezeugniß der Wahrheit* p. 106. n. 454. *Man kan von meinen Schriften sagen, daß sie eine newve Heilige Schrift sind, die ohne zuthun der menschen von Gott kömmt.* Similia passim arrogantissima *Prophetissa* sibi tribuit. Quod attinet articulum de SS. Trinitate, Sabellianorum, & aliorum veterum Hæreticorum impietatem fovit in eod. l. qui dicitur *Bezeugniß der Wahrheit.* p. 563. n. 1085. *Man kan, inquit, die Dreyeinigkeit Gottes setzen in den dreyen ständen Jesu Christi, und nennen seine Gottheit Gott den Vatter. Diese Gottheit in seiner herrlichen Menschheit Gott den Sohn; und dieselbige Gottheit in seiner sterblichen Menschheit Gott den Heiligen Geist.* Negat equidem *Autor* literarum cit. §. 88. p. 109. exinde pro Fanatica habendam esse *Burignoniam*, quod *Spiritus Sancti inspirationes se habere declaraverit.* Sed quando imaginarias tantum illas fuisse negat, hoc ipso & se à Fanatismo non esse immunem, prodidit.

Nobis sit hic

F I N I S.



THESIS I.

§. I.



Utor novissimus lib. qui inscri-

bitur *Ἀποκατάστασις πάντων*, oder die Wiederbringung aller Dinge; ut &, qui *membrum Societatis Philadelphicæ* se vocat, editor des ewigen Evangelii der allgemeinen Wiederbringung aller Creaturen; cum tam Diabolis, quam hominibus damnatis, liberationem ab

æternis cruciatibus virtute meriti Christi pollicentur, peccato lapsarum, & corruptarum creaturarum, sive homines sint, sive angeli, restitutionem in priorem integritatis statum generalem fingentes, finitis omnibus pœnis, quas post hanc vitam infinitas fore in damnatis pernegant; gratis hoc nomine provocant ad Act. 3, 21. ubi mentio fit *ἁρῶν ἀποκατάστασις πάντων*. Universalitas enim hæc satis restringitur per proxime sequentia verba, quando additur: *ὣν ἐλάλησε ὁ Θεός*. Jam vero DEUS Diabolis, & damnatis, per Prophetas nunquam liberationem ab æternis, & infinitis pœnis promisit. Ergo nec ad horum restitutionem in priorem statum gratiæ, hæc *Ἀποκατάστασις* extendi potest. Debent proin *τῶν* intelligi de illis, quæ restitutionis hujusmodi sunt capacia; quod aliunde, nec ex hoc loco probari debet, imo nec ex hoc potest. Contra *Poiretum*, & alios. Interpretatio quæ relativum *ὣν* refert ad remotius *ἁρῶν*, coacta est, & plus violentiæ habet, cum nostra naturalis sit, & rite fluat.

§. 2. Idem *Ἀποκατάστασις Αὐτοῦ* im Gespräch von der Wiederbringung aller Dinge. f. 254. l. 284. §. 2. quando post factam damnatorum hominum restitutionem in pristinum, ex quo exciderunt lapsu Protoplastorum, statum, futuram Diabolorum, deposito Diabolismo, qui malorum Angelorum accidens est, conversionem his fingit verbis: *Solches gibt uns auch die ursach an die hand, warum keiner von den gefallenen Engeln biss hieher sich bekehret hat, noch nach so vielen grossen æonen sich bekehren werde, ondern so la nge als ein abgesagter Feind werde gehalten werden, biss*

ihm alles was er von Gottes creaturen geraubet, entnommen sey, und
 biß er mit seinen Engeln sein reich, dessen gröseste macht in der ver-
 führten menschen mänge bestehet, verstöhret sehe, und erfahre, wie
 alles verführte wieder zu Gott durch Christum gebracht worden.
 Da, da wird er, der so alleine und verlassen sitzet, in sich schlagen,
 und sich Gott auffgeben, und für ihm sich beugen, welches dann der
 weg ist, dadurch ihm nachgehends mag geholffen werden. Jetzo
 aber ist und bleibt er noch ein abgesagter Feind &c. & in §. seq. 3.
 ita loquitur: Wann er aber nach langer zeit, und ausgestandenen
 Gerichten sich zu den füßen Christi leget, und unter sein haupt in der
 ordnung wiedergebracht wird, so wird der in ihm verschlungene und
 untergedruckte Göttliche funcke, und doch verborgene licht, welches
 in ihm finsternuß worden war wieder erwecket, und muß ihm eben
 daß bey solchem stande der wiederkehrung zum guten dienen, was
 ihm zur straffe gegeben war, wie es denn das gröseste kunststück un-
 sers Gottes ist, das er aus dem bösen was gutes herfür bringen kan:
 His, inquam, verbis quando citatus Autor utitur; quo id quod
 intendit, obtineat, distinguit equidem inter Diabolos, qua tales
 scil. & angelos lapsos; horum non illorum futuram asserens con-
 versionem, licet hi etiam facti fuerint Diaboli. Verum cum
 hi angeli lapsi ἐκ ἰδίων, ex propriis, peccaverint, ἀνθρωποκτόνοι exi-
 stentes ἀπὸ ἀρχῆς, ab initio, Joh. 8, 44. quod singulari quadam
 ratione Diaboli κακαγγέλαι malitiam specificat, non solum ultimi
 omnium, post cæterarum creaturarum, misere à malignis his spi-
 ritibus seductarum, restitutionem essent restituendi, si aliqua
 speranda illis foret; sed divino insuper judicio visi hinc sunt non
 miserabiles, Gen. 3, 13. sq. Quin & videri etiam tales potuerunt,
 cum non secundum æternæ misericordiæ tantum, sed etiam æ-
 ternæ suæ justitiæ dictamina, isti non contraria, suum Deus for-
 met judicium punitivum. Nec τὸ βάθρον τοῦ Σατανᾶ, de quibus
 Apoc. 2. 24. satis perpendit, qui credit, vel fingit, malorum &
 damnatorum Angelorum Principem, humano genere restituto,
 ubi solum se relictum superesse viderit, ad saniolem mentem re-
 deundo, DEO, Domino suo se subjecturum, & ad pedes ejus se
 prostraturum esse. Idem de residua lucis scintillula, tenebris licet
 oppressa, quam ex fanaticæ mulieris Joannæ Leade scriptis Autor
 fingit, f. 28. P. I. Apocatast. censendum. Facilius enim id fingitur,
 quam

quam probatur. Sicut enim boni angeli in bono ita sunt confirmati, ut in æternum amplius non excidant; ita mali in malo ita sunt roborati, ut in æternum amplius non redeant; sed à DEO averſi maneat. Recte *Damaſcenus* Orth. Fid. l. 2. c. 4. quod *hominibus mors eſt, hoc angelis lapſum extiſſe* affirmat. *Poſt lapſum enim præcluſa jam eſt illis omnis reſipiſcendi facultas, quemadmodum eſt hominibus, poſtquam ex hac vita migrarunt.*

§. 3. Graviter, uti par eſt, in diſciplinæ hujus ſectatores jam olim etiam invectus *B. Auguſtinus* l. de hæref. c. 43. quis Catholicus, inquit, Christianus vel doctus, vel indoctus, *non vehementer exhorreat eam, quam dicit Origenes malorum purgationem, id eſt, etiam eos, qui hanc vitam in flagitiis & facinoribus, & ſacrilegiis atq; impietatibus quamlibet maximis finierunt, ipſum etiam poſtremo Diabolum, atq; angelos ejus, quamvis poſt longiſſima tempora purgatos atq; liberatos regno DEI luciꝫ reſtitui.* Contra hodiernos *Neorigeniſtas, æterni Evangelij perverſe explicati aſſertores; Societatis Philadelphicæ ſocios; & ſuperiorum temporum Anabaptiſtam Denckium: Fanaticas item mulieres, Anton. Burignon. & Joannam Leaden; illam Belgicam, hanc Anglicam.*

§. 4. Eadem, de qua §. ſuperiori *Joanna Leade*, mulier Anglica fanatica, in l. de Vit. Enoch. pro reſtitutione lapſorum & damnatorum *κακαγγέλων* tandem futura liberatione urget *Ephes. I. v. 10. collatum cum Colof. I, 15. ſqq. quod etiam Autor Αποκατάſτας. πάντων* facit l. c. P. I. f. 114. §. 2. & §. 4. ſq. Cum enim *Col. 1, 20.* dicitur, *δι' αὐτῆς ἀποκατάſτας πάντα*, nimirum *τὰ ἐν οὐρανοῖς, καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς.* *Col. 1, 16.* *Ephes. 2, 10,* *εἰς αὐτὴν,* quod Patri ſcil. *complacuerit omnia per Chriſtum reconciliare in ipſum, ſive quæ in cælis, ſive quæ ſuper terra ſunt; & quod Chriſtus ſit εἰρῶνοποιός* *ἂν ἡ αἱματὶς ἡ ἑωρεῖ αὐτῆς,* pacem fecerit per ſanguinem crucis ſuæ; inde colligit, pretium redemptionis à Chriſto etiam pro Diabolis & angelis damnatis eſſe ſolutum. Sic enim infert: *Und eben aus dieſem grunde iſt es nicht nöthig, daß Chriſtus von neuem einmal für die Engel, und deren Sünde ſterbe, weil ſein blut, und das pretium redemptionis ſo gültig, daß ſie zugleich ihre verſöhnung darinnen ſchon eingekloſſen finden, wann ſie zu ihrer Zeit einmal von den Teuffeliſchen Sünden, und Unarten erlöſet werden.* Verum imperite ex infinitate valoris, pretii, & fructus

satisfactionis Christi fit argumentatio ad persolutionem lytri
 pro peccatis Diabolorum, cum id prius probari debeat, κακαγγέ-
 λας esse iudicio divino miserabiles, quod ex scripturis non pro-
 babitur. Nam loca producta quod attinet, & quidem I. primo
 Ephes. I, 10. ἀνακεφαλαιώσις τῶ πάντων, *revocatio omnium sub unum*
caput, sub quo per creationem primo fuerant constituta, non
 est Dæmonum, sed ad τὰ ἐν τοῖς ἔθρονοις, καὶ τὰ ὑπὲρ τῆς γῆς, h.e. ad
 angelos, qui in cœlis vident faciem Patris nostri cœlestis, Matth.
 18, 10. & homines tantum, ab Apostolo restringitur. De
 angelis damnatis altum hic silentium. II. Deinde quando Co-
 loss. I, 16. & 20. dicitur, quod sicut per Christum, ἐν αὐτῷ ἐκτίθη τὰ
 πάντα τὰ ἐν τοῖς ἔθρονοις, καὶ τὰ ὑπὲρ τῆς γῆς, *omnia sunt creata, quæ*
in cœlis & quæ in terra, ita per ipsum omnia sunt reconciliata in ipsum,
facta pace per sanguinem crucis Christi, εἴτε τὰ ὑπὲρ τῆς γῆς, εἴτε τὰ ἐν
τοῖς ἔθρονοις, sive illa super terra, sive in cœlis fuerint; rursus illa uni-
 versalitas, de qua Apostolo sermo restricta est, nullo indicio
 extendenda ad damnatos, sive Diabolos, sive homines: sed ad
 DEUM, angelos, & homines tantum, cum damnati neque ad
 τὰ ὑπὲρ τῆς γῆς, neque ad τὰ ἐν ἔθρονοις referri queant. Præterea
 III. ista *reconciliatio* atque *pacificatio* omnium, quæ scil. reconci-
 liari poterant, tam *in terris*, quam *in cœlis*, non eodem modo
 quoad ista omnia se habuit. Angeli enim qui in veritate per-
 stiterunt, cum DEO reconciliari non debuerunt, nobis vero
 reconciliatio cum DEO erat necessaria; & DEO nobiscum
 reconciliato, etiam nobiscum angeli sunt reconciliati, ita ut
 horum, qui DEO offenso, etiam erga nos offenso animo fue-
 runt, Gen. 3, 24. reconciliatio, & quæ cum his nunc hominibus
 pax intercedit, etiam inter fructus meriti & crucis Christi refer-
 ri debeat. Pacem hinc *terre* annunciarunt nato Christo, Luc.
 2, 14. eximie sic notante h. l. Theophylacto: *Super terra pax nunc*
facta est & cum prius humana natura DEO fuerit inimica, nunc ita
conciliata est, ut & DEO adjuncta sit, & incarnato unita. Vides igitur
pacem DEI cum homine. Præclare etiam idem Col. I. v. 20. scri-
 psit. Dissidens enim quo pacto Cœlestia sint, & dici queant
conciliata; erat, inquit, nimirum ingens inter terram & cœlum dissi-
 dium, & angeli adversum homines depugnabant, quippe qui eorum Do-
 minum spectassent injuriis, & contumeliis affectum, & morte demum;
 nunc

nunc vero lætantur nostra salute Luc. 15. & sunt πνεύματα λειτουργικά, Spiritus ministratorij, in ministerium emissi propter eos, qui hereditaturi sunt salutem, Ebr. 1, 14. Add. etiam Chrysoft. ad Col. 1. c. Gratis erga ab Origene, & Origenistis recentioribus, verba hæc ad homines & Diabolos trahuntur.

§. 5. Patet etiam quid Ἀποκατάστασις πάντων Autori respondendum sit, quando l. c. P. I. f. 115. §. 5. sic infert: Weil nun die ungefallenen Engel und Fürstenthümmer kein objectum der versöhnung seyn, als die nicht gefallen, noch gesündigt, und keine versöhnung von nöthen gehabt haben, so müssen es die gefallenen Engel seyn, die durch Christum und zu Christo versöhnet sind, und dermaleins der Krafft seiner versöhnung theilhaftig werden zu seinem preisz, und seines Nahmens verherrlichung. Fallitur enim scriptor, fingens, & sibi persuadens, angelos fuisse objectum reconciliationis cum DEO, quasi isisdem per crucem & mortem Christi propitius debuisset reddi; quos cum hominibus reconciliatos fuisse dici debet, cum quibus etiam & nos reconciliati sumus per Christum, monente B. D. Calovio h. l. Stat nobis hæc assertio ex Ebr. 2, 16. 17. Sicut per assumptionem angelorum hominum redemptio fieri neque potuit, neque debuit, sic exigente divina justitia; ita Diabolorum redemptio neque potest, neque debet fieri per assumptionem seminis Abrahæ. Debuit namque Redemptor esse Goel, & fratribus redimendis etiam per omnia similis reddi; ita nimirum hoc exigente justitia divina. Conf. B. Seb. Schmid. Comm. ad Ebr. 2. p. 298.

THES. II.

§. I.

Inepte Autor libelli, qui inscribitur: Freymüthige Gedancken einiger Freyer Sudländer oder Severambes über den Statum Religionis in Teutschland/ worinnen fürnemlich die Religio prudentum defendiret/ und approbiret wird/ herausß gegeben von InCero ab arBore 1701. Autor hic J. C. B. dicitur esse quidam Jurisperitus in Principatu Anhaltino agens, secundum professionem externam Reformatus quidem, secundum internam autem, si ex fructibus de arbore judicandum, Atheus, & Empecta: Autor hic, inquam, inepte à Philosophia Eclectica argumentatur ad

ad Religionem Eclecticam; quasi illa data vel concessa, hanc quoque concedi necesse sit. Et si enim quod Philosophiam Eclecticam attinet, verum sit, quod *Lactantio* etiam visum l. 7. c. 7. *universam scilicet veritatem per Philosophorum Sectas esse divisam; ita ut nulla secta fuerit tam devia, nec Philosophorum quisquam tam inanis, qui non viderit aliquid ex vero*; ita ut non abs re *Clemens Alexandrinus* electionem in Philosophia etiam probaverit: Alia tamen ratio est Theologiae, & Religionis verae, quae non corruptae rationis dictaminibus, sed ex revelatione divina, eaque infallibili dependet, ut & verbo DEI scripto sufficienter claro, quod nos certos, Luc. 1, 2, 3. non dubios reddit; cuique debemus hinc attendere *ὡς Λύχνω Φαίνοντι ἐν ἀρχαῖς τοῦ πύλου*, tanquam *lucerna lucenti in loco caliginoso*. 2. Petr. 1, 19. Sane sicut inepte electio viae ad ambulandum instituitur, si non nisi una datur, eaque Solis luce, vel alia satis clare, & infallibili indice monstratur; sic non datur electio in articulis fidei, atque credendis, in scripturis satis perspicue contentis, atque ad salutem aeternam pertinentibus, ad quam non nisi una via datur, Christus scilicet Joh. 14, 6. eaque luce viae scripturae sacrae sufficienti clarissime ostensa, quam citra aberrandi periculum tutissime, & unice sequi licet, sine ulla instituta electione, quae inter plura tantum locum habet, 2. Petr. 1, 19. Ps. 119, 105. cum verum non nisi unum sit.

§. 2. Nec est quod dicas, *veritatem quoad credenda, agenda, & speranda, esse per sectas Christianorum sparsam & diffusam, & ex iisdem colligendam, & redigendam in unum corpus, uti in veritate Philosophica colligenda id fieri solet*. Nam qui sic statuit, ille necesse est statuatur etiam, nullum coetum hodie in orbe visibilem religionem & Theologiam, quoad substantiam fidei, quae creditur, integram habere; & non solum neque Romano Catholicos, neque Reformatos, neque Socinianos, neque Arminianos, neque Quackeros, neque Mennonitas, sed nec Lutheranos ipsos, quoad capita religionis Christianae recte sentire, & proinde *Prudentem* nullius religionis placitis per omnia assentiri, sed eligere potius debere optima quaeque, prudenti adhibito iudicio, quae per omnium religionum professiones sunt dispersa; id quod recenti *Empectae Fridlibio* etiam non displicet in l. de Indifferentism, Id vero falsum est, & quae sic instituitur electio, non

non

non est veri dogmatis præ falso, sed, cum ut loquitur B. Theodoretus t. IV. opp. f. 321. *πολυχιδὲς ἢ ποικίλον τὸ ψεῦδος*, *multiplex & varium sit mendacium*, erroris potius, qui impietati, vel vanitati eligentis præ alio magis respondet, instituta electio.

§. 3. Nos etiam, qui illam solum religionem & Theologiam pro vera agnoscimus, quæ ex scripturis sacris in libris Symbolicis Ecclesiarum invariata August. Confessione, in Formula Concordiæ explicata, addictarum continetur, reponimus hujusmodi *Latitudinarius*, religionis *Herberti de Cherbury* Universalis fautoribus, ulterius, quod si quis veritatem doctrinæ Christianæ, quam *Universalistæ & Indifferentistæ* per omnes, quas sic vocant ex singularitatis studio, & contemptu aliorum, sectas diffusam esse temere & falso garriunt, in unum redigeret corpus, non alia esset proditura, quam in libris istis nostris symbolicis ex scripturis sacris docetur. Referimus huc quoque verba *Lactantij* l. 7. c. 7. *Hoc, veritatem scil. sparsam per singulos, per sectasq, diffusam in unum colligere ac redigere corpus, nemo potest, nisi veri peritus, ac sciens*, h. e. nisi sit ex scripturis sacris Theologice satis doctus. Veram Theologiam scire non nisi ejus est, qui sit doctus à DEO. Talis cum non nisi *ὄντως* falsa sit repudiaturus, & non nisi ea quæ sunt *ὄντως* vera probaturus, non nisi nostram Evangelicam eliget religionem. Insuper cum, si quid in aliis disciplinis illorum, qui Christiani volunt audire, habetur quod verum sit, idem etiam in nostra Theologia docetur; supervacanea est hæc electio, & ex aliis religionibus excerptio, cum in vera id jam continetur Theologia. Debemus quidem sufficienti, discernendi, & dijudicandi lumine ex scripturis instructi *spiritus probare, an ex DEO sint*, 1. Joh. 4. omnia etiam probare, id vero tantum quod bonum est retinere; sed hoc male applicatur ad excerptenda ea quæ, cum in aliis religionibus continentur, Evangelicæ contrariantur. Sufficienti etiam lumine ex scripturis instructus spiritus probans, non nisi Evangelicæ veritati addictos audiendos esse censebit. Ita aliud est, unam præ alia eligere religionem; aliud veræ & falsarum religionum capita ita discernere, ut quæ ex illis, sive vera sive falsa sint, ideo tantum, quod præ aliis homini in rebus ad religionem pertinentibus male informato arriserint, eligantur. Bene
B fece-

fecerunt Berroenses Act. 17, 11. quod scripturas scrutando explorarint, *num ita se haberent*, quæ Paulus docebat, quæ prudenti facta electione erroribus, quibus innutriti hæctenus fuerant prætulerunt; sed non leguntur ex doctrina Pauli, & erroribus Judæorum & Gentilium illa excerpisse dogmata, quæ præ aliis placuerant, ad peculiarem pro placito cudendam religionem, ita ut monstrum à monstro excipiatur, Indifferentissimo progenerante Eclogismum, hoc exeunte in Syncretismum, idque sæpe sub facie Pharisaismi, sive Pietismi.

§. 4. Hujusmodi religionis *Eclecticæ*, ex variis centonibus confutæ, specimen præbuit *Seçta Ebionæorum*, cujus autorem Epiphanius t. I. hæret. 30. f. 125. hoc nomine πολύμορφον τεράσιον, ἢ ἡ μυθολογίας πολυκεφάλυ ὑδρᾶς ὀφιδῶδη μορφῶν ἐν ἑαυτῷ ἀνατυπωσάμενον, *multiplex monstrū & fabulosæ illius ac multorum capitum hydra serpentinam in se figuram exprimentem* appellavit. *Quicquid enim unaquæq; hæresis horrendum imprimis & exitiabile ac detestandum asserit, turpe inquam & absonum, absurditatisq; plenum & odiosum, è singulis dogma concinnans, omnium in se formas speciesq; transtulit.* Pergit vero Epiphanius nobile hoc Eclogismi specimen ulterius sic explicare: *Nam, inquit, Samaritanorum impuram superstitionem affectavit. A Judæis nomen accepit. Ab Ossæis, Nazaræis, & Nasaræis dogmata. Cerinthianorum deinde formam, Carpocratianorum nequitiam, Christianorum deniq; appellationem usurpare contendit.* Imitata est vanum hujusmodi Eclogismum *Carpocratea Marcellina*, quæ B. Augustin. l. de hæres. c. 7. *imagines Jesu, & Pauli, & Homeri & Pythagoræ coluisse dicitur.* Nec aliam quam fœdam crassi alicujus Eclogismi speciem refert *Alcoranus Muhammedis*, impostoris maximi. Hic enim, ita censente Spondano ad ann. 630. n. 2. *ut populos omnes alliceret, ex cunctis ferme aliqua miscuit: Nempe ex Judæis circumcisionem, DEI unius cultum, abstinentiam à carne suilla: ex Christianis nomen Christi, ita tamen ut eum sicut Ariani, & Nestoriani, coleret: Ex Manichæis, ut nequaquam cruci Christum affixum crederet, sed umbram ejus, penitus crucem abominatus.*

§. 5. Alia ratio est *Philosophiæ Eclecticæ*. Hic enim cum beneficio luminis naturalis, sive theoretici, sive practici, quod est lumen veri atque recti, semenque boni, verum à falso bonumque à malo discerni soleat; & vero, cum lumen hoc te-
nue,

nue, sæpius insufficiens sit, nec ad omnia specialia & particularia pertingat, ita ut *Seneca* etiam monente Epist. 120. *semina scientiæ nobis det, scientiam non det*, insigni hinc in iudicando humanus intellectus laboret imbecillitate, dubitatur hoc nomine sæpius, honestumne factu aliquid sit, an turpe, ita ut animi sæpe in contrarias sententias distrahantur, notante ipso *Ciceron.* 1. off. 3. ne de aliis impedimentis quid dicam. Longe vero aliter se habent hæc in Theologia revelata. Datur enim hic lumen cœleste ex cœlesti revelatione, per ἔκστασις Spiritus Sancti in luce verbi negotiosam, *Dannh.* Hod. p. 18. non ex corrupta ratione, uti lumen Philosophicum, natum. Ibi datur *fides* 1. Tim. 3, 9. hic scientiæ. Evidens hæc est, argumentativa ex suis causis: Illa certa est, nixa autoritate divina, quæ fallere nescit. Unde licet non sit evidens Ebr. 11, 1. sed ænigmatica & specularis, 1. Cor. 13, 12. electionem tamen indifferentem, ut eligas id, quod rationi præ alio placet, non admittit. *Ad legem enim & ad testimonium* adstringimur, *Jes.* 8, 20. Hoc cum clare & perspicue ea tradat, quæ scitu, creditu, factu & speratu necessaria sunt, ut nulla sufficiens dubitandi detur ratio, electio, qualem *Indifferentista & Eclogarij* fingunt, non est necessaria. Scientiam autem Philosophicam quod attinet, cum hæc ex suis causis evidens sit; hæc vero sæpius lateant, contingit hinc, ut pro Junone nubem mortales apprehendant, argumentantes ex non causa ut causa; vel pro vera scientia opinionem suam tantum, cum formidine oppositi conjunctam, aliis exponant. Hinc cum, *Tacito* 4. Annal. 33. etiam observante, *pauci prudentia, honesta à deterioribus, utilia à noxis discernunt, plures aliorum eventis docentur*, recte fit, ni falli velimus, ut prudenti adhibito iudicio id præstemus, & ex pluribus id eligamus, quod optimum & præstantissimum nobis videtur, cum in rebus ad religionem pertinentibus id tantum eligendum, quod DEO ita placuit, citra nostram electionem, ad credendum & agendum proponere.

T H E S. III.

Vir Clarissimus, Dn. *Benedict. Piçter.* Theologus Genevensis Celeberrimus, in tract. de Consens. & Dissens. inter Reform. & A. C. frat. c. 7. p. 108. *quomodo & quibus mediis pax Eccles.*
B 2
inter

inter Protestantes iniri possit disputans, optandum inquit, esset, ut res ista per Politicos potius, quam per Theologos tractaretur, aut seligendi essent Theologi mitioris ingenij. Quod de Theologis quibus mitius est ingenium notat, aliorum discussione relinquatur. Idem ante Dn. Pictetum placuit Diestio in dissert. de lit. & pac. relig. Evangel. p. 217. Hoc vero elogio viris his alii digni non sint, nisi proditores veritatis, & quibus male sanus placet Syncretismus. Cum vero Concordiæ Ecclesiasticæ negotium per Politicos tractari mavult, in eo nuperrime assecram nactus est quendam Autorem der gründlichen Vorstellung/ welches eigentlich daß einzig wahre Mittel zur Vereinigung der beeden Evangelischen Religionen in Deutschland sey/ und warum alle in dieser Sache bishero gethane Vorschläge fruchtlos abgangen. Gedruckt anno MDCCIII. Misso vero hoc, quod hic tenebrio, politica styli licentia usus Syncretistice, duas fingat religiones Evangelicas, à se invicem dissidentes, cum non nisi unum Evangelium, idque indivisum in se, divisumque à quovis alio agnoscere debeamus, Gal. 1. Particularistarum etiam Evangelium vere Evangelium non sit, ceu scripturis ignotum. Sed misso hoc, notamus, quod, cum autor hic §. 1. asseruisset, ad summum magistratum spectare jus reformandi, cujus pars compositio amicabilis dissidiorum in causa religionis, postmodum de modo tractandi negotium hoc etiam agens, ad id Theologos non esse admittendos contendat, consilio plane perverso. Sane sicut ex hoc, quod Magistratus suum jus habet circa Ministerii constitutionem, & ministrorum vocationem, elicere id non licet, ministros Ecclesiæ ab hoc negotio esse excludendos; ita licet ad summum Magistratum etiam pertineat jus Reformandi; cujus pars an sit compositio amicabilis dissidiorum circa religionem exortorum, adhuc disputari potest; ab eo tamen, & ejus exercitio, ministerium Ecclesiasticum, nisi Κατασκοπιαν exercere velit, excludere nullo jure potest. Mixta enim hæc causa est, nec mere civilis. Promulget Magistratus summus initam concordiam, factamque pacem Ecclesiasticam, servandamque inter cives esse pronunciet cum imperio; dirigat etiam directione externa, ceu status Christianus, universum negotium Irenicum; à ministeriali tamen opera in hisce tractatibus pacis Ecclesiæ ministros, sine gravi

gravi

gravi illorum, imo totius Ecclesiæ injuria, abesse non jubebit. Nam & ex generali quodam, omnibus Christianis comuni, & ex peculiari & proprio, ex indole hujus negotii singulari, divinitus concessio, & à persona illorum inseparabili quodam jure, illis causæ hujus cognitio, & causæ meritorum dijudicatio, quin & decisio quoad ea, quæ Ecclesiarum consociationem impediunt, ideo scilicet quia Theologi sunt, competit. Cooperatio in actibus mixtis, qualis omnino est hoc Pacificationis Ecclesiasticæ genus, de quo agimus, quæ Magistratui divino jure competit, suo jure ministerium Ecclesiasticum non privat. Non negatur, ad Magistratum pertinere judicium de religione, & controversiis fidei; sed non solum. Imo tutius juris hujus exercitium Theologis committitur.

§. 2. Idem Vir Clariss. in l. quo agit de *B. Lutheri & Calvinii consensu in Questionibus de Prædestinatione, & Redemptione Jesu Christi*, non solum quod hunc consensum attinet, c. 3. sq. antiqua repetit cum ex l. *B. Lutheri de serv. arbitr.* tum ex aliis locis, ad quæ nostrates non semel responderunt, & inter illos etiam Dnn. *Wittebergens. Theologi*, Antapol. c. 6. & *B. D. Seb. Schmid.* in annot. ad l. *Luth. de serv. arb.* quem nos vindicavimus contra Exceptiones *Petri Iyonis*, Labadistæ, in Ep. de Prædestinat. Præfat. factas, in nostra Repetit. doct. de Elect. p. 142. sed etiam ex nimio affectu erga concordiam Ecclesiasticam, quocumque modo obtinendam, talia ponit postulata, quæ à cordatioribus, quos nimirum studium Syncretismi non abripuit, non impetrabit. Cap. 7. enim contendit, quod *dogmata, quæ ab Augustanis credenda proponuntur, & quæ à Reformatis plerisque non admittuntur, scitu ad salutem non sint necessaria; nullam inferens esse rationem iis denegandi communionem, qui quædam dogmata scitu non necessaria ad salutem non possunt admittere.* Manifeste enim falsum est antecedens, ita crude positum. Quod enim per se necessarium est ad fidem salvificam consequendam, id etiam necessarium est ad salutem. Dogmata vero illa, v. c. de *gratia DEI patris cælestis Universalis*; de *Universalitate meriti Christi*, ita comparata sunt, ut per se censeantur necessaria ad concipiendam fidem salvificam ad salutem necessariam. Sane ad salutem scitu necessarium est, Christum esse pro me mortuum, & Patrem cælestem me serio, & voluntate bene-

placiti, velle salvare. At sine Enthufialino per Reformato-
rum dogmata hoc fcire non poffum, nifi fciam, DEUM serio
velle omnes homines falvos; & Chriftum pro omnibus fan-
guinem fuum effudiffe, quod *Particulariftæ* ignorant, igno-
rantia pravæ difpofitionis. Tollit fane, & impedit *Particula-
rifmus* ordinem, per quem in tempore DEUS ad falutem nos
perducit. Pergit c. 8. urgendo, quod, *etfi daretur, Reforma-
torum fententiam effe errorem, talis tamen non fit error, qui illos à
communione fratrum, Lutheranorum fc. arcere debeat.* Rationem
dat hanc, quod *errores illorum non fint fundamentales.* Effè ve-
ro fundamentales, fatis fæpius oftentum eft, quod graviffime
impingant in doctrinam, & partes doctrinæ, ex qua unice fides
juftifica & falvifica exoritur, ita ut ex illa fic corrupta neque
concupi, neque augeri, neque foveri fides poffit. Merito
vero communione Ecclefiaftica illi arcentur, qui tam pericu-
lofam, & fidei falvificæ noxiam fecum ferunt doctrinam, fe-
cundum 2. Joh. v. 10. Addo: Cum ad Ecclefia unitatem re-
quiratur Unitas sacramentorum, Eph. 4, 5. Evangelicarum
& Reformatarum Ecclefiarum *confociationem*, ut *Hoornbecki* in
hoc negotio voce utar, fieri non poffe, quod fic confociatis Ec-
clefiis defit unitas sacramentorum. Non eandem vero S. Cæ-
na, fed effentialiter à noftro diverfam, Reformatos habere, fat
notum eft: *Cœnam* nimirum cœlefti thefauro vere deftitutam;
quicquid de relativa, & nonnifi verbali corporis & fanguinis
Chrifti præfentia loquantur; *Orthodox.* etiam *Confenf.* c. 6.
Chriftum vere fe præfentem in sacramentis exhibere affirmet:
Baptifmum autem, quem non nifi pro nudo figno, & fymbolo
habent, non vero, ut revera eft, pro Sacramento & medio falutis,
ad quod DEUS regenerationis gratiam alligavit. Nofter Ba-
ptifmus, à fervis DEI adminiftrandus, etiam eft Baptifmus Spiri-
tus, Joh. 3. non item Reformatis. *Conf. Spanhem* P. III. dub.
Ev. D. 39. n. 5. *Walaum* in *Enchir.* c. 3 §. t. i. opp. f. 84. jufto ve-
hementiorem Calvinianum, cum *Ubiquitariorum* convitio no-
ftros profcindere non dubitavit; & in *Loc. de Bapt.* eod. tom.
f. 486. Et cum nofter baptifmus effentialiter etiam conftet ex
Spiritu Sancto, qui res cœleftis hujus fagramenti peculiari mo-
do, & fingulari ratione, & terminative eft, uti cum *Hunnio* &
Gerhar-

Gerhardo B. noster D. Dannhaverus loquitur in Mysterios. f. 2. art. 3. §. 52. p. 351. qualem unionem sacramentalem in Baptismo Reformati non admittunt; vid. *Essen. Theol. Dogmat. c. 18. §. 17. p. 637.* ex nostris vero B. D. Dorsch. Pentad. dis. 4. §. 59. 62. p. 191. nostrum hinc à Reformatorum Baptismo essentialiter diversum esse, recte pronuntiatur.

THESES. IV.

§. I.

Pietismus, uti hodie vocatur nonnullorum perversus, superstitiosus, intempestivus, & vitiosus, quin & cum Fanatismo conjunctus pietatis collapsæ restaurandæ, & propagandæ modus, ejusque studium irregulare, non debet confundi cum *veræ pietatis*, quæ fructus fidei justificantis & Spiritus Sancti est, Deoque placet, studio. Illius asseclæ recte *Pietastri*, vel *Pietistæ*; hujus autem sincere in timore DEI studiosi, & cultores, *Pij* audiunt. Bene nimirum, & vere B. Dannhaverus (qui non sine atroci injuria à nonnullis Chiliastis associatur, vel iisdem favile fingitur, ob verba, quæ leguntur in Hodof. p. 1445. in margine, ad lit. α. quæ vero *Dannhaveri* non sunt, sed aliunde irrepperunt; cum eo ipso fere tempore, & anno, quo altera & auctior Hodosophiæ editio fuit à typographo absoluta, & sic paulo ante beatam ἀναλύσιν, in *Colluvie Quackerorum*, quam sub ipsius Præsidio in solenni auditorio defendi, Chiliasmum ceu *Cerinthianum, Anabaptisticum, & Weigelianum* errorem damnavit) in Mysterio Syncretismi, & sic antequam rixæ *Pietisticæ* hodiernæ natæ erant, sect. 3. n. 31. *versipellis*, inquit, *ille spiritus in omnia extrema fertur: cum polemica ardent, friget pietas: cum hæc incallescit ac ad Enthusiasmos inclinat*, (ut hodie) *illa proscribuntur*. Nunquam tamen ita male cum rebus humanis actum est, quin ex *κρηγε Leonem, ex σφύμα draconem, ex vestigio feram indagare potuerint, ac discernere verum à confuso, divinum ab humano carnis invento vigiles τῆ ἀληθείας ἰσοδύναμοι*. Semper est pes quem tegere non potest is, qui angelum lucis mentitur &c. Medium inter Epicureorum, quique illis pollicem premunt Profanorum impietatem, & Pharisaicam hypocrisin, in quam Christus invehitur Matth. 23, 5, 24. sqq. Luc. 18, 11. sqq. atque hujus generis sanctu-

Sanctulos, tenent vere *Pij*, renati in quotidiana pœnitentiæ exercitio constituti, Luc. 18. 13. Rom. 7, 22. sqq. non secure agentes, sed *cum pavore & tremore salutem operantes*, Phil. 2, 12. His cum *hac in vita multi hypocritæ admixti sint*, ceu Aug. Conf. art. 8. monet, qui haud raro majori specie Pietatis præfulgent præ illis, contingatque hinc haud raro, ut cum vere *Pietastri* pro sincere piis habentur, *Pij* vicissim *Pietastrorum* Catalogorum male inferantur, sollicita propterea spirituum hac in re probatio est instituenda, 1. Joh. 4, 1. Sua hæc sæpe non caret difficultate, ne simplices & sincere pii turbentur, & veræ pietatis studium aliquid detrimenti accipiat.

§. 2. Non male hic distinguitur inter *Pietismum Veterem*, & *recentiorem*; *crassum* item & *subtilem*; sectam quoq; *Pietastrorum*; & unius alteriusque, hominis interdum non malæ mentis, singularitatem & excessum, proveniente[m] ex *ἑλεοθρησκεία*, verbi divini neglectu, *ἰδιογνωμοσυνή* etiam superstitiosa, & metu DEI vano, obstetricante temperamento Melancholico, cum conscientia timidioris justo teneritudine conjuncto. *Veteris* Pietismi exemplum exhibet v. c. *Montanismus*, ad quem Pietaster factus defecit *Tertullianus*, præfulgidum in Ecclesia ante lapsum lumen; de quo alibi. *Recentioris* vero indicia sunt tot scripta nostris temporibus edita, partim Pietistica, partim Antipietistica; & praxis multorum fingentium peccata ubi non dantur, sub specie pietatis etiam infantem cum sordibus imprudenter ejicientium, ad Catharos declinantium, in occulto vero interim *Psychicorum*, & *Camelum etiam deglutientium*, coram hominibus vero *culicem excolantium*, Matth. 23, 24. *Crassior* Pietismus doctrinam nostrarum Ecclesiarum accusat, peculiaria etiam, & singularia pietatis fovet dogmata, scripturis sacris & Libris Ecclesiarum Evangelicarum Symbolicis contraria, in gratiam vero majoris studii Pietatis excogitata, libertati vero Christianæ adversa, & sub pietatis specie proposita, non sine Fanatismo. Etiam tendit ad Separatismum, vitatque, ceu profanos, cœtus sanctorum, qui cultus divini gratia in Templis convenire solent. Talem Pietismum foverunt olim Montanistæ: Nostris autem, & recentioribus temporibus, Anabaptistæ, Mennonistæ, Weigeliani, Quackeri, Labadistæ, Burignonia &c. Suscipit tamen hæc crassi-

crassities magis & minus. Ast qui *subtilior* audit, puritano rigore sub prætextu pietatis urget immutationem & abrogationem illorum, quæ salva veritate doctrinæ, salva etiam charitate, & libertate Christiana tolerari possunt; tacite quoque, occultisque artibus pietatem præ se ferentibus grassatur, sumtisque, accedente audacia, superstitione, pertinacia, & impudentia, incrementis, Fanatismum, Ecclesiæ denique & Reipublicæ noxias novitates minatur. Non male ad illos, qui talem colunt foventque Pietismum, applicaveris illud *Heresbachij* in Hist. Anabapt. c. 3. de Anabaptistis: NB. *Initio quadam in abolendis abusibus, & impiis moribus, recipiendæ, sincera doctrina, non omnino inepta proponere videbantur.* Sincera hic opus est pietate, quæ vere talis, cura etiam & prudentia, ne, si Pietismum cohibere velis, cum zizaniis ipsum triticum eradices, Matth. 13, 29. & malum impediendo ipsi bono apud simplices obicem ponas. Valet hic illud Poëtæ: *Principiis obsta, sero medicina paratur, cum mala per longas invalere moras.* Quo enim subtilior, eo periculiosior etiam est Pietismus, qui & oculatissimo imponere potest, & imposuit, pertinacissime etiam mentibus mortalium inhærere solet.

§. 3. *Pietistarum* interim nomen non male tunc dicitur esse *nomen sectæ*, quo in disputationibus, concionibus, &c. uti liceat, cum necessitatis in Ecclesia, tum distinctioris disciplinæ ergo, quando tales nimirum revera dantur, qui Pietismo seu crasso, sive subtiliori corde, ore, re pertinaciter sunt addicti, eundemque sectantur; quibus Elenchus proinde etiam debetur, scripto & voce instituendus. Nec hic officio Spiritus Sancti Elenchtico, de quo Joh. 16. obex poni debet. Dogmatum sane singularitatem, quam plures contra scripturam sequuntur, sectam peculiarè constituere, nemo negabit, qui quid secta dici debeat cognoverit. Hæc cum quoad diverſa doctrinæ, & Praxeos Christianæ scripturis ignoratæ, capita B. D. *Alberti*, Dn. D. *Schelwigio* in *Sectirisch Pietistery* / & *Synops. Controv. Pietist.* notata, hîc penes illos, quos *Pietistas* vocant, detur, cui competit definitio, eidem & definitum competere dicimus. Et licet dissensus, qui in hoc certamine Pietistico animos dissociavit, in plenum Schisma, quod DEUS etiam avertat, nondû eruperit; periculum

C

tamen

tamen est, ne uti *Puritanismus* peperit in Anglia *Separatissimum*, de quo *Hoornbeck* in sum. Controv. l. 10. ita in Germania *Pietismi* exitus simile monstrum sit futurus. Nil aliud enim quam majores in Ecclesia turbas hominum horum, juniorum potissimum, male temperatus zelus pollicetur; ob pertinaciam qua laborant, propter quam sine injuria peculiaris sectæ homines appellari queunt. Lucem dictis affundit Historia Ecclesiastica.

§. 4. Illos vero quod attinet, cætera bonos, quos temperamenti vitiosi inclinatio, timidioris item Conscientiæ ἀπειρία, ad inordinatæ pietatis studium, ex inordinato DEI amore & metu impulit, quod lumine divini verbi, quo DEUS ἀποδείκνυται humanis benigne occurrere solet, neglecto, id quod in oculis illorum rectum videbatur, contra Deut. 12, 28. c. 13. 1. eligere maluerint, cum fallaci pietatis majoris apparentis speciè decepti, tum quod sanctimoniam ad salutem magis necessariam esse, quam fidem, male, citra tamen pertinaciam, sint persuasi; omni humanitate, lenitate & charitate hi tractandi, monendi, & à præconceptis opinionibus revocandi sunt, explicatis veræ, quæ DEUM per verbum suum autorem habet, non ἀγοδαίμωνα, in angelum lucis se transformantem 2. Cor. 11, 14. & per corruptæ rationis speciosa dictamina misere illudentem, pietatis characteribus, non statim vero Pietistarum Catalogo & sectæ inserendi. Hoc enim nomine distinctivo non nisi *pertinaces* notandos esse censemus. Tandem abest, ut illos sic vocemus, qui in corruptos seculi mores invehuntur, abusus indies invalescentes, & grassantia scelera convenienti, imo ardenti zelo taxantes. De *feminibus* vero Pietismi, primisque ejus initiis, & quomodo *adultus* opinionum diversitate, exemplo Anabaptismi in diversas abeat familias, & abire inceperit, præsentis instituti non est ostendere.

Addenda ad Thes. 4. §. 1. p. 13.

Atrocem fieri B. *Dannhaver* dixi injuriam à Chiliaftis, quando suo ordini B. Virum associatum eunt ob verba, dolose aliunde inserta, quæ leguntur in *Hodos. phæn. XII. p. 1445.* quando

do

do à resurrectione in novissimo die futura, *excipiendos ait illos qui ante diem extremum singulari gratia revixerunt, e.g. Moses, ET FORTE ILLOS, DE QUIBUS DICTUM EST ἐζήσω, Apoc. 20, 4.* quæ ultima verba aliunde irrepsisse, non dubito asserere; cum constet, variis artibus tale quid contingere posse, & contigisse etiam, invito Autore, & libri alicujus correctore. Certum est ex scriptis, & disputationib⁹ Orthodoxi, & incomparabilis Theologi, quod ad ultimum usque vitæ *vivū Chiliastrum* damnavit. In *Christosophia* certe sect. III. p. 355. id ex instituto dedit operam, ut Chiliastrum inepte ex Apoc. XX. (quod caput ex instituto resolvit,) probari ostenderet, ἐζήσω explicans *de testibus veritatis qui vixerunt, non NB. ἀπέζησαν revixerunt, & regnarunt, cum Christo his mille annis, quibus Ecclesia inducias agebat, sed non his solum, verum NB. in secula seculorum.* Qua fronte ergo in *Hodosophia* interpolator B. auctori diversam attribuit interpretationem ab hac priori. Ibidem Chiliastrarum deliria Chiliastrica somnia appellavit. Retinuit hanc sententiam cum *Anti-Christosophiam* scriberet, ceu patet ex sect. I. a. 7. §. 55. p. 219. sqq. atque denuo asseruit ib. p. 331. contra Chiliastras. Idem postea fecit in *Christeide*, Chiliastrum, etiam à Cerinthiano diversum, *contra scripturam esse affirmans, p. 270. & improbens p. 267. in Piscatore & Bisterfeldio, quod Chiliastrum dudum in Ecclesia NB. communiter damnatum revocatum iverint.* Hinc in *Hodomor. Calviniana*, quæ An. 1654. prodiit, p. 332. sq. Chiliastrum à nonnullis Reformatis folum, ceu sua via somnia, ex sacris literis refellit, *absurdam esse statuens resurrectionem Martyrum ad hanc vitam animalemi;* quo ipso additamentum *Hodosophicum* rursus ceu suppositium convincitur, & contra mentem B. viri verbum ἐζήσω ibi explicari probatur. Ut aliam mittamus, ultima disputatio quam calculo suo probavit, fuit illa quam de *Quackerorum Colluvie* ann. 1665. juvenilibus annis conscripsi, qua ad mentem ejus Chiliastrum horum Fanaticorum, *partim Papiæ, partim Cerinthianum, Nepotianum, Æternalium, partim deniq; Anabaptisticum, & Weigelianum errorem esse asserui.* Prodiit eodem anno, ut supra dixi, *Hodosophia* secunda B. Auctoris cura, sed hoc errore interpolata; qui eo facilius inferi potuit, quod accuratorem correctionem alienæ curæ comiserat, cum visus imbecillitate laborans, tum negotiorum multitudine ob-

C 2


rurus,

ratus, qui in sequenti anno 1666. placide in Domino obdormivit. Plura in præfenti non addo.

COROLLARIUM.

Quando Ecclesia sanguinis divini Salvatoris nostri, ritu sacrificiali effusi in redemptionis perpetuæ λύτρον, vim infinitæ virtutis, pretii, valoris, & acquisitionis redemptoriæ considerans, ita canit: Dein Blut der edle Saft/ hat solche Stärck und Krafft/ daß auch ein Tröpflein kleine/ die ganze Welt kan reine/ ja gar auß Teuffels Rachen frey loß und ledig machen; nemo his in verbis blasphemiam contineri dicet, vel Ecclesiam Evangelicam invariatae Augustanae Confessioni addictam blasphemiarum hoc nomine ream aget, nisi qui negaverit realem communicationem divinæ virtutis, infinitæque efficaciam, atque majestatis, humanæ Christi naturæ per unionem personalem, per quam sanguis hic fit emundatorius, factam; qua negata etiam tertium genus communicationis idiomatum heterodoxe potius, quam orthodoxe explicatur. *Arianos* ut & *Socinianos* impie hic contradicere, mirum non est. Respondemus autem cum B.D. *Dannhæwero* nostro ex *Christosoph. l.2. a.1. §.9. p. 149. Fuisset quidem unica gutta sufficiens, si dignitatem personæ spectes*; de qua etiam B.D. *Dorsch.* in *Pentad. diss. 7. §.31. seq. p. 269.* disputat, eximie eandem contra *Vazquezium* & *Tannerum* asserens; & B. *Scherzer.* *Coll. Anti-Soc. p. 452. sq. sed non fuisset sufficiens, si respicias divinum decretum, justitiæ ac misericordiæ gloriam, largissime in hac victima demonstraturum.* Nec nostrum hic est divinæ Sapientiæ & Justitiæ terminos figere, aut mensuram præscribere, ita ut nefariæ temeritatis fuerit passionum, sive guttarum mensuram velle definire. Consentit ex nostratibus B.D. *Weinmann.* *diss. ad 1. Joh. 1. v. 7. prior. §.21. D. Scherzerus* in *Colleg. Anti-Socin. diss. 56. p. 459.* Rectius illis blasphemiam objicitur, qui sanguinem Christi, qui est ἰδιὸν Ἰησοῦ αἷμα, *Act. 20, 28. ἀφ' ἑαυτοῦ καὶ τιμιόν,* *1. Petr. 1. 18. 19. in ara crucis effusum computruisse, nec in resurrectione fuisse reassumptum* fingunt: Quod *Calvini, Sadeelis, Perkinsi,* & aliorum emblemata esse, notum est, doceturque à *Gerhardo P. II. dispp. Theolog. Disp. de Resurr. Christ. §.37. p.m. 1507.*

F I N I S.



INDEX PRIOR,

continens

ORDINEM DISSERTATIONUM de LAPSU TERTULLIANI &c.

Et

NOMINA DNN. STUDIOSORUM,

qui respondendo illas defenderunt.

I. De LAPSU MAGNORUM IN ECCLESIA VIRORUM,
LAPSORUMQUE CHARACTERE MORALI,

Resp. *M. Bernhardus Welsch*, Norimberg.

II. De LAPSU MAGNORUM IN ECCLESIA VIRORUM,
LAPSORUMQUE CHARACTERE MORALI,

Resp. *Johannes Matthias Heuser*, Macro-Schvvalbacens.

III. De LAPSU MAGNORUM IN ECCLESIA VIRORUM,
LAPSORUMQUE CHARACTERE MORALI,

Resp. *Johannes Henricus Engelhardt*, Ingovilla-Hanoic.

IV. De INGENII TERTULLIANI CHARACTERIBUS,

Resp. *Johannes Conradus Pfeffelius*, Mundinga-Marchic.

V. De LAPSUS TERTULLIANI AD MONTANISTAS
VERITATE, ET QUALITATE,

Resp. *Johannes David Karcher*, Argentorat.

VI. Pars Prior, De CAUSIS LAPsus, ET USU Hujus
CONTROVERSIÆ,

Resp. *M. Johannes Jacobus Memminger*, Argentorat.

Poster. De USU Hujus CONTROVERSIÆ,

Resp. *M. Philippus Nicolaus Ebner*, Trarbaco-Mosellan.

VII. De TERTULLIANISTIS,

Resp. *Georgius Philippus Bergman*, Kuzenhaus-Alsatus.

*

AUCTA-

AUCTARII DISSERTATIO

- I. De SATANA IN ANGELUM LUCIS TRANSFORMATO,
 Resp. *M. Joh. Marcellus Zinck*, Schvindrathem. Hanoic.
- II. De ENTHUSIASMO DIVINO ET DIABOLICO,
 Resp. *Joh. Christophorus Kauffmann*, Pfortzheim. March.
- III. Pars Prior, De SPIRITUS S. TESTIMONIO INTERNO
 DE SCRIPTURÆ SACRÆ VERITATE,
 Resp. *M. Elias Stæberus*, Argentoratens.
- IV. Poster. De SPIRITUS S. TESTIMONIO INTERNO
 DE SCRIPTURÆ SACRÆ VERITATE,
 Resp. *M. Joh. Georgius Schranckenmüller*, Argent.
- V. De THEOLOGIA MYSTICA,
 Resp. *Johannes Fridericus Haug*, Argentorat.
- VI. De HODIERNO ORIGENISMO, ECLOGISMO, SYNCRETISMO, ET PIETISMO THESES,
 Resp. *Matthias Heus*, Argentorat.

INDEX

INDEX POSTERIOR, Autorum & Rerum.

*Numerus prior, notat Disp. posterior, paragr. Disp.
lit. A. Auctar.*

A.

- A**bbas Corbejenfis, A. III. 5.
 Abbas Anonymus Arvernus,
 I. 10. Gothofr. Arnolde *similis in
 defendendis hæreticis, ib. contra eun-
 dem tamen communem Doctorem
 sententiam sequitur de errore Tati-
 ani circa prohibitionem nuptiarum in
 se, ib. ejusdem Eclaircissement sur
 la doctrine, & sur l'histoire Ec-
 clesiastique des deux premiers
 siècles, ib. & VII. 3.*
*Abusus donorum divinitus concessorum,
 sæpe causa lapsus magnorum in Ec-
 clesia Virorum, III. 20.*
*Ἀληθείας vocis vera significatio, A. I. 23.
 Heinſii explicatio de humili, & ab-
 jecto, minus accurata, ib. melior &
 notior D. Seb. Schmidii, de homine
 inutili, & non frugi, ib.*
 Acontius Jacob. *de Stratagem. Satan.*
 A. I. 6.
 Adami Melch. *Vitæ Theolog. German.*
 III. 2. 5. 10.
 Adamiani, A. I. 20. *jaçtarunt statum
 integritatis, ib. & 24. exemplum
 transfigurationis Satanae in Angelum
 lucis, ib.*
 Adelphius *de Messalianis hæreticis*
 A. I. 20.
*Adulatio non est vera & infallibilis nota
 pravi spiritus, A. II. 23.*
*Ægyptiorum disciplina de generatione
 Demonum, VII. 11.*
 Agapeta *Virgines, VI. Pr. S. IV. S.*
*Afflatus divini immediati, res fidei con-
 cernentes, in Ecclesia hodie non ad-
 mittendi, A. II. 15.*
 Agenda Ecclesiastica Argentorat.
 A. II. 35.
 Albaspinæus, IV. 3. 10. V. 10.
 Alberti Valent. III. 9. A. II. 16. *ju-
 dicium de Matthia Flacio, III. 9.*
 Alcasar *Comment. in Apocal. VI. Pr. S.*
 IV. 9. A. II. 3. 4.
 Alcoran Muhammedicus, A. VI.
 II. 4. *species religionis Eclecticae. ib.*
 Alexandri, *Episcopi Alexandrin. fervor
 pro vera religione, I. 15. laudabilis
 conversatio, ib. elogia à Patribus ipsi
 tributa, ib. defenditur contra Go-
 thofr. Arnold. ib.*

INDEX POSTERIOR.

- Ἀληθείας* vocis varia acceptio, A. IV. 12. 13. *prædicarum* est Evangelij, & *universi* verbi divini, ib. *sive lecti*, *sive prædicati*, ib. *sqq.* ab ipso Christo datum, 13. *abstracte posita*, ut I. Joh. V. 6. *notat summam*, *infallibilem* & *immutabilem veritatem*, 14. *non solum testimonij*, *sed & rei*, ibid.
- Ambianates Georg. IV. 1. *qualis scriptor?* V. 20.
- Ambrosius, *de fug.* sec. I. 1. *in Apocal.* A. II. 3. *de Spiritu S.* A. IV. 9.
- Ambrosiaster, VI. Pr. 1.
- Ammianus Marcellinus, II. 5. 6.
- Amor præsentis seculi*, *sæpè causa lapsus in Ecclesia*, I. 7.
- Anabaptistæ exemplum Fanatismi*, A. I. App. 3. *Enthusiasmus*, & *Pietismi crassioris*, A. II. 17. 32. A. VI. IV. 2. *Enthusiasmus illusorij*, A. I. 21. A. II. 19. *præterderunt furoribus suis pietatis & sanctitatis speciem*, VI. Post. 22. A. I. 21. A. II. 24. *eorum dissensus in capitibus fidei*, & *articulis pietatis*, VI. Post. 22. *Monasterienses*, *Munckeri proles*, A. II. 32. *exemplum Enthusiasmus crassioris*, ib. *Anglicani*, *exemplum Enthusiasmus subtilissimi*, & *periculosissimi*, ib. *eorum dogmata pestilentissima*, A. II. 34. *turbæ*, VI. Post. 15.
- Ἀνακεφαλαίωσις τῶν πάντων* quid? A. VI. I. 4.
- Ἀνακεῖνεν* verbi emphasis, A. IV. 16.
- Angelus officij nomen*, *non nature*, A. I. 14. *non solis creaturis in sacris literis tribuitur*, ib. *separatim positum nullam infert inferioritatem*, ibid. *eos esse corporeos*, *multorum Patrum error*, VII. 8. *à Platonis partim*, *partim à Stoicis haustus*, ibid. *generatio*, *etiam multorum doctissimorum Patrum*, *Ægyptiorum item*, *Platoniorum & Stoicorum error*, VII. 10. *num ex Genes. VI. 2. probari possit?* ibid. *non sunt objectum reconciliationis cum DEO*, A. VI. I. 5. *lapsi non habent spem restitutionis in pristinum statum gratiæ*, ibid. & 2. *sqq.* *boni ad imaginem DEI creati*, A. I. 26. *gaudent sua luce propria*, A. I. 15. 16. *dicuntur hinc stella matutina*, *sed improprie*, ibid. *contra Grotium*, ib. & 26.
- Ἀγγελοὶ Φωτὸς* quid notent? A. I. 15. 26. *Patrum sententiæ*, ib. *admodum variant*, ib.
- Animi facilitas vitiosa*, IV. 7. *nonnunquam character bonæ mentis*, ibid. *unde oriatur*, ib.
- Anonymi *Lettre sur les Principes*, & *les Caractères des Principaux Auteurs Mystiques &c.* A. V. 4. 5. 13. 14. 18. 27.
- Ἀντιδικῶν* quinam? A. I. 9.
- Antonilez Augustin. A. II. 3.
- Apelles, *Marcionis assecla*, VI. Pr. S. IV. 7. *Pietaster*, *Syncretista* & *Indifferentista*, ib. & A. II. 24. *à Philumena seductus*, ib.
